ADOLESCENS ACADEMICVS

SVB INSTITVTIONE SALOMONIS.

STA paululum, mortalis viator, si tantillum consistere permittitur: nam quouis momento abriperis, imo ipso æui fluxu properas ad mortem. Siste tamen animo tantisper, & inprimis Augustam huius ædificij frontem aspecta: tum quis loci sit dominus, quidve istic agatur, inquire: tua plurimum interest, ista vt noris.

Per Arcum, quem vides, Triumphalem, aditus est in hominis mortalium Sapientissimi domicilium, simulque sanctissimum Sapientiæ ipsius Gymnasium. Magnifica foris species, intus aurea sunt omnia, dicere volebam diuina.

Igitur in hoc suauissimum tuæ ætatis hospitium, mi Academice Adolescens, diuerte, Salomoni te instituendum trade. Sapientiam hic disce, id est Eruditionem & Virtutem. Vna ab altera seiungi non debet. Eruditio absque Virtute gladius plumbeus, tumorque animi inani rerum suggestu insolescentis. Virtus absque Eruditione, arx inermis, imbellis, incuta. I modo, & paulò post ad scholam redi: plura audies, cùm in Ludum veneris.






ADOLESCENS ACADEMICVS SVB INSTITVTIONE SALOMONIS.

AVTHORE
R.P. CAROLO MVSART BELGA,

E Soc. IESV Doct. Theol. et in Viennensi Austriæ Academia Sacr. literarum interprete.



ERVDITIO — VIRTVS

Cum Privilegio.

DVACI,
Typis Baltazaris Belleri. An. 1633.

ANTIQVISSIMÆ, CELEBERRIMÆ, AVGVSTISSIMÆ ARCHIDVCVM ET CÆSARVM AVSTRIACORVM Viennensi Academiæ.

INPRIMIS

PERILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS VIRIS AC DOMINIS,

D. CAROLO PERGER

I. V. DOCTORI,

DIVI FERDINANDI SECVNDI IN EXCELSO REGIMINE CONSILIARIO, PRO TEMPORE Academiæ Principi ac Rectori.

D. CHRISTIANO SCHAFFLER

I. V. DOCTORI,

S. MAIESTATIS CONSILIARIO, CANCELLARIO EXCELSI REGIMINIS, VNIVERSITATIS Cæsareo Superintendenti.

ITEM

ADMODVM REVERENDIS, CLARISSIMIS, Excellentissimis Nobilibus ac Dominis, Collegij Academici Soc. IESV *Rectori, facultatum Decanis, ac Senioribus, Procuratoribus Inclytarum Nationum.*

Venerabili Consistorio; ab Amico Hospite Apophoreta.

ADOLESCENS ACADEMICVS.



Vm repentè surgentibus, vehementerq; flantibus Religiosæ Obedientiæ Fauonijs, ex oris

ã 3 distan-

diſtantibus nauiculam ad hoc nobiliſſimum orbis Chriſtiani Athenæum applicuiſſem, Magnifici, Admodum Reuerendi, Clariſſimi, Excellentiſſimi Nobiles Viri, D.D. Academici, cumq́ue me paululum ex longa & moleſta nauigâtione refeciſſem; nihil habui antiquius, quàm vt literariæ mercis ſarcinulas, quas mecum in mentis arcula compòrtaram, in littore explicarem, videremq́ue num eſſet in reculis meis, quod more eorum, qui è longinquo exteroq́ue ſolo aduentant, vobis, Academiæq́ue offerrem. Creuit verò iſta cupido, poſteaquam, mox deſignatum Scripturæ ſacræ interpretem, non modò me in Col-
legam

legam Academicum: ſed præterea in Inclytæ Nationis Ahenanæ Procuratorem, atque adeò in ampliſſimum etiam Academiæ Senatum cooptaſtis. Ecce autem mihi ſolicito obuenit (quod Homerico conteritur adagio) exiguum, ſed oportunum munuſculum, Adoleſcens hic Academicus. Conceperam eum pridem, maturuſque iam videri poterat, qui ederetur, niſi ęgrè adhuc parturiens horruiſſem illa, quæ gignentium eſſe ingeniorum ſolent, faſtidia, moleſtias, cruciatus: enixus tamen eſt animus, ſimulq́; ingenioli fœtus (quod perdicis pullos ad maternã aluum fácere aiunt) grauidam mẽtem fortiùs pul-

ſans naturam celeritate præuertit, ſicque tandem fauente bonâ lucinâ erupit in lucem; quo ex caſu venit in mentem ſuſpicari eſſe hîc (quod alicubi eſſe legeram) quaſdam animantes, quarum oculis ea vis inſit à Naturâ, vt pullos in ouo, tanquam in vinculis detentos, aſpectu ipſo, quaſi molliſſimo incubatu, excludant, blandis ſcilicet, potentibuſque oculorum radijs obſtetricantibus. Igitur non tam Adoleſcentem, quàm Infantem libellum, quem Viennæ edideram, excolueram, ornaram, attuli, obtuli. Eum vos non tantùm humo iacentem ſuſtuliſtis; ſed vt filiolum exoſculati, & quaſi alteri Parentes

ſum-

ſummâ beneuolentiâ complexi eſtis: Tum verò inceſſit eum ambitio, vt quoniam in familiam veſtram eſſet iam adſcitus, adoptionis iure, quo optimo, nomen quoque veſtrum præſeferret: neque iſtud ei concedere renuiſtis; ita illum, meq; vnà breuiſſimo tempore ijs beneficiorum compedibus obſtrinxiſtis, quæ nulla officia, nulla vnquam ætas diſſoluant. Ille quidem, ſi vitam ſuperi, vireſque dederint, diſperſus per oras in multorum manus, ſinus, ſcriniola, inuolabit, & quocunque demum peruadet, veſtras, Viennenſiſque Academiæ laudes deprædicabit: Verùm velificabitur eâ re, ſuo pſe magis, quàm veſtro honori.

ri. Ceperat olim præſtantem Ceruum Iulius Cæſar, quaſi iam ſuum mancipi, ac nexus iure feciſſet, vinculo ad collum ducto conſtrinxit, mox liberum dimiſit, collari literis aureis inſcriptâ hac Epigraphe, EGO SVM CÆSARIS. Ceruinæ eſſet ſtoliditatis, qui eam inſcriptionem crederet, quocunque palabundum iſtud Animal deferret, Cæſari potiùs, quàm Ceruo honori fuiſſe: Næ ego ęquè deſipiam, ſi exiſtimem librum veſtro Nomini, non veſtrum nomen libro huic fore decori & ornamento. Lubet verò etſi Genethliacus non ſim, è Natiuitate omen, ſpemq́; bonam lęti ſucceſſus capere. Neſcio quo

natus

natus ſit Horoſcopo meus hic Adoleſcens, ſidus ſanè magis candidum, locumve ortus ſui fauentiorem ne ipſe quidem deſideret. Prodijt enim ſub eo Cælo, ſub quo naſci, educari, viuere conſueuerunt Auguſtiſſimi Archiduces Auſtriæ, Magni Reges, Summi Cæſares: quo tempore Viennæ Imperat FERDINANDVS Nomine ſecundus, rebus pro Patria & Religione feliciſſimè geſtis, hactenus ſecundus Cęſarum nemini; quo regnat FERDINANDVS alter, Cæſari Parenti, vt nomine & ſanguine, ita dignitate proximus, vbi vnà in rerum maximarum ſpes adultas ſucceſſit Sereniſſimus LEOPOLDVS Archidux Auſtriæ,

Cęſaris

Cęſaris filius, Regis frater, tres illi non tam Mecænates Academiæ Clementiſſimi, quàm optimi Parentes: quibus tres, ideſt, omnes omninò gratiæ, futuræ ſint ſemper impares. Porro non tacendæ iſtud alterum eſt felicitatis, quòd natalem quoque ſuum in eum annum refert hic animi partus, quo tu, Magnifice CAROLE PERGER, poſt quater geſtum à Paréte viro Medicinæ ſcientiâ, virtutumq́ue laude præſtantiſsimo Academiæ Principatum, ad eandem es ſupremam poteſtatem pro ſummis tuis in Rempub. & Acad. meritis euectus; & dum tu ſimul Academiæ Ocelle, Curiæ Cæ-

ſareæ

ſareæ mens D. CHRISTIANE SCHAFFLER, in rerum publicarum tractatione verſaris: peropportunè enim vtriuſque (vt non rarenter aliàs) in hac Adoleſcentis Academici cauſâ, non modò humanitatem incredibilem, ſed reuera ſingularem ſum beneuolentiam expertus. Atque hic mihi latiſsimus campus aperitur in veſtras, viri perilluſtres atque Magnifici, pręſertim in Auſtriacæ domus, atque adeò ipſius Academiæ vaſtiſsimas laudes excurrendi; Verùm tranſilirem Epiſtolę liminaris modum, & ſacram lineam ſemel tranſgreſſus, abirem in quandam fuſiſsimę narrationis

nis infinitatem: niſi hîc me ſubitò cohiberem: Et verò mox nanciſcar commodiorem de Academia dicendi locum. Quare diſcedere è Templo iam mihi licebit, poſteaquam fontinalia ſolemni ritu peregi; erant ea ſacra apud Romanos, quibus fontes ac puteos corollis, floreisque ſertis honorabant, quaſi dicerent, *Aquam hauſiſti, puteum corona.* Verùm res erit fortaſsis perexigua, ſi aquis veſtrorum beneficiorũ perennibus, præter ęui breuis floſculos nihil rependero: Neque tamen nihil eſt, nonnullo officio, & ipſa beneficij commemoratione profiteri me eſſe debitorem:


rē: Feci enim ſaltem, ne viuam poſthac, moriarq́; omninò, & planè ingratus

VV. DD.

Seruus in Chriſto humillimus CAROLVS MVSART *è Soc.* IESV.



AD



AD BENEVOLVM LECTOREM,

ADOLESCENTEM ACADEMICVM.

De Libri Argumento ac Methodo.

PROOEMIVM.



VOD in Academiam appuleris, Adolescens, ex animo gratulor: nolim tamen existimes portum te esse ingressum: tempestuosum intras mare, in quo periclitantur plerique omnes, naufragantur plurimi: hîc deprehenduntur infidæ stationes, sociorum improborum scopuli, Syrenum lethiferi cantus, truces irarum Scyllæ, Gulæ & luxus vastæ Charybdes, reliquáque turbulenti pelagi monstra: rapitur hæc inter

inter pericula cæco temeritatis impetu fragilis Adolescentiæ tuæ linter, idemq́ rimarum plenus, cui ad clauum sedet, malus sanè gubernator, rerum rudis animus: miseret me tam miseræ tuæ sortis, ardeóque opis adferendæ desiderio; atque eam ob rem Salomonem mortalium sapientissimum tibi accerso minimè repugnantem: vt pro diuinâ, quâ pollet, arte, & pro veteri suo in Adolescentiam studio, clauum ipse teneat, regátque fluctuantem nauiculam, id est (placet enim è mari redire in Academiam) vt mentem in vtrumuis flecti ceream optimis præceptionibus suo in gymnasio efformet, atque effingat. Certè claruisse olim in arce Sionea Salomonicum Gymnasium, in quo prostantibus ad septem columnas exhedris

dris artes tctidem liberales tradentur, ipſumqúe Salomonem profeſſorem verè regium in throno ſedentem aureo, deq́ue ſcientiarum omnium arcanis rebus diuinè diſſerentem audire liceret, credet
Prou.9. *facilè, qui in illius Prouerbijs Sapientiæ domum ſeptem columnis exciſis exædificatam, & ibidem appoſitas ſiue initiandis diſcipulis, ſiue ad eruditam cœnationem menſas legerit: quales tum Alexandriæ, tum Athenis Mineruæ quondam ſacras extitiſſe boni ſcriptores memorant: ita igitur ex ſapientiſsimi hominis ore rectam, benè, ſapientérque in Academia viuendi rationem audire, & haurire beneficio meo poteris. Habebis, vt opinor, mihi nonnullam gratiam, quòd tam eximium, morum, ſtudiorumq; Præcepto-*

ceptorem tibi compararim: tum verò pares ad Magistri dignitatem animos, in scholam adferre adnitêris.

Produnt sacræ literæ de cunctis populis, & ab vniuersis terrarum partibus regios legatos, virósque principes, atque adeò Sabæorum Reginam, ad Salomonem audiendum maximo studio confluxisse; illi tibi scilicet suo exemplo ad concipiendum similem ardorẽ faces subijcient: sed omnium vehementissimè ipse Salomon ad se audiendum propositis amplissimis præmijs quemuis impellet. 3.Reg.10. Audi fili mi disciplinã Patris tui, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Prouer.1.

Fili mi ne obliuiscaris legis meæ, & pręcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem Prouer.3.

enim dierum, & annos vitę,& pacem apponent tibi: miſericordia & veritas te non deſerant: circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & diſciplinā bonā corā Deo & hominibus. *Bene habet: video te, Adoleſcens Academice, ſimulátque Salomon meus audiri cœpit, ardentiſſimè ad ſapientiæ ſtudium inflammari. Quare Procœmium finiam, ſi priùs quid ſapientiæ nomine intelligam, & de totius huius ſcriptionis methodo pauca monuero. Cùm ſapientiam hic audies, nolim animo tibi effingas, ieiunam aliquam & inſipidam veritatis cognitionem, quam à virtutis cogitatione diſiungunt quidam; ſed cuiuſmodi olim ex Stoicis Philoſophi definiebant,*

veri

veri inquisitionem cum religione cæterarumque virtutum amore, & curâ consentientem: studium, inquam, excolendi corrigendíque animi. Nam eum, qui mentem exquisitissimis disciplinis imbuerit, mores autem retineat improbos, doctum fortaßis dici permittam; at negabo sapientem, aut virum bonum, & qualem te in Salomonis gymnasio efformari velim.

Iam quod ad institutionē harum Salomonicarum ordinem, rationemque attinet: primùm singulis capitibus symbolum rei accōmodatum, cum apposito schemate proferam: scio enim ętatem tuam studiosam eße earum rerum, quæ simul oculos, simul animum oblectent; eáque ratione emblematum, librorúmq; fœdæ obscœnitati pura castáque oppo-

 nam.

nam. Subijciam deinde propositi symboli redditionem: partim necubi fortaßis hæreas: partim vt comprehensâ totius reliquæ institutionis summâ, comparatior ad discendum accedas: tum verò saluberrimum aliquod monitum ex sententiarum Salomonicarũ sensu profabor, velut ex veri numinis oraculo, dignioremq́ue templo Apollinis Delphici paræmiam; sequetur mox Salomon prę̧ceptiones suis verbis præscribens: & tandem interpretatio, tum verborum, tum præsertim mentis Salomonicæ: atque hîc ego ex sacris prophanisque scriptoribus, ea rationum & exemplorum momenta conferam, quæ ad captum tuum, scopumqúe meum oportuniora videbuntur: finiam pia ad Deum prece: ero succinctus:

vt

vt minoris emas, & citius euoluas; ea ferè, quæ reconditiorem seuerioremque doctrinam sapiunt, prętermittam: neque Oratorem agam, sed Pædagogum. Ex libris Platonis pridem acceperam Adolescentem, si benè instituatur, Deum quendam, vt ille dicebat, inter homines euadere, si negligatur, belluam fieri, eamque fore Rempub. qualis Adolescentum ætas in herbescente viriditate fruges promitteret. Ex vsu prętereadidicerā temerariā esse eam ętatem duce, consilioque, maximè tū egere, cū iam Parentes & Aui longius abfuerint: memineram denique ex illo vnius tēporis contextu pendere totius vitæ reliquam telam: easq; ob causas Adolescentiam mihi sumpsi honestis moribus informandam: videbar autem numine pro-

pitio eam artem profiteri me posse: quòd annis ferè duodecim in celeberrimis Academijs versatus partim Sodalitia Parthenica, partim scholas Philosophicas, aut regendo aut docendo in Adolescentię mores, morbosq; ita intenderim, vt & nosse & curationem aliquam adhibere posse viderer. Hæ me rationes impulere; vt ad hanc scriptionem animum applicarem. Atque ista te, bone Adolescens, ne quæ scire te oportebat, ignores, pręmonitum volebam Procæmij loco. Nunc ad rem aggredior: si te priùs iterum iterumque rogauero, opellam vti meam probes.


AD



AD EVNDEM LECTOREM

DE ACADEMIÆ VIENNENſis in Auſtria, Antiquitate, Nobilitate, Celebritate.

PROOEMIVM SECVNDVM.



CADEMICVM Adoleſcentem natum, veſtitumq́ue iam abire in publicum iuſſeram: cùm hanc de Vienneñſi Academia narratiunculam adtexui: nolim exiſtimes, Amice Lector, veſti integræ aſſutam temerè purpuram: primùm enim Academiæ iſti mihi amiciſſimæ, in qua nunc publicum munus gero, & in qua Adoleſcentem iſtum partim educaui, partim exornaui, tantillum officij à me deberi arbitrabar: deinde non exiſtimabam fore tibi ingratum, ſi Antiquiſſimam, Auguſtiſſimam & ſanè Celeberrimam Aca-

Academiam, quæ optimè instituendi Gymnasij exemplar ac forma esse possit, procul dubio longè ac latè famâ peruulgatam, sed minùs tibi fortassis in cute notam, leui saltem styli mei penicillo adumbrarem: id igitur nunc cursim agam: tu quæso tantisper consiste.

Viennensis Academiæ incunabula posuisse scribitur Fridericus II. Imp. vir, vt rei militaris, ita bonarum artium, multarumque linguarum scientissimus. Is quippe rebus maximis, terrâ marique confectis Conrado filio in futurum Cæsarem designato, musarum primam sedem Viennæ erexit, ratus esse perparum si orbis ipsi imperium relinqueret, nisi sapientiam, quâ ad summa pertigerat, commendaret, ijsque Rempub. fundaret præsidijs, quibus Imperij Majestas, religio, pietas, magis ac magis indies efflorescerent: incidit istud in annum circiter 1237. id est, quadringentis propè retrò annis:

annis: quo ex tempore permissam fuisse Doctorum creandorum potestatem Volfanus Lazius medicus magni nominis, idemque Cæsaris Consiliarius, & Historicus, ex Friderici diplomate non obscuris indicijs deprehendit. Porrò constat statim à iactis fundamentis, per annos continuo octodecim supra centum, Viennensem Scholam, crescente sensim cum ætate famâ eruditis hominibus ita abundasse: vt iam tum apud exteras Vrbes ac Prouincias celebritatem sibi aliquam compararet: fecit ea res vt Albertus II. Dux Austriæ de nouo Gymnasio excitando, augendisque Professorum stipendijs cogitaret, accitique eam in rem Lutetiâ celebres duo Theologi, qui quod moliebatur Albertus auspicatò aggrederentur. Videbatur itaque Academia pueritiam iam tum suam euasisse: ea vt breui adolesceret, imperante Carolo IV. (qui & ipse literarum erat

Græcarũ, Latinarũq; apprimè peritus) effecêre Alberti secũdi filij, Austriæ Principes Augustissimi, ac Duces, Rudolphus IV. Albertus III. Leopoldus II. qui ex singulari politiorũ disciplinarũ studio (quod Austriacis innatum, propriumque extitit) cùm Parentis demortui in ornanda Academia curas suscepissent; vt ipsis domestica esset atque intima, in Curiam quasi in suam familiam constitutis nouis sedibus aduocarunt, censibus ac priuilegijs locupletarunt: hominibus doctis suos Honorum gradus, virtutis & eruditionis seu incitamenta, seu præmia statui voluerunt: denique ne quid ad Reip. literariæ absolutionem desideraretur; viris in omni scientiarum laudumque genere præstantibus iussêre, ijsdem vt Academiam Viennensem informarent institutis ac moribus, quibus olim laudatissima Orbis Gymnasia, Athenis, Romæ, Parisijs claruissent. Ita quam

Fri-

Fridericus pepererat, natamq; educarat, Albertus II. ad primam Adolescentiam promouerat, tres Fratres germani ad maturitatem quandam perduxere, sub annum 1365. eamque ob causam in hoc ferè tempus fundationem Academiæ nonnulli referunt, si de flore ætatis loquantur, non malè: quanquam octennio duntaxat Musæ cum sua Pallade Curiam tenuêre: cùm enim optimus Princeps Albertus, Rudolpho fratre mortuo, nemus potiùs, quàm Curiam Academiæ Athenis olim nomen fecisse; neque parùm literarum otia negotiorum strepitum conturbari aduerteret; Sapientiæ ędem in tranquilliorem salubrioremque aream, coëmpto amplissimo fundo, transtulit, auctis iterum censibus priuilegijsque denuò sancitis; quæ ne in posterum violarentur, vt ab Vrbano VI. Pontifice Maximo vim roburque acciperent, facilè perfecit ad annum 1384. quem

annum tanquam Academiæ benè auſpicatum ac felicem, niueo dignum lapillo notari placuit: tunc enim hoc Gymnaſium Archiducale audijt, in quo duodecim perpetui Collegæ artes liberales ac Philoſophiam profiterentur, neque multò poſt ad Iuriſperitos & Medicos ordinarij quoque Theologiæ Magiſtri acceſſere.

Verùm vt cunæ Friderico II. Alberto II. prætextæ togæ honos, Rudolpho fratribuſque germanis iniens adoleſcentia, ita Friderico III. ætas Academiæ viridior, atque adeò ipſa Iuuentus adſcribi debet: eo enim Cæſare Academia, quæ ab Auſtriæ Archiducibus nata auctaque erat, ex optimis Grçcorum, Romanorum, Francorumque legibus coaluerat, iamque Germaniæ ferè antiquiſſima habebatur, quaſi Viennæ prçcipuũ proſtaret Orbis Gymnaſium, iure quo optimo Viennenſe Archigymnaſium appellari, ipſiq;

Re-

Rectores Viennen. Archigymnasij Principes, Illustrissimo, Honorificentissimóque nomine vocari cœpere. Secutus est deinceps Friderici III. proles Maximilianus vir à teneris vnguiculis scientia & virtute instructissimus : sub quo verè aurea Academiæ tempora enituere, atque adeò robusta & virilis ætas, quæ iam non flores, sed decoctos fructus ex sese vberiùs profunderet. Creuerat propè ad summum Iurisprudentia, Medicina sese confirmarat, nulla pars iacebat Philosophiæ, etsi excelleret Mathesis: regnabat Syrenula Suada, Musæ omnes triumphabant. Cæsar enim nouo honoris incitamento Collegium Poëticum Academiæ adiecit, quintamque facultatem esse voluit, neque tantum Poëtas laureatos creandi potestatem permisit; sed ipsemet manu Imperatoriâ nonnullis doctarum frontium, frondem lauream imposuit, est is pileus è diuite materia,

argenteâ coronâ in formam virentis lauri redimitus vbi rami ſeſe connectunt, lamina eſt amplior, in qua Imperatrix aquila ſculpta viſitur, cum Epigraphe, *Maximilianus*, cui hinc inde decenter aſſurgunt duæ breues inauratæ ſtatuæ, *Phœbus*, *Pallas*; ea res ad boni facti memoriam in Academiæ tabulario aſſeruatur. Sed regina ſcientiarum in primis Theologia eo ſupra reliquas tempore, robur ſummum, maximaſque ſuæ ſcholæ vires exerebat. Viennam venerat ſui æui in Germania Phœnix Ioannes EcKius Doctor Ingolſtadienſis, ingreſſus palæſtram concertauit: tantam verò vir ille plurium palmarum pugil Viennenſium eruditionem atque induſtriam ſenſit, vt liberè profeſſus ſibi Viennæ non parùm negotij obiectum, addiderit ſe in longa peregrinatione, quam ad varia loca diſputandi causâ ſuſceperat, nullibi ſe in doctiores acutioreſque Theo-
logos

logos incurrisse. suus cuique gradui honos non tantùm decretus erat, sed etiam habebatur. Professores linguas tres ex panno pallijs intextas gestabant, neque absque solenni habitu, eóque sanè magnifico publicas scholas ingrediebantur: Tyrones singularum facultatum, quorum septem octove millia vno tempore censa sunt, cingula; prouectiores ex illis cappas (sic enim vocant) alij & alij varia decora ostentabant, quibus ab imperita multitudine interstingui honorarique possent.

Peruenimus iam ad Ferdinandum I. antiquæ Religionis, reique per Germaniam restituendæ studiosissimum Imperatorem: nam Lutherana pestis ita tum longè ac latè tetrum virus euomerat, vt maxima eáque nobilior corporis totius pars fœdâ lue contabesceret. Is igitur anno 1533. Rex Romanorum Augustissimus cum prioribus sæculis

constitutas leges, confirmatáque à se priuilegia publicasset: vt Sacræ Maiestatis in Academiam voluntas orbi vniuerso patesceret, edicto per Prouincias promulgato omnibus studiorum causâ ad Vrbem appellentibus, summam tùm clementiam tùm immunitatem prolixè est pollicitus. Anno verò 1552. cùm Viennæ esset, in publico Prouinciarum consessu, de literis quæ cum Religione diffugerant, postliminio reuocandis, honoréq; scholæ redhibendo, grauissimam & disertissimam habuit orationem, dicendóque tantum apud suos effecit: vt pauperes centum, eóque plures è publico in Theologicis præsertim studijs per quinquennium educandos reciperent; quod exemplum secuti S. P. Q. Viennensis 25. etiam alios paris fortunæ, qui ingenio pollerent, in spem quoque publicam aluêre. Præclara hæc; sed tamen multò etiam magis Ferdinandus

postea-

posteaquam Carolo V. imperium ponente, orbis voce atque applausu, dictus acclamatusque est Imperator, reparandis Academiæ ruinis extinguendisq; Hæreseôn ignibus incubuit. Neque ad scopum studiumque Cæsareæ mentis parùm faciebat, quòd paulò antè sub annum 1550. vti è re literarum ac Religionis fore videbatur, id in Comitijs Augustanis agente Vrbano Labacensi Antistite, qui à Confessionibus Ferdinando erat, cogitatumq; actumque fuerat cum summo Pontifice, atque Ordinis Parente Sancto Ignatio de Societate IESV in Vrbem vocanda. Venit anno sequenti ad sedem capiendam Claudius Iaius Subaudus ex Ingolstadiensi Academia, vbi Theologiæ Doctorem maxima cum laude egerat; ex Italia verò missi ab Ignatio accesserant, Nicolaus Lanoyus Belga cum 10. alijs è Societate. Iaius primarius Sociorum moderator in Academia

epistolam sancti Pauli ad Romanos explicare aggressus est, Magistrum Sententiarum Lanoyus; sed Iaium vnum è decem primis Ordinis Patribus, virum non eruditione magis, quàm virtute singularem, rebus plurimis in Germania pro Religione & Sapientia præclarè gestis, Deus breui è stadio, in aliam vitam eamque, vti spes est, beatam euocauit. Elatus itaque est magno Academiæ luctu ac honore, sepultusque in S. Nicolai, quæ tunc PP. Franciscanorum erat, sacrâ æde, quo etiamnum loco quiescit. Laudationem funebrem habuit Petrus Canisius Ingolstadio, vbi & ipse res maximas tractabat, Viennam à Ferdinando accitus, quem virum totius Germaniæ præclarum lumen Academia admirata primùm, mox etiam venerata est: is enim posteaquam Viennæ inter cætera Ferdinandi iussu Catechismum illum scripsit, qui etiamnum omnium propè gentium

gentium auribus, lingua, manibus conteritur; è Societatis Collegio in Archigymnasium Viennense traductus facultatis Theologicæ Decanum egit, ac deinde (quod operosè multumque defugerat) permittente Ignatio coactus, post Fridericum Plauseum, Episcopatum Viennensem, per annum saltem, religiosè administrandum suscepit, dum alius suppeteret, qui sufficeretur. Ita Ferdinandus Academiam Hæreseôn, Bellorumq; vitio recisis neruis contabescentem, in pristinum auitæ religionis ac synceræ doctrinæ sensum & vigorem restituere vehementer studuit. Idque porrò maiori etiam studio egit, agitqúe adhuc eiusdem nominis & animi Ferdinandus alter, in laceræ Germaniæ recolligendo naufragio, literisque ab interitu vindicandis, nulli Cęsarum secundus, quem Deus Opt. Max. ex communi omnium bonorum voto, diu incolumem, victo-

rem, triumphatorem ſeruet. Hic Imperator anno 1623. Collegium Societatis Iesv à Ferdinando I. fundatum pro ſuprema ſua poteſtate membris Academiæ, adnexuit, priorum Ducum, Archiducum Auſtriæ, Regum Romanorum atque Cæſarum ptiuilegia denuò ſanxit, & vt nouus adderetur ſplendor, Templum Academiæ, Scholaſque Societatis Iesv à fundamentis excitari voluit; & templum quidem Academicum Symmetria, amplitudine, forma, Cæſare dignum iam ſuis partibus conſtat, neque reliqua ædificia impigrè aſſurgent, ſi modo ſuperi temporaq; ſiuerint. Eſt autem Academiæ totius, dum ſcribo, hæc facies ac ferè ſtatus, qui certè ſi tumultuantium armorum triſtiſſimæ tempeſtates ſpectentur, æſtimari poteſt lętus ac fœlix.

Nobiles atque Excellentes artium & Philoſophiæ Magiſtros recenſet plurimos; quibus eruditio ipſa,

ipſa, etſi alioqui genere obſcuris, claritudinem, ius armorum, atque inſignium, verique nominis nobilitatem ex ſpeciali Imperatorum priuilegio indidit in ſeros etiam nepotes tranſmittendam. Itaque quot in artiſticæ facultatis ſenatu ſedent, tot ibi videas viros Nobiles, vt minus mirum ſit in eo Magiſtratu, nonnunquam ſpectari non modo inſignes Cathedralis Eccleſiæ ſancti Stephani Canonicos, ſed etiam quoſdam Sacrorum Antiſtites. Medicinæ excellentiſſimos Doctores numerat hęc Ciuitas non pauciores triginta, quorum 17. de conſilio ſunt Medicæ facultatis, atque ex ijs duo aulici, vnus præterea ipſius Cęſaris, medicos agunt maxima cum laude. Iuriſperitos Doctores recenſet Academia duos ſupra triginta, viros profectò clariſſimos, pleroſque etiam Magnificos, quo ex numero nonnulli partim in concilio intimo, partim in Excelſi Regimi-

nis Curia, Cancellarij aut Consiliarij Cçsareæ S. Maiestatis, alij in amplissimo Austriæ inferioris senatu à Consilijs, ab aduocationibus, aut patrocinijs rem nauant patriæ salutarem, sibi, Academiæque Viennensi perhonorificam. Denique ex Admodum Reuerendis Dominis qui supremam Theologię lauream sunt indepti, hodiéque 20. ad Concilium facultatis Theologicę pertinent, ex quibus duo nuper in hac Academia infulam sacro ritu accepere. Illustrissimi Reuerendissimíq; Domini Episcopus Neostadiensis & Abbas Kettwicensis. Patere te hoc in choro videri Illustrissime ac Reuerendissime Princeps Episcope Viennensis Cremiplanensis Cœnobij Antistes; cui debet hęc Academia plurimum, quod promeritum alibi Doctoratus pileum, nusquam honorificentius quam apud nos collocare te posse existimasti. Porrò sub horum Ducum auspicijs ac signis

artium,

artium, Philosophię superiorumque artium Discipuli militant, flos Austriacæ atque exteræ Iuuentutis, mille supra ducentos, ex vnguibus disce Aquilam, Solæ Scholæ inferiorum artium in Collegio Societatis Academico adolescentes iuuenesque educunt, genere ac domo nobiles circiter quadringentos, in his Principem vnum, Marchiones duos, Cōmites nouem, Barones triginta, Prouinciales totidem. Quæ omnia si retrò ad suum caput per quadringentos ferè annos reducantur, nemo omnium erit opinor, qui non fateatur Viennensem Academiam à suis fundamentis antiquissimam, à suis verò fundatoribus Archiducalem non modò, sed semper Cæsaream, semper Augustam extitisse: adeò vt meritò in controuersiam vocari possit an Augustissimi Archiduces digniores fuerint tam nobili Academia; quam tam nobilis Academia Archidu-

chiducibus Austriæ tam Augustis? Quare reliquá quæ ad dignitatem celebritatemque spectant, etsi prolixè ac præclarè exaggerari possent, quod à quouis limati iudicij viro facilè ex superioribus intelligantur, in breue deinceps compendium epitomenque contraham. De statutis vniuersim id affirmari sat est Academiarum Atheniensis, Romanæ, Parisiensis succum esse ac medullam: Priuilegia maximis Cæsaribus, summis Pontificibus, à quibus concessa confirmataque sunt digna omninò videri: Summa eorum hęc est. Academiæ Princeps in publicis itionibus proximum ab Austriæ Archiducibus locum teneat. Quæ Academicus Magistratus statuerit, decreuerit, sanxerit, ius & lex sunto. Causarum etiam capitalium Tribunal, item vitæ ac necis potestas penes eundem esto. Academici priuilegijs ciuium gaudento, oneribus eximuntor. Ne quid

Respub.

Respub. literaria in suis Iuribus aut priuilegijs noxæ vel detrimenti capiat, Summi viri custodes, conseruatoresque dantor, atque hi vigilanto. Cum ciuicus Magistratus in Curia excelsi Regiminis renunciabitur, soli Rectori inter Consiliarios circumstante reliqua corona, sedendi fas locusque conceduntor. Atque hæc aliaque Priuilegia, ipse Princeps eo tempore quo Austriæ possessionem solemni ritu init, ab Academia salutatus, rogatusque datâ Rectori manu sanctè spondet curaturum se, vt qua concessa sunt fide, sincerâ, integráque conseruentur. Quæ consequuntur facient etiam nonnihil fortassis ad Academiæ dignitatem, atque commendationem. Doctores superiorum facultatum in S. Stephani Basilica qui locus non modo sacer, sed amplissimus ornatissimusque est, suorum honorum titulis atque insignibus decorantur: singulæ facultates è

Cœlitum numero Diuum suum Tutelarem, singulæ Nationes suum in eâdem ęde, solemnibus sacrificijs, latinisque orationibus propriè sibi colendum delegerunt, piorum hominum munificis largitionibus Bibliotheca locupletissimè instructa, stipendia, contubernia, seminaria, erecta constitutaque, quibus rebus pauperes se suáque studia sustentent atque commodius in literarum virtutumque palæstra exerceantur. Atque hic mihi in mentem redit & propè lacrhymas tristi commemoratione excitat Nosocomium illud Xenodochiumque S. Sebastiano dedicatum, quod cum æde sacrâ honorificè ab Academia in subvrbijs extructum, ęgris peregrinisq; discipulis recipiendis olim stetit, & vtinam etiamnum staret. Verùm Austriacæ pietatis nobile illud monumentum post iniectas in vrbis obsidione ab impietate Turcica sacrilegas flammas iam in suis

ſuis cineribus iacet. O ſi poſteri ſaltem collapſam miſerorum ſedem denuò erigerent! non deeſſent fortè alibi, qui Viennenſium iſtam verè Chriſtianam humanitatem pari in pauperes ſtudio imitarentur. Nondum dixi Viennenſem Academiam duarum celeberrimarum Ingolſtadienſis & Triburgenſis matrem ſe eſſe meritò gloriari. Nihil de verbis atque Academiæ amœniſſimo ſaluberrimóque ſitu, rerum omnium copia, morumque cultu commemoro. Omitto ſalutationes, adgratulationes, orationes ſæpeſępius honorificè ſuſceptas & cum plauſu habitas in aduentu, Comitijs, inauguratione virorum Principum, Regum, Imperatorum. Omitto præterea numeratò reponere eos, qui ſui nominis atque amplitudinis ſplendore plurimum lucis atque celebritatis Academię contulerunt, quam ſcenam ſi per otium adornare vellem producerem primum eos,
qui

qui ex totius orbis Christiani oris buccinatrice fama exciti in hoc sapientiæ theatrum studiorum causa conscenderunt, Duces, Archiduces, Principes, Marchiones, Barones, Episcopos, Abbates, atque ex purpuratorum Patrum senatu nonnullos: in altero deinde actu prodirent Legati, Medici, Consiliarij, Cancellarij, Magistratuum, Principum, Regum, Cæsarum, alijque cuiusuis ordinis summi viri qui ex hoc studiorum Circo, vti ex Palladio instructissimi milites, ad patriam ac Religionem ornandam, propugnandam euasere: qua in corona interiores starent duo è gente Piccolhominea pij æquè ac Magni Pontifices Pius II. & Pius III. superioris è sorore nepos. Hic primis in annis literarum pietatisque lacteos imbres Viennæ suxit, alter autem Orator ad Fridericum Imperatorem missus, tantum dexteritate in-

genij


genij valuit, vt coronâ Poëtica donatus, inter Principes Cæſarei ſenatus adſcitus ſit. Denique in actu vltimo intra proſcenium ſpectarentur omni ſcientiarum laude præſtantiſſimi ſcriptores, Laureati Poëtæ, Palmares Oratores, inter inſignes Philoſophos excellentes Mathematici, expertiſſimi Medici, Prudentiſſimi Iuriſconſulti, Summi Theologi.

Verùm neque apparandæ huius magnificentiſſimæ actionis choragium ſuſcepi quod negotium maioris eſt operæ; neque mei eſt huius inſtituti, qui leuiter tantum adumbratam Viennenſis Academiæ effigiem in frontiſpicio operis ſpectari non ipſum ædificium ex ea materia perficere inſtitui. Abi igitur nunc, Candide Lector, quo voles: indulgeas autem velim affectui in hanc Academiam meo, ſi te diuſculè

& quam volebas, molestiùs, aliò nimirùm properantem Viennæ detinui. VALE.



PRÆ-



PRÆMVNITIO.

AD

ARISTARCHVM.

NOn est magis iam, quam olim Socrate foras abeunte, aut S. Hieronymo scribente, tutum in lucem prodire intectum galeâ, si occurrerit seuerus quispiam & malè suspicax Aristarchus, nisi te bene præmunieris, caue, vereor vt vapules. Saluto te igitur imprimis in ipso statim limine perhumaniter, mi Aristarche, ac deinde enixè rogo, ne me vel allatres eminus, vel cominus mordeas: nemini in via


*futurus ſum noxæ ſi domos eſſe plu-
res, quàm velim, in Academijs pe-
riculoſas, ſi ſocios improbos, ſi ſtu-
diorum morumque Moderatores
nonnunquam non optimos, ſi Aca-
demicorum nepotum vitia ſanè
grauia reprehendero: ſi in alijs præ-
ſtantium virtutum gloriam deſi-
derauero, tu me, quæſo, ſcopumque
meum probè noris, priuſquam den-
te aut ſaxo impetas. Inſtruo Aca-
demicos Adoleſcentes, non eos dun-
taxat, qui in Catholicis ac moratis
vrbibus habitant, ſed eos etiam,
qui in Hæreticis ac malè inſtitutis
Academijs (cuiuſmodi ſunt non
paucæ) inſtruuntur: imò velim in
Ethnicorum quoque, ſi fieri poſſet,
gymnaſijs & ſcholis legi, vt quàm
longè latéque, ipſe olim Salomon
ſuis præceptis ſpectauit, tam longè
latéq;*

latéq; reſpiciat hic Salomon meus. Quanquam ſi eius Europæ, quæ Religionem Catholicam tuetur, amplitudinem; ſi temporum, quæ poſſunt incidere, calamitates; ſi ſemper & vbique in vitia duci cercam, ad virtutes verò difficilem Adoleſcentiam tecum reputaueris, etiam fortaßis occurret locus, & tempus, quo indulgentiùs, & minùs rigidè Academicum meum tractaſſe videar. Denique in Symbolis meis, in ſtylo, totóque contextu, ſi quid minus abſtruſæ reconditæque eruditionis, vt multa ſunt, reperias: velim cogites cui hæc ſcribam, ſuſcepiſſe me ſcilicet inſtituendum Philoſophiæ candidatum, non iam ex barbaris Phil ſophis, aut è grauiori-

bus Theologis vnum aliquem: ita iam opinor hiſce rationibus auditis abire me ſines intactum. Vir bonus es. Vale.



IN-



J N D E X.

INSTITVTIONVM SALOMONICARVM.

PARS PRIMA.

Procuranda primùm aduentanti in Academiam.



PARS SECVNDA.

Exercitationes Academicæ.

PARS TERTIA.

Vitia maximè cauenda Adoleſcenti Academico.

PARS QVARTA.

Virtutes Academici Adolescentis.



SVMMA PRIVILEGII.

EGo infrascriptus Societatis Iesv in Gallo-Belgica Prouincialis iuxta priuilegium eidem Societati concessum quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absq; Superiorum permissione imprimant, facultatem do Baltazari Bellero Typographo Duacensi, vt librum, cui titulus est, *Adolescens Academicus sub institutione Salomonis, Auctore* R. P. Carolo Mvsart *Belga è Societate* Iesv *Doctore Theologiæ, & in Viennensi Austriæ Academia sacrarum litterarum interprete*, ad sex annos proximos imprimere & liberè distrahere posſit. Datum Montibus 26. Decemb. 1632.

Ioannes Lobbetivs.

AP-

APPROBATIO.

LIber hic, cui titulus, *Adolescens Academicus sub institutione Salomonis*, *Auctore* R. P. CAROLO MVSART *Belga è Societate* IESV *Doctore Theologiæ*, *& in Viennensi Austriæ Academia sacrarum litterarum interprete*, non modò nihil fidei Catholicę, bonisve moribus aduersum continet, verum etiam Iuuentutem Academicam optimis pręceptis ad Sapientię ac pietatis studium solidè simul & eleganter informat. Quare, auctoritate mihi à Reuerendissimo Domino Episcopo Atrebatēsi delegatâ, probo, vt ad publicam vtilitatem in lucem edatur. Actum Duaci 18. Decembris Anni 1632.

PHILIPPVS DV TRIEV
è Societ. IESV *S. Theologiæ*
Doctor & Professor.

FA-

FACVLTAS REVERENDI P. *Prouincialis.*

CVM Librum hunc (cui titulus *Adolescens Academicus sub institutione Salomonis*) à P. CAROLO MVSART Societatis nostræ Theologo compositum ij recognorint, quibus id fuit commissum, & edi posse in lucem iudicarint, Ego Georgius Forro, Societatis IESV per Austriam Prouincialis, pro potestate ab Admodum Reuerendo P. N. MVTIO VITELESCO Præposito Generali mihi facta, facultatem concedo, vt typis mandetur. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, ac nostri Officij sigillo munitas dedimus.

Viennæ Austriæ 25. Febr. 1632.

GEORGIVS FORRO.

R.P.



R. P. FRANCISCI

MONTMORENCII


E SOCIETATE IESV

ad Lectorem.

EPIGRAMMA.

VENIT ab Antarcto Solymam Regina Nitocris
Discendi studio, famaque excita Magistri
Qui tibi, Lector, in hoc sistit se sponte Libello.
Nec quia sese offert vltrò, sit vilior: ampla
Sed magis inde manet MVSARTVM gratia; nullo
Spectandum dederit tibi quod Salomona labore.
Hoc fruere: & Regis pueri, puer, indue mentem.

ORA-



ORATIO SALOMONIS,

Pro Sapientia à Deo impetranda.

Ex capite 9. Sapient.



Evs Patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientiâ tuâ constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est; da mihi sedium tuarum aßistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum: nam & si quis erit consummatus

tus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Tecum sapientia tua, quę nouit opera tua, quę & adfuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in pręceptis tuis. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia; quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentię nostrę. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit

primit ſenſum multa cogitantem, & difficile ęſtimamus quę in terra ſunt, & quę in proſpectu ſunt inuenimus cum labore: quę autem in cęlis ſunt quis inueſtigabit, ſenſum autem tuum quis ſciet? niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum *ſanctum tuum de Altiſsimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quę tibi placent didicerint homines: nam per ſapientiam ſancti ſunt quicunque placuerunt tibi* Domine *à principio.*

Errata sic corrige.

Pag. 59. coruus lege ceruus p. 164. lectione l. lotione p. 190. nugiuendibulus l. nugivendulus p. 206. tum l. te p. 207. effrænum l. frænum p. 226. in Thamum, l. ad Thamum ibid. adiaphana l. adiaphora. p. 237. iniustos l. inustos p. 290. arogorum: l. aragonum ibid. infestaretur: l. insectaretur. 301. præferte: l. proferte 314. tam l. eam 321. quia dissimulat: l. qui autem dissimulat 322. detestabitur: l. detestatur. 323. lenticulas l. tendiculas 325. locum: l. lacum 337. probitatem l. improbitatem 340. in innocentem l. innocentis 343. feriæ l. feriæ 420. trutinare l. trutina, & 424. saltaone l. saltatione 427. ab arce l. abarce. 516. præfunctus l. perfunctus 533. exigant l. erigant. 608. ei l. is pag. vlt. pigmentum l. figmentum

INSTITVTIONVM SALOMONICARVM
PARS PRIMA.

Procuranda Adolescenti primùm in Academiam aduentanti.



Æstimatio Sapientiæ. 2.

Est aliquid gemma et rutilo pretiosius auro.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Siſte hîc iterum, amice huius Academiæ hoſpes, ſiſte in ipſo limine tantiſper, & ſapientiæ forum, officinam, merces demirare, ſingula contuere, ſuiſque (vt par eſt) momentis æſtima.

Dic age; quid potiſſimum amas, Adoleſcens? delicias, diuitiaſnè, an honores? an hæc omnia? placet; ecce, nundinari hîc licebit: habebis à ſapientia opes minimè aculeatas, voluptates ſinceras, honores perennaturos.

Sapientia ipſa te vocat, & diuiniſſimus pædagogus SALO-

MON, vt in his nundinis fœlicitatem mercari velis, vehementer impellit: ne refuge, nec respue, ne rerum cæterarum fungos, fumos, quiſquiliaſque dedecorum Inſanus emptor pluris æſtimes, quàm veras illas opes, caſtas delicias, honores ſolidos.

CA-



CAPVT PRIMVM.

Æſtimatio Sapientiæ.

MONITVM.

Sapientiam pluris, quam res cæteras æſtima.

SALOMON.



Eatus homo, qui inuenit ſapientiam: melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi & puriſſimi fructus eius: pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria. lignũ vitæ eſt his, qui apprehendunt eam, & qui tenuerit eam, beatus Prou.3.

Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. melior eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina

mina mea argento electo. Prou. 8.

Omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Sap. 7.

MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Beatitudo huius vitæ non est in diuitijs, delicijs, honoribus.

NEmo est omnino, qui beatus esse nolit: sed in quo beatitudo sita sit, non æquè omnes consentiunt. Voluptates corporis nonnulli; (atque hi ferè de Epicuri harâ) opes non pauci: qui minùs desipere sibi videntur, honores pro summo bono ducunt & amant; sed quàm longè à scopo aberrent, tu Academice Adolescens, si modò Philosophari amas, vide. Imprimis corporearum voluptatum vel meminisse pudet. Fæda res illa & pecudum eas commendantium vox

non alio argumento magis refutatur: quàm ex eo, quòd ij ipſi, qui voluptates fœdas conſectantur, nequitiam damnantes ſuam, publicum & lucem fugitant: nemo enim vnus reperiatur, qui turpis & inceſtus velit haberi.

Nunc vero argentum, aurum, gemmæ (quas res vulgò diuitias appellant) reuera quid ſunt? terra, ſole obdurata, coloratum ac nonnihil ſplendens lutum; cui errori ſola raritas pretium dedit: nam etiam hæ quiſquiliæ, vbi in copia ſunt, vileſcunt; denique honor, qui pluris fieri ſolet, opinio eſt aliorum, & plerumque inconſtantis atque imperitæ multitudinis. Hodie te efferent in cælum, cras ad ſepulchrum: lentum eſt cras, ſæpe eodem, quo euehunt, momento proturbant. Iam io triumphe, ad curulem, ad ſceptrum: mox ad columnam Mœniam, ad ſcalas Gemonias, ad Crucem, & cornos occlamant. Lege ſacras tabulas. Chriſtus in vrbem Hieroſolymitanam triumphi pompâ inuehitur: poſt quinque dies ignominioſæ cruci affigitur. Quod autem hic de honoribus dico, idem de diuitijs paulò antè dictum oportuit: nihil opibus quoque velociùs, fugacius; vix ceperis; auolant, nimirum à fortuna ad horam homini commodantur

tur mox repetendæ, imò eripiendæ: ita fit modò Irus, modò Cręſus: quoties id ſpectatũ? Ne igitur crede veras voluptates, opes fixas, ſolidos honores in hac vitâ vſpiam reperiri poſſe.

§. II.

Beatitudo huius vitæ in ſolius ſapientiæ ſinu reperitur.

IMò verò, mi Philoſophe Adoleſcens, hîc beatitudinem aliquam reperiri poſſe puta: ſed non niſi in ſapientiæ arca, penu, ſinu. Audi Salomonem: *Beatus homo, qui inuenit ſapientiam Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi: pretioſior eſt cunctis opibus &* (quod Hebræa vox ſonat) *omnibus gemmis*, denique quæcunque ab homine ſordidè auaro deſiderantur, aut deſiderari poſſunt, vni ſapientiæ non valent comparari: nimirum eæ potiſſimę, & propè ſolæ diuitiæ habendæ ſunt, quibus non arcula, ſed animus diues eſt; quas eripere Bianti Philoſopho non modò incẽdium, ſed ne mors quidem poteſt. Quare ſapienter feciſſe cenſendus eſt Crates ille Thebanus, qui cùm omnem ſubſtantiam in pecuniam redegiſſet, apud Trapezitam depo-

Laërtius lib. 6. de vitis Philo.

depoſuiſſe dicitur hac lege: vt ſi filij Philoſophi euaderent, illam egentibus ciuibus diſtribueret; nihil illis egere Philoſophos arbitratus: ſi verò ſine Philoſophia remaneret, redderet illis depoſitum: vt vacuis virtute ſaltem opes opitularentur. Iam ſi quętantur honores, æquè in manu ſolius ſapientiæ reperies coniunctam cum diuitijs gloriam, & quidem immortalem: *in ſiniſtra enim illius diuitiæ & gloria: longitudo autem dierum in dextera eius.* illi namque ſoli veri honores æſtimandi ſunt, qui ab ore & inſano hominum iudicio, vulgi, improborumque hominum non pendent: quos viri boni & beatæ mentes & Deus ipſe viuis mortuiſque ſapientibus deferunt, & qui ne longitudine quidem æternitatis emoriantur, aut flacceſcant. Atque voluptates etiam ſuas, non eas, quæ belluinæ ſunt ac longe infra hominis dignitatem collocatæ: ſed tamen ſuas etiam animi delicias melioreſque illas ac puriores habet, & in ſui amatores profundit ſapientia. *Puriſſimi fructus eius: lignum vitæ eſt his, qui apprehendunt eam.* Collige tu mihi tantum hęc paradiſi poma & primis ſaltem labris attinge: næ ego vehementer decipior, niſi eſu, vſuque ipſo diſces, diceſque vnà mecum, nihil non modò ſa-

pientiæ

pientiæ diuitijs esse opulentiùs, nihil ipsius gloriâ splendidiùs: sed nihil quoque reperiri vsquam posse eius delitijs aut liquidius aut suauius. Quid his te ego diutiùs teneo? verbulo omnem sapientiæ æstimationem habe. *Qui tenuerit eam*, inquit sapiens, *Beatus*. Cum enim beatitudinis nomine omnium bonorum cumulus contineatur: ei, qui sapientiam sibi compararit, nihil quod bonum appetendumque sit, deesse potest. Quare eò etiam pertinent illa. *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua*, & istud breue acroama, quo veluti Epilogo omnia concluduntur, *mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ ac iustitia.*

§. III.

Paria Salomoni docet Plutarchus lib. de liberis educandis.

PLacet post Salomonem Plutarchum quoque consimilia docentem tantisper audire. Hic in libello de educatione liberorum, cùm primum, medium, atque postremum esse virtutem asseuerasset, dixissetque eruditionem ad virtutem ac beatitudinem plurimum adferre adiumenti, cætera bona pusilla esse ac indigna,

gna, quę tantis ſtudijs inſectemur: pergit deinde ſtrictim expendere ſingula, pulchram ſcilicet videri nobilitatem: ſed maiorum potiùs, quàm bonum noſtrum exiſtere; pretioſas haberi diuitias: verùm eam fortunæ eſſe poſſeſſionem facinoroſis & calumniatoribus expoſitam, *quoties* (vt ipſe loquitur) *loculos ſagittarint, adoririq́ concupiuerint:* Similiter gloriam venuſtam quandam rem eſſe, formam pręterea præcipuum quiddam & pro qua vendicanda magnopere decertetur: ſed, vt res cæteras, inconſtantem & caducam. hæc deinceps ſubiungit *Noſtris autem in rebus ſola & immortalis & diuina eſt eruditio. Ex vniuerſis duo humanæ naturæ perquàm peculiaria bona ſunt, intellectus & ratio. Hanc nullus fortunæ tollet incurſus, nulla calumnia diſtrahet: non ægritudo corrumpet, neque ſenectus. Bellum ſingula torrentis inſtar trahens, & omnia ferens ſolam doctrinam nequit eripere.* Laudat poſtea Stilponem Megarenſem Philoſophum, quòd Demetrio poſt captam ſoloque ęquatam vrbem roganti, num quidquam ſuorum amiſiſſet: ita reſponderit *Haud equidem amiſi: bellum enim nulla ex virtute ſpolia ducit.* addit denique Socratis propè par dictum; quem cùm Gorgias percunctaretur, an Perſarum regem felicem putaret?

Neſcio,

Nescio, respondit, *quantum ille habeat virtutis, ac disciplinæ: perinde ac in hisce, non vero in fortunæ bonis persistat beatitudo.* Atque ista omnia sapienter profectò Plutarchus eo loco, atque ex Salomonis mente: vt pleraque in moralibus.

§. IV.

Quanti viri Maximi sapientiam æstimauerint.

PORrò quàm magni sapientiam, eiusque studium ęstimauerint viri omni hominum memoriâ præstantissimi, ex scriptis intelligitur: quibus eam posteris commendarunt. *Sapiens* (vt docet Seneca) *vicinus, proximusq́; dijs consistit, exceptâ mortalitate similis Deo.* Idemq́ue contendit solam sapientiam esse libertatem; quasi serui sint omnes, qui ea careant. Cicero sanè ex Stoicorum placitis fortiter egit: vt probaret sapientes omnes esse liberos. In officijs verò *quid est*, ait, *per Deos, optabilius sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc igitur qui expetunt, Philosophi nominantur: nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velimus, quàm studium sapientiæ.* Sed hæc, verè, aliaque omnia, quæ de hoc argumento fusè dici possunt, Iustinus Philosophus & Martyr breui hac sen-

Epist. 73. ad Lucilium.

Cic. in Parad.

Lib. 2. offic.

ſententiâ videtur complexus. *Eſt*, ait, *Philoſophia maximum bonum, & poſſeſſio & apud Deum venerabilis, quæ ducit nos ad eum, & ſufficit ſola, & ſancti beatique illi qui mentem ei donant.* Quæ cum ita ſint, exiſtimandum eſt (quod viri doctiſſimi tradunt) alias inferiores ſcientias, quas humaniores litteras appellamus, non aliter neque diutiùs eſſe pertractandas: quàm vt animum ad Philoſophiam parent, *Amæniora iſta artium* (ſcribit Lipſius) *nos quidem probamus, & illo velut vomere proſcindi hoc animi ſolum & præparari ad ſementem cupimus. Sed præparari: veræ autem fruges, Philoſophia eſt, cætera herbæ & flores. Seria* (ait idem) *poſt illa ludicra addantur, & non ſerò; quid in littore conchas & lapillos legimus? venti vocant, nauis oram ſoluit. Recipe te ad ſapientiam, & in ea, vt in beato tranquilloq́ portu, conſiſte.* Hauſerat iſta opinor Lipſius ex ſuo Seneca. *tam diu* (Senecam cito) *iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil agere maius animus poteſt: rudimenta ſunt noſtra, non opera, rudimenta tamen vtilia ſunt; vt ſubſtructiones quædam ne alioqui iſtud Xenocratis cuidam amuſo & rudi aſperſum acetum effundatur, Abi, abi non enim anſas habes Philoſophiæ: ita enim ille litteras humaniores appellabat, Philoſophiæ anſas:* ſed anſas tantum. Quæ vtinam perpenderent Adoleſcentes illi, qui cùm

In manuduct. cap. 1.

Ibidem Lipſius.

Epiſt. 88. apud Lipſ. ſup. cap. 2.

in anſis, id eſt, litteris humanioribus tenendis quinquennio, ſexennio, eoque plus animum contriuerint: tempus operamque ſe perdere credunt; ſi biennium aut triennium Philoſophiæ ipſi comprehendendæ concedant. Videamus, quàm aliter ſibi faciendum eſſe viri omni ętate maximi cenſuerint. *Magno*, ait Lactantius, *& excellenti ingenio viri, cùm ſe doctrinæ penitus tradidiſſent, quidquid laboris poterat impendi contemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus, ad acquirendæ veritatis ſtudium contulerunt, exiſtimantes multò eſſe præclarius humanarum diuinarumq; rerum inueſtigare & ſcire rationem: quam aut ſtruendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere: nam & abieciſſe quoſdam res familiares ſuas, & renuntiaſſe vniuerſis voluptatibus conſtat: vt ſolam nudamq; veritatem nudi expeditiq; ſequerentur.* Addi poteſt, plurimos quoque fuiſſe, qui ſapientiæ comparandæ ſtudio partim in longiſſimis itineribus, partim in grauiſſimis laboribus ætatem conſumpſerint. Omitto hîc Pythagoram, Platonem, alioſque à religionis Chriſtianæ profeſſione alienos, quòd noſtrorum hominum exemplis minimè ipſi careamus: quos quia ſigillatim commemorare longum eſſet, omnium inſtar ſit è Capadocia magnus ille Gregorius Nazianzenus.

Præfa. de falſ. Relig. lib. 1.

Ex vita ipſius.

Parentibus Christianis oriundus is fuit, non opibus magis, quàm moribus claris. Adolescens litterarum amore incensus, Cæsaream primùm, musarum id temporis sedem est profectus: hîc præstantium magistrorum consuetudine plurimùm vsus, non exiguam puerilis doctrinæ supellectilem collegit: inde, vt oratoriam artem condisceret, in Palestinam porrò concessit, atque hinc Alexandriam adijt, quâ in vrbe cùm multùm politioris literaturæ sibi comparasset, tandem Athenas in optimam omnium disciplinarum Academiam, post fœdissimas tempestates enauigauit: ea in ciuitate Basilio, alijsque excultissimis viris potitus tantam in omni eruditionis genere facultatem est adeptus: vt dignus haberetur, qui eloquentiæ artem traderet.

Atque annum iam propè trigesimum studendo, peragrandoque confecerat: cùm ex doctâ peregrinatione ad suos reuersus, perinde ac si hactenus nihil profecisset, diuiniorem Christianæ sapientiæ partem, quàm hucusque ferè neglexerat, ita ardenter optare atque insequi cœpit: vt eius potiundæ studio, vrbes, forum, theatra, sophistarum turgentem fastum, principum ac magistratuum insolentiam, diuitum arrogantiam, gloriam fluxam ac fragilem, magnificas ve-

ſtes, auro atque argento nobilem ſupellectilem, picturâ & tabulis illuſtres porticus; cęteraq; decora, quæ potẽtium animis obludere ſolent, generoſo faſtidio contemneret, quod in illius vita grauis author tradidit. Quàm deinceps in eremi receſſu diligentiam aſſiduitatemque ſacrarum literarum ſtudio adhibuerit, quibus ſe vigilijs, curis, laboribus enecuerit, longum eſſet percenſere. atque iſta ferè pro inſtituto ſufficiũt. Agedum, Academice Adoleſcens, an vir ille tantus, alijque eiuſdem mentis quamplurimi, tot tamque moleſtas peregrinationes ſuſcepiſſent, tot, tamque ſplendida familiæ ornamenta abieciſſent, tot denique ſe ſtudiorum curis ſponte confeciſſent, niſi duxiſſent ſapientiam eſſe diuitijs, delicijs, honoribus, cęteriſque rebus, quas vulgus amat, longè pręſtantiorem?

Sapientiam igitur & tu eodem loco, parique in pretio habe, plurimùm profectò id tuâ intereſt: facilè difficultates, quæ plurimæ paſſim ad magna contendentibus occurrunt, calcabis, ridebis, imò ſpõte adibis: ſi id tibi habueris perſuaſum, quod Salomon hic monuit in vnius poſſeſſione ſapientiæ omnem, quę in mortali quidem vitâ reperiri poſſit, fœlicitatem eſſe conſtitutam.

ORA-

ORATIO.

Pro obtinenda æstimatione veræ sapientiæ.

CLamabat, ſapientiſſime IESV, ad te olim cæcus ſecus viam ſedens; IESV fili Dauid miſerere mei, neque aliud tum petebat, niſi vt videret lucem hanc breuem & ſubdolam, quam quotidie nox tollit, & atræ plerumque nebulæ obſcurant. Ego verò ad te clamo ex intimis præcordijs: vt te aſpiciam ſolem iuſtitię, lumen indeficiens. Igitur, ſapientia æterni Patris, ac ſplendor gloriæ eius; claude obſecro oculos meos, ne videant vanitatem: aperi, vt veritatem videam. Cæci mortales bona huius mundi, quæ bona non ſunt, & inter quæ orientia morientiaque vix momentum intercurrit, tanto ſtudio ſectamur & quæ æterna ſunt, ac vera bona negligimus: quæ verò iſta eſt filiorum Adam aut ſtupiditas, aut amentia? Da mihi, bone IESV, ô meum omne bonum; da mihi per tuam lucem, & gratiam: vt iſta vana reſpuam, ſapientiam autem, id eſt, te ipſum ſapientiam increatam ſupra res omnes æſtimem, qui es Deus meus & omnia. Amen.

Sapientiæ Amor. 3.



Hæc fax non fumans quamuis non vritur, vrit.

M. baes. f.




SYMBOLI EXPLICATIO.

Adolescens accede ad sacros hymeneos, Salomon mox aderit nuptiarum paranymphus: hodie tibi diuina sapientia in sponsam danda, en præsto est, si modò velis, & ames. Non amas? stolidus es profectò, & amens: quid enim? formam quæris? nil ea venustius: opes? nihil vsquam ditius: nobilitatem? nihil ipsius genere diuinius; quidquid cælo, terraq; bonum, optandumq; est, pro dote est, habetque ferè sibi vni istud proprium: amatores suos suâ pulchritudine pulchros, suis diuitijs opulentos, suâ nobilita-

te diuinos, & quidem æterno nexu efficit.

Si igitur amare, ſi procum agere, ſi matrimonio iungi lubet, ſunt hîc caſti amores, petitiones honeſtæ, ſanctæ faces: ſapientiam ama, pete, tibi iunge. adhuc tergiuerſaris? mauis fortaſſe inter porcos, procos, turpeſque Veneris amaſios, quàm inter generoſos ſapientiæ Hyppolitos verſari? ô probrum!



CAPVT SECVNDVM.

Sapientiæ Amor.

M O N I T V M.

Sapientiam ceu ſororem, ceu ſponſam amato, procator, ducito.

S A L O M O N.


DIc Sapientiæ, ſoror mea es: & prudentiam voca amicã tuam Prou. 7.

Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei: ſed & omnium Dominus dilexit illam. Doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. & ſi diuitiæ appetuntur

tuntur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia? ſi autem ſenſus operatur: quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex? & ſi iuſtitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum; ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei. Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Hæc cogitans apud me circuibam quærens vt mihi illam aſſumerem. Sap. 8.

Præpoſui illam regnis & ſedibus: & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. ſuper ſalutem & ſpeciem dilexi illam; venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Sap. 7.

MEN-



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Sapientia Adoleſcenti ducenda in ſponſam.

SI fortè, mi bone Adoleſcens, vernantis, calentiſq́ue ætatis ardor in amores te, coniugijq́ue cogitationem, ceu quidam intemperantis animi turbo, arripit: intempeſtiuum, inceſtum q́; ignem comprime, & diſce quid ſanctè & caſtè amare poſſis: ſunt enim ſui ſapientibus amores, ijdemq́ue caſti, ſunt & honeſtæ nuptiæ: eò tu conuola, agedum, quod paranymphus Salomon monet. *Dic tu Sapientiæ, ſoror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.* Sapientiam, inquam, ama vt ſororculam, id eſt, pudicè tamen; eamq́ue tibi iunge in ſponſam: næ ego vehementer fallor, niſi amicam & ſponſam accepturus ſis omni Venere venuſtiorem, potentiorem Iunone, Pallade doctiorem, fideliorem ipſa Penelope.

§. II.

Sapientiæ dotes, & quàm ardenter eam procatus est Salomon.

SEd ſummatim ab ipſiuſmet Salomonis ore eximias ſapientiæ dotes deprædicari audias, quæ ſapientiſſimum illum omnium mortalium ita in ſui admirationem amoremque rapuerunt: vt quòd ſuos ignes celare diutiùs non poſſet, ingenuè quantam ſapientiam deperiret profiteri coactus ſit. *Hanc*, ait, *amaui, & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam eam mihi aſſumere.* Quidni verò id faceret? *ſi enim pulchritudo*, quæ potentiſſima eſt animorum conciliatrix, & quæ ferè primum in ſponſa amari ſolet, *requiritur: pulcherrima eſt ſapientia.* Quare eo ſe telo ſtatim confixum fatetur, neque vulnus diſſimulat: *Amator*, inquit, *factus ſum formæ illius.* Iam ſi generis antiquitas nobilitaſque ſanguinis petitur: *generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei, ſed & omnium Dominus dilexit illam:* quippe de cælo generoſam indolem duxit, quæ eam numini ipſi charam familiaremque redderet: quâ ingenuâ nobilitate nihil ne fingi quidem poteſt diuinius.

nius. Porrò, si non tantum formosa & nobilis: sed etiam doctrinâ ac consilio (quæ non infima dos) præstans mulier viro ducenda: illa *doctrix est disciplinæ Dei, ac electrix operum illius:* vt pote diuinorum arcanorum conscia, eademque magistra ac interpres: *adhæc si in vita diuitiæ appetuntur, quid sapientiâ locupletius?* nullâ aliâ viâ compendiosius homines ad maximas opes, atque adeò ad summos magistratus, & imperia, aut grassentur, aut contendant. Denique si sensus rerumque gerendarum peritia, *si iustitia*, si cæteræ virtutes, quæ honestissimum amplissimumque est patrimonium, optanda in coniugio, maximeque amanda sunt, in vnius profectò ac solius sapientiæ amplissimo sinu hæc omnia, velut in ditissimo penu, condita reseruantur. *Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum:* vt postquam domum tanquam charissimam sponsam duxero; iucundissimam perpetuamque vitæ ac communium studiorum societatem ineam. Nimirum sciebam me coniugij iure ac fœdere vxoriarum rerum bonorumque omnium participem fore; suauissimosque tam sancti contubernij fructus percepturum. *Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius: sed lætitiam & gau-*

dium. Hæc cogitans apud me, circuibam quærens: vt mihi illam assumerem: præposui illam regnis & sedibus: & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. super salutem & speciem dilexi illam: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Vides iam, opinor, mi Adolescens, vt Salomon sapientiam amat: vt eius ducendæ desiderio ardet: nam circuire ac quęritare, accurati sanè sollicitique animi studium est: imò proci impotenter impatienterque ambientis. Nunc quid idem Salomon factitarit, quem non lapidem mouerit: vt sapientiam, quam optimè à Deo dotatam intellexerat, castissimo sibi coniugio adiungeret, aduerte.

§. III.

Salomonis vota, preces, studium pro ducenda sapientia.

IMprimis de cælo, vbi illa sibi sedem posuit, precibus votisque accersendam esse intelligens, numen precando fatigare cœpit: frui vt sapientiæ honestissimo coniugio sibi liceret. Sed hîc eum rursus suis verbis sua incendia promentem au-
Sap. 8. diamus. *Vt sciui quoniam aliter non possem esse continens: nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapien-*

ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum: adij Dominum, & deprecatus ſum illum & dixi ex totis præcordijs meis: Deus Patrum meo- Sap. 9.
rum, & Domine miſericordiæ, da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum. Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret; vt ſciam quid acceptum ſit apud te. Reliquam per multa capita prolixè diuque orantis precationem ſtudio breuitatis prudens omitto.
Atque ne verba tantum ac voces, quod 3. Reg. 3.
cuique in promptu eſt, iactatas fuiſſe arbitreris: idem poſtea Salomon cum cla- 2. Paralip. 1.
riſſimo totius regni magiſtratu tum vrbano tum bellico, in montem Gabaon: vbi tum Arca religioſiſſimè aſſeruabatur, venerabundus conceſſit, atque ad altare ſupplex, per ſacerdotum manus, non Pythagoricam hecatomben: ſed mille victimas ſapientiæ à Deo impetrandæ causâ ritè obtulit. quem verò adeò ſumptuoſæ atque armatæ preces non inflecterent? ergo paulò pòſt altâ nocte inter dormiendum cum etiam in ſomno (vt acriter coquentibus curis fieri aſſolet) diuinas cogitationes reuolueret: atque à nu-
mine

mine ſibi viſo poſtulare iuberetur, quid potiſſimum vellet, illeque ſapientiam, quam vigil perdius optarat, pernox ac dormiens etiamnum iterum iterumque efflagitaret: repentè ſopito ſibi diuiniſſimum lumen, tantamque reconditiſſimarum rerum agnitionem affundi ſenſit: quanta hactenus conceſſa fuerat nemini. Theologorum Phœnix Aquinas Salomonem docet dormiendo ſapientiam minimè promeruiſſe, neque accepiſſe: ſed in ſomnis audiuiſſe tantùm oraculum, quo infundenda diuinitus ſapientia promittebatur, ſi modò ad preces exercitationes pręterea, ſtudiumque adhiberet, honeſtis diſciplinis vacaret, ſapientes denique & magiſtros audiret: quod ex nonnullis ipſius Salomonis ſententijs colligi poſſe videtur. Ita nihil eſt in Salomone, vnde oſcitantibus, & minimè ſollicitis dari ſapientiam arbitremur. Illa igitur nocte, poſt diuturna ſtudia, longos gemitus, repetita vota, opimaque ſacrificia, ſapientiam inter Salomonemque ſponſalia ſunt contracta, ac deinceps nuptiarum illæ fuere faces accenſæ, quas ne ſecuta quidem poſterioris ætatis flagitia ac ne mors ipſa prorſus extingueret. Non iam igitur tam verbis, quàm ſuo te exemplo diuinus Salomon ad connubiales ſapientiæ,

pientiæ tædas, castosque hymeneos inuitat. Et arderes profectò istius sponsæ, neque fortasse lentiori flamma: si quam ille contemplabatur animo sapientiæ speciem ac formam fas quoque tibi esset propiùs fixiusque contueri.

§. IV.

Diuinæ sapientiæ species S. Iustiniano quondam spectata.

Licuit verò istud olim, & quidem multò, quàm Salomoni, puriùs sanctiusque sancto Iustiniano optimo Venetorum patriarchæ. Quæres quemadmodum acciderit, quantosque in animo ipsius ignes ac motus excitauerit, velim ipso stylo veteri, id est, candido & aperto exponat. Ita igitur sine cerussa & fuco, rem prout erat ipse scribit. *Venite Io sectatores pacis & inconcussi boni amatores: eram & ego aliquando vestri similis quærens anxio æstuantique desiderio pacem in extrinsecis: nec inueni. Tandem diuina præuentus gratiâ dum sic laborarem, speciosissima quædam, sole splendidior, balsamoque suauior mihi apparere dignata est cuius ego nomen ignorabam: hæc namque propius accedens venusto vultu, placidoque affatu inquit. O Iuuenis in* In fasc. amoris c. 16.

me

me diligende, cur effundis cor tuum, pacemq́ sectando variaris per multa? quod quaeris in me est quod concupiscis tibi polliceor spondeoq́ue: si tamen me in Sponsam habere volueris. Fateor quoniam ad eloquium illius elanguit cor meum, & amoris eius iaculo trãsfixus sum. Compleuit quadam insolita lætitia mentem meam, & omnia interiora mea tali exultatione perfusa sunt. Cùm verò in his positus nomen ipsius, dignitatem, & genus scire peroptarem: adiecit se Dei sapientiam vocari, & esse, quæ in temporis plenitudine pro hominum reconciliatione humanam formam suscepit, & quæ ante inuisibilis erat cum Patre, visibilem naturam, vt amplius amaretur, accepit ex Matre. Cui cum ingenti gaudio præbuissem assensum dato pacis osculo lęta discessit. tunc & deinceps amoris illius flamma excreuit, memoria viguit, ac dulcedinis illius abundantia perdurat. Hanc itaque amaui, vt sponsam: hanc vt carissimam tenui, ipsaq́ mediante pacis bonum, quod antè quæsieram, gustaui. Hortor vniuersos properare ad illius speciẽ, quia lætissime suscipit omnes accedẽtes ad se, pacisq́; inebriat poculo: ita vt vltra sitire non possit. Hactenus Patriarcha Venetus eadem, quæ Salomon, pręcipiens, teque cum illo rogans, Adolescens Academice, egregijs vt sapientiæ dotibus diuinâque specie ante oculos propositis, ad illius

san-

ſanctos amores pellici te ſinas: ideò enim ante ingreſſum in Academiam ara olim, & caſti amoris ſignum collocabantur: vt Academici iuuenes ſcirent ſapientiam, vt numen quoddam, pudicè ſibi diligendam eſſe. Id ergo age, ſapientiam tibi eblandire, primum vt ſororculam, tum vt amicam procare, duc deinde in chariſſimam ſponſam: denique cum ea ini perpetuam vitæ honeſtorumque ſtudiorum ſocietatem. Quidni tu ſapientiã quoque ardentiſſimè ames, nulliſve aut laboribus, aut difficultatibus deterreare, quin potiaris? Quam ob cauſam putas ſupremum rerum molitorem Deum homini rationem, quâ à beſtijs diſtinguimur, conceſſiſſe: niſi vt rerum creatarum cognitione, id eſt, Philoſophiæ ſtudio, in creatoris cognitionem, qui Philoſophiæ finis eſt, amoremque veniamus? quorſum eum ſtatim in mundi medio, quaſi in theatro, ſapientiſſimus ille opifex cõſtituit, corpus erexit, oculos ad omnem partem volubiles in capite velut arce collocauit? niſi vt mentem hac ratione, quoquo verſus oculi & vultus ſpectarẽt, conuerteremus: atque conſideratis primum ijs, quæ propiora ſunt, & quæ calcamus: mox conſpiceremus ea, quæ nos ambiunt: atq; ex his gradum faceremus

pau-

paulatim ad elementorum,cælorum,cæ-
lestiumq; rerum contemplationem: po-
stremò ex toto opere opificem,cognosce-
remus,coleremus. Itaq; allubescere tan-
tum cuique hoc studium debet,quantum
hominem se esse & dici amat. Amor verò
hic, desiderium & conatus tanta sint o-
portet, quantũ rei tum dignitas tum ho-
nestas atq; vtilitas,& Salomonis,aliorũq;
quos diximus, exempla postulant.

§. V.

*Finis, ordo, modus etiam, in studio sa-
pientiæ præfiniendus.*

VErùm hic mihi retinendus es, Ado-
lescens Academice, ne in sapientiæ
amorem studiumque tam cæco, tamque
amenti impetu rapiare: vt neque finem
eum, quem oportet,neque ordinem,mo-
dumque aduertas. quo in genere neque
pauci, nec leuiter errarunt:sunt enim, &
fuere olim, qui ad Philosophandum ve-
nerunt non tam ad veritatis inquisitio-
nem, quàm ad rabularum sophistarũ ca-
uillationes & argutias addiscendas: neq;
ad propagandam vel propugnandam re-
ligionẽ, sed depromptis ex Philosophiæ
armamentario machinis, ad turbandam
pri-

primum; deinde, si possent, expugnandam: qua in re, tum stolidissimè, tum impiissimè fecerunt: quod duas sorores germanas, sapientiam & religionem, quæ tanto nexu cohærent: vt ne cogitatione quidem diuelli se patiantur, distrahere conati sunt. Quare is ad Philosophiam appellenti finis constitutus sit inquisitio veritatis, cultus Dei, propugnatio propagatioque veræ religionis; qui idem est vitæ humanæ scopus: cætera verò omnia Magistri, condiscipuli, libri sint eiusmodi: vt ad eum, quem dixi, finem quasi manuducant. Ergo tanquam pestes fugiendi erunt errorum & falsitatum præceptores; improborumque consortiones: neque minùs libri illi ablegandi, qui falsa aut peruersa dogmata explicant, & errores atque vitia progignunt. Quamdiu Agar & Ismael cum Sara & Isaac concordes esse volunt; ita vt ancilla & seruus Dominæ eiusque filio pareant; in domo Abrahæ retineantur. Philosophi, inquam, legantur probenturque; quamdiu veritati ac religioni consenserint, & ancillari minimè recusarint: alioquin è Christianorum scholis exturbentur. Placetne Basilium etiam audire in eos declamantem, qui nullum sibi studiorum scopum, aut alium, quàm oportet, constituerunt?

Basil. quomodo leg. Ethnic. libri.

tuerunt? *Cùm gubernator*, inquit, *haud temerè se ventis committat: sed nauim rectà gubernet, ac moderetur ad portum, & sagittarij ad metam ac scopum iaculentur. Item fabri diligentià aut architecti arte suâ rem ad finem aliquem perducant: nos talibus artificibus sapientià inferiores simus ad planè consideranda, quæ ad nostri animi profectũ faciunt? erit itaque operariorum consideratio finis operis, & humanæ vitæ consideratio finis non erit? quem proculdubio finem respicere, ac eius gratia cuncta facere, & dicere illum qui brutis æquiparari non cupit, oportet: quo sanè neglecto nostra mens veluti sine arte nauigium, nullo assidente ad gubernaculum, temerè huc illuc exagitatur.*

Sed quis aut finis, aut ordo, aut modus seruandus hîc sit, omnium suauissimè scitissimeque docuit S. Bernardus:

Sermone 36. in cantica.

Quo ordine? ait, *vt id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, vel aliquid simile: sed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi: sunt namque, qui scire volunt eo fine tantùm: vt sciant, & turpis curiositas est: & sunt, qui scire volunt: vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est, & sunt item, qui scire volunt: vt scientiam suam vendant; verbi gratiâ pro pecunia, pro honoribus, & turpis*

quæstus

quæſtus eſt: ſed ſunt quoque, qui ſcire volunt: vt ædificent, & charitas eſt: & item, qui ſcire volunt: vt ædificentur, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli vltimi duo non inueniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere: vt benefaciant. Atque hic idem finis fuit, ordo, moduſque ſtudiorum; quem tum S. Parens ordinis noſtri Ignatius socijs, tũ ſocietas ſuis diſcipulis præſcribunt, AD MAIOREM videlicet DEI GLORIAM, Animarumque ſalutem.

ORATIO.

Ad excitandum amorem & deſiderium veræ ſapientiæ.

AMo DEVS meus, amo ſapientiam: ſed tuam; ſed teipſum, qui es ſapientia, & verbum æterni Patris. & vtinam ardentiùs amem te, ô pulchritudo tam antiqua, & tam noua! ſerò licet, ſeriò tamen amare te volo. Ecce ſapientiæ dico, ſoror mea es, & prudentiam voco amicam meam. Super ſalutem & pulchritudinem diligo ſapientiam, ac propono pro luce habere illam: vt veniant mihi omnia pariter cum illa. Hanc amo, ac ex-

quiro à iuuentute mea: amator factus ſum formæ illius. Verùm ſciens, quoniam aliter illius continens ac compos eſſe non poſſim, niſi tu dederis; & hoc ipſum ſapientia eſt, ſcire cuius ſit donum: ideò ſapientiſſime IESV, ex intimo cordis mei affectu deprecor te: mitte illam de cælis ſanctis tuis; & à ſede magnitudinis tuæ: vt mecum ſit, ac mecum laboret: vt eâ hîc aliquando potitus in terris, eâdem in cælis æternùm perfrui poſſim. Amen.




SYM-

Domus Commoda delectus. 4.



Hoſpes non ſemper ab Hoſpite tutus.





SYMBOLI EXPLICATIO.

Miſelle Adoleſcens,rimarum pleno lintre,maleſanâ,inquam, ætatis cymbulâ malè vectus, & quidem ſedente ad clauum gubernatore cœco & temerario, quo tendis, & quonam euades tandem ? nam Academia, ad quam veluti portum nauigas, neq; portus, ac ne fida quidem ſtatio eſt; tempeſtuoſum eſt mare: pridem monueram.

Hic Scillæ latrant; Syrtes fremunt: Charybdes reboant: latent irarum, gulæ, inuidiæ immanes, multorumq́; naufragio infames ſcopuli: hîc denique blanda illa libidinum pericula Syrenes eludunt. heu ? ne ad

hęc ſaxa adhæreſcas: iam aliqui alijs etiam modis perierunt, paue, & vel ſic caue: olim, & verè dictum, qui pauet, cauet.

Præteruola, euola. viden' vt in rupis tuto receſſu ſapientia ſuperior ſpumantis freti eliſos, eluſoſq; fluctus, & fruſtra minaces procellas ridet? eò nauiculam applica, & niſi perire amor eſt, fortiter alliga. rectè habet; excuſsâ fortunâ ad clauum ſedere diuiniſſimus, ætatis prę ſertim tuæ, gubernatòr Salomon cupit; ille in tutam illam ſapientię ſedem nauim propellet; ſequere.



CAPVT TERTIVM.

Domus commodæ delectus.

MONITVM.

Domum ſapientiæ aptam ſtudijſq́ue accommodam deligito, improbamq́ue & incommodam fugito.

SALOMON.



Apientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem. Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Prou.9.

Mulier ſtulta & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam in excelſo vrbis loco, vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo; qui eſt paruulus, declinet ad me. Et vecordi lo-

cuta

cuta est, & ignorauit quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius: ibidem.

Resili, ne moreris in loco, neque conijcias oculos ad eam; ita enim transibis aquam alienam, vbi præcipitant aquæ. ibid. Exod. 7.

MENTIS SALOMONICÆ
INTERPRETATIO.
§. I.

Amentis est hominis, habitationem minimè deligere.

APes ad mellificium, aues ad nidos construendos locum opportunum deligunt: imò & syluestres feræ speleorum delectus habent: vt meritò brutis animantibus insipientiores ij haberi debeant: qui, vbi studiorum causâ in Academiam venerint, statim, ac temerè in eam se domum intrudunt: simul ac socij, vel sonora crepitacula heræ & ancillæ garrulæ, huc, huc acclamarint: cùm interim noui isti aduenæ nec hospitem, nec hospitam, nec hospitium satis cognorint:

rint: ita fit, vt cœcâ tẽpestate in malefidam stationem delati periculosissimo errore, atque velut ad quodpiam saxum affixi, in pręsens se turpissimi naufragij periculum sponte conijciant: quâ dementiâ quid fingi possit absurdius, haud video: nam quis sanæ mentis in voluntariam perniciem se induat? sunt nonnullæ res, quarum delectus in nostra potestate non sit: vt quando communi curru aut naui publicâ iter faciendum: ferendum enim tunc, quoscunque tibi comites Auriga, Nauta, sors dederint: vt autem hospitium pro consilio & arbitrio tibi ipsi sumas, fas iusque apud omnes concedunt. Chilonem narrat Plutarchus, cùm ad cœnam vocaretur, non antè promittere solitum: quàm eorum, qui eodem inuitabantur, nomina sigillatim audiuisset: quod diceret cum quibusdam necesse esse vna nauigare, aut militare, eorumque, molesto licet, conuictu atque contubernio interim vtendum, velis nolis: vltrò autem quibuscunque se admiscere conuiuis, non videri hominis bene sani. Non minus ego quidem sentio, insanire & ineptire Academicum Adolescentem, qui vrbem ingressus conuolat in domum planè nesciens, quem istic dominum, quosue conuictores sit habiturus: quo ex

ex imprudentis animi vitio, quid mali formidandum ſit, quis non videt? Apollinem caſtum, & virgines Muſas quæris? at forte ibi, quò præceps diuerteris, Bacchus degit, neque iſta domus eſt: ſed popina; fortaſſis etiam lupanar, vbi lupæ, leoneſque lenones ſtabulentur: atque vtinam exemplis nouis, ac priſcis careremus! Adoleſcens innocentiſſimus Ioſeph in malâ domo, quò eum neceſſaria ſeruitus intruſerat, heram reperit, quæ tentare ipſius pudicitiam incredibili furore, præcipiti amentiâ auderet. Samſonem quid perdidit? Dalilæ, impudentis ſcilicet mulierculæ, contubernium: in huius enim hoſpitio Hercules iſte virorum fortiſſimus viribus cum crine reciſis, factâque proditorum irruptione libertatem ac vitam amiſit. & quoties, eheu! caſus pares, & æquæ funeſtos in Academijs vidimus, & luximus? at nunc me fortaſſe rogas quodnam ſtudijs probiſque moribus commodum hoſpitium deſignem?

Gen. 39. Iudic. c. 14.

§. II.

§. II.

Quæ domus Academico Adoleſcenti procuranda, quæ vitanda.

SI me audis, hęc tibi præcipua cura incumbet: eam vt ſtatim ſedem deligas, quæ eadem ſit ædes ſapientiæ, non turpitudinis domicilium. At vbi, aut quę eſt iſta ſapientiæ domus? quaſi verò latere quemquam curioſum præſertim poſſit? ſeptem columnis, & ſuo ipſo ſitu ſpectabilis in oculos ſtatim incurrit, eamque Salomon digito intento, ne quem fallat aſpectus, demonſtrat. *Sapientia,* inquit, *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem: miſit ancillas ſuas: vt vocarent ad arcem.* qui locus, etſi pertineat ad Salomonicum Gymnaſium illud toti mundo famâ celebre, quod ſeptem intercolumnijs illuſtre olim in altâ Sionis arce, ad ſeptem artes in totidem exedris tradendas, viſebatur: opinor tamen ex ſapientiæ illa domo, ſi totius loci naturam, ſitum, opportunitatemque attendas: cognoſci facilè poſſe, qualem domum optare debeat, qui ſapere velit. Iſtud in Sionæo monte exędificatum collegium in ſaluberrimo loco proſtabat, eratque à templo

templo & religionum ſacrario non procul: at longè à foro pecuario, ab operarum nundinarumq́ue tabernis, quę in inferioris vrbis parte ſpectabantur. Atque ad eam arcem, & cælo ſaluberrimam, & alijs ſtudiorum pertractandis opportuniſſimam, miſſis ancillis, quaſi pręconis voce ſapientia ſui ſtudioſos inuitabat his verbis. *Si quis eſt paruulus, veniat ad me.* Ita igitur locum in primis deliges editiorem amœnioremq́ue, ſolis cæliq́ue ſalubrioris. Facit hoc non parum ad firmam corporis valetudinem. Amant Pallas ac nouem Muſæ ſedem quietam, & otijs opportunam: inter tumultuantium locorum aut hominum ſtrepitus coli ſe minimè ſinunt. Quare in montibus & intra nemorum receſſus frequentiùs habitant, infra vndique allicientibus alludentibuſque aquularum riuulis; hinc toties Pindus, Hæmus, Parnaſſus, Caſtalius amnis, Aganippe Pegaſeiq́ue latices in poetarum libris quaſi ipſis carminibus adſibilant, & exaudiuntur. Quid quod 70. ſacrorum librorum interpretes diuinum ſuum opus aggreſſuri ab vrbe regiâ Ptolomæiq́ue aulæ fremitu in amicos ſyluarum ſinus receſſerunt? Denique Lycæum Ariſtotelis, Platonis Academiam, Ciceronis Tuſculanum, aliaq́ue doctorum

doctorum virorum Musæa in reductis locis & lucis, non in foris, aut platearum compitis extiterunt. Hoc ergo primùm: locus, quem incolas, situs sit in fundo salubri, idemque tumultu ac strepitu vacet: non istic esculenta, poculenta ac scruta vendantur, nullæ cauponæ, ne in vicinia quidem: non salsamentarij, salgamarij, myropotæ, fabri ad incudem, alijvé qui dies totos obtundunt, vel occlamitant: non colludentes, aut concurrentes pueri ac puellæ; multò minùs foris fora & nundinæ, obstrepant: domi autem lalantes & illachrymantes infantuli. perturbant hęc omnia animos ac ab eruditis cogitationibus, doctisque curis auocant.

Tum verò (quod caput est) sapientiæ veluti templum quoddam sit domus, in quam hospitandi causa diuertes. Sapiens, inquam, sit dominus, sapiens hera, sapientes ancillæ, sapiens (vno verbo) tota familia: ad eam sapientibus, religioni, virtutique ipsi aditus semper pateant, vitijs atque flagitiosis hominibus fores omnes occludantur. Hic ista cauenda, ne herus ac liberi helluones sint, ac ganeones: fit enim alicubi; vt aliquando hera, filię familias ac ancillę, non dico sint scorta, at ne saltem perfrictę sint frontis mulier-

mulierculæ libidinum incẽtiua ac faces vide. Perijſti miſer,ſi eò incideris. atqui frequentiùs incurrunt iſtæ Syrenes in Academijs, quàm in Peloro Sicilię promontorio: vbi blanda illa maris pericula voce, tibijs, cytharâ, facto ad cuiuſque prçteruehentis ingenium geniumque lenocinio cantant, ac incantant reuera: niſi (quod olim Vlyſſes & ſocij fecerunt) malo te adſtringas, & ocyſſimè præteruoles. Hic verò, ne exterus homo ac peregrinus, decipiaris, Academice Adoleſcens, Sapientiſſimus Salomon heram iſtiuſmodi exitioſam Academiæ Syrenem, aut eius filiam, aut ancillulam ita affabrè velut in pictâ tabellâ exhibet: vt de vultu ac ore ſtatim agnoſcas; ſi oculos tantum aperueris. *Mulier*, inquit, *ſtulta & clamoſa*: vt quæ inſipientiam ſuam inſanâ vociferatione palàm prodat, *plenaq; illecebris*: lenocinia iſta ſunt tum formæ, tum verborũ. interim *nihil omnino ſciens*, quid verò agit? nihil etiam omnino. *Sedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam, in excelſo vrbis loco*; non quietis aut receſſus amans: ſed in editiore parte quaſi ad aucupium; ſcilicet, *vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo*. Simulat autem Sapientiæ & vocem & verba: *Qui eſt paruulus* (clamat) *declinet ad me: & vecordi*

cordi locuta est: quid locuta est? tacet hîc quidem Salomon: at Philo, postquam personę illius habitum geniumque etiam ad viuum expressit, eiusdem orationem omnem ac loquelam ipsam ita refert: vt non modò audire, sed etiam videre videar. placet ipsius verbis scenam hanc omnem peragere. *Accedit*, inquit Philo, *cum ornatu meretricio, fracto incessu præ mollicie, obtutu lasciuo, inuncans animos iuuenum, temeritatem & impudicitiam præferens in oculis, elatâ ceruice, super natiuam staturam assurgens, ridens, cachinnabundaq́ue, calamistrata & concinnata, fucata faciem, pictis superciliis, recens lota, purpurissata, preciosofloridoq́ue amicta palliolo, aureis gemmatisq́ue armillis superba & murenulis, mundoq́ue muliebri cætero spirans vnguenta fragrantissima, non tam domum suam, quàm fora compitaq́ue diligens, petulans, sua formæ prodiga, ascititia vero auida*. quonam verò in comitatu? *cum ea pedissequę domesticę vafricia, iniustitia, nequitia: quibus stipata more principis sic pertentat animum*. Hic iam tu mihi, bone Adolescens, sepi aures spinis, quæso, ne Syrenum illices cantus audias. *Heus tu*, inquit illa, *omnium humanorum bonorum thesauri apud me sunt reconditi: apud me est relaxatio, securitas, quies, laborum obliuio, vtensilium varietas, vocum modula-*

Tractatu de mercede meretricis.

dulamina. Satiſne? *Luxus in cibo potuque, odorum ſuauiſſimorum plurimæ ſpecies, amores perpetui, luſus licentiſſimi, ſermones ſine reprehenſione, actiones ſine caſtigatione, vita ſine ſollicitudine, ſomnus molliſſimus, ſatietas inexplebilis.* O Circem! Medeam! triuenefícam orationem! pergit. *Perinde, ſi tibi placet meum contubernium: parata habebis in hac omni copia, quæcunque delectant: maximè mihi erit curę, ne quid deſideres eſu potuve ſuaue, aut oculis auribuſq; gratum & naribus: potieris enim rebus omnibus, quaſcunque concupiueris, pluribus in abſumptarum locum ſubſcatentibus.* Quid ad cupidam voluptatum ætatem dici poteſt accommodatius? heu me! aureo illo calice hauſit iam quiſpiam præſens venenum. ergo illecebroſarum blanditiarum glutine captus trahi ſe ſinit in infortunatam domum, in caſſes, in laqueos, in certiſſimam perniciem, & (vt ad Salomonem, à quo nos Philo tantiſper abduxerat, redeamus.) *Ignorauit miſer, quòd ibi ſint gigantes, ac in profundis inferni conuiuæ eius: qui enim applicabitur illi: deſcendet ad inferos:* Iam planiſſime actum eſt; funditus perijſti miſer, poſtquam in ſtygium iſtud hoſpitium incidiſti: non iſtic hominis, id eſt, viri cuiuſpiam humani domus eſt: ſed gigantis, ſed Cacodæmonis: (quæ Hebræi textus eſt expli-

explicatio) istic malus dæmon cauponatur, istic instrumenta habet artis suę, istic nequitiam suam exercet. O diras epulas! ô mensas exitiales! ibi rides & festiuus cum socijs prandes; at breui cum tuis illis compotitoribus ac conuiuis cænabis apud inferos: is enim est tandem perditi illius contubernij finis, funestissimusque exitus. Quid verò tum consilij cum ista iam te tempestas absorpserit? nec dum omnino conclamatum.

§. III.

Statim mutanda sedes, si quam in malam domum incideris.

AVdi 70. grauissimorum senum sententiam & sequere: ita illi ad Salomonicam paulo superiùs allatam præceptionem è suo, quasi per interpretationem, subtexunt. *Resili, ne moreris in loco: neque conijcias oculos tuos ad eam: ita enim transilies aquam alienam, vbi præcipitant aqua.* Cuius saluberrimi consilij hic est sensus ad rem præsentem plurimum pertinens: peregrinis aquis profundum quoddam præcipitium est domus improbæ hospitæ: si fieri possit clausis oculis

prẹteruola; vt ne quidem per transennam videas, pereasue: quod si ingressus, vel veriùs, præcipitatus es in altum malorum istud pelagus: *heus resili, ne moreris in loco*: sed statim casu admonitus emerge, & alio in tutam stationem demigra: exempla hic etiam habes, quę imiteris. Ioseph, quem paulò antè memorabam: vt primùm ab impudica hera tentari pudicitiam suam sensit: nihil immorandum ratus veluti viso angue pedem retulit, relicto etiam in peruicacis mulierculæ manu pallio. Visu & glutine captus es? vim tibi infer, tricas & laqueos exue, ac aufuge. Scribit Plutarchus Antigonum, virum facile principem, cùm Dianæ Antistitam vidisset excellenti formâ prẹstantem, è vestigio Epheso cum socijs excessisse: *Abeundum*, inquiebat, *ne quod vel inuitus incestum ac turpe flagitium oculis primùm, mox toto animo hauriam, aut designem.* Igitur domicilium ille in tota vrbe satis tutum nullum sibi fore ratus est, in qua vel vnica habitaret speciosa mulier: quæ fulminaret oculis (vt cum S. Hieronymo loquar) id est, suo aspectu & afflatu diram oculis animisque perniciem crearet: quo in genere laudis, nescio an haud magis excelluisse credendus sit Antigonus alter, de quo sermo est apud eundem

In Apoph. Græc.

In quadam Epist.

eundem ſcriptorem: hic enim, cùm Philippus eius filius tum adoleſcens ardenter optaret apud viduam fæminam diuertere: cui tres filiæ erant formâ inſignes, vocato ad ſe eo, qui deſignandis hoſpitijs præerat: *Non tu*, inquit, *filium meum ex iſtis anguſtijs expedies*? Anguſtias ac pedicas vocabat domos, in quibus Adoleſcentum pudor periclitaretur. Idem exiſtima, Adoleſcens Academice, in tuto, inquam, fac habites, eoſque lares ac penates incole, in quibus vitijs excluſis ſoli virtuti ac ſapientiæ ſacra fiant: hoc pridem monuimus. At quiſnam tandem, inquies, iſte eſt locus, quem mihi pridem deſcribis, ſaluber, idoneuſque valetudini, honeſtis ſtudijs ac probis moribus, & quam identidem ſapientiæ ſedem appellaſti?

§. IV.

Seminaria, & collegia commendantur.

DIfficile eſt, fateor, in tam fortunatas inſulas enauigare: in quibus præſertim iſta omnia affatim, quę requiro, ex ordine, atque exactè reperiantur: optandumque illud fortaſſe magis, quam

ſperandum: tamen adhibitis ad exquiſitionem obſeruationemque viris prudentibus, & multo ante per literas, aut coram conſultis cordatioribus, Deo propitio, nanciſceris, obtinebiſque aliquid, quod ſaltem minus incommodet muſis, ac vitæ probitati.

Quodſi virum quempiam honoratum, huiuſmodi, (inter Academicos pręcipuè) repereris, qui probè ac piè familiam adminiſtret; neque vitia domi toleret, eum adibis: ſi voles, non reluctabor: ferè tamen (niſi mea me fallit opinio) ab Adoleſcentibus Academicis, Philoſophiæ præſertim ſtudioſis, Seminaria & Collegia tutiùs fructuoſiuſque habitantur: atque ipſa inprimis nomina Seminariorum Collegiorumque ad ſe inuitant: ſiquidem Seminaria campi ſunt & horti, in quibus ſatiuæ arbuſculæ, tanquam in pinguiori ſalubriorique ſolo, ſub peruigili moderatorum curâ vtiliùs educantur: vt in rerum præſtantiſſimarum ſpem & frugem aliquando adoleſcant. Sunt etiam Collegia cœtus optimorum Præſidum, ac Præfectorum; quorum vigilantiâ animi Adoleſcentum ad litterarum, bonorumque morum ſtudia certis officiorum legibus diriguntur, & ad munus rectè obeundum (ſi opus eſt) adiguntur.

Et optandum quidem esset fortassis: vt sanctior alicubi disciplina seruaretur, & subinde seueriores adessent studiorum morumque præsides: vt tamen hæc desint, saltem à Magistris ipsis, quid eo loci à quoquam agatur, cùm quærere libuerit, facilè resciri vtcunque, & monitionibus atque increpatione nonnunquam acriore corrigi potest: à mensa saltem, à foco, à triclinio, à cubiculis absunt fœminæ, periculosissimum animalium genus: quam vnam rem tanti duco: vt meritò cordato cuique parenti pro liberis Seminaria, Collegia, pædagogia præ plurimis priuatorum ędibus deligi debeant. Nihil de solo cæloque, quod ferè quietissimum commodissimumque eiusmodi sedibus extruendis designari solet, dico, nihilve de alijs adiumentis ac præsidijs, quæ ad bonam studiorum vitæque rationem instituendam ijs potissimum in locis reperiuntur. Nam dic, quęso, vnde alioquin ex istis velut Equis Troianis tot existere videmus Adolescentes optimè à litteris & virtutibus instructos? nisi quia ijs potius in locis sedem ac domicilium sibi figi sapientia ipsa constituit. aut quâ aliâ de causâ tot viri sanctitate atque eruditione pręstantissimi, in Tridentina Synodo, ad religionem partim stabilien-

dam, partim reſtaurandam, collapſoſque mores erigendos coacti, Seminaria in Academijs exſtrui voluerunt, aut etiam ipſi exędificarunt, fundarunt, dotarunt? multa in hoc genere ac multos laudare poſſem: ſi excurrere aut fas, aut animus eſſet. Verùm de domorum habendo delectu dictum à me hoc loco ſatis, vereor etiam vt prolixior fuerim.

ORATIO.

Pro luce diuinitus impetranda, ad reperiendam ſedem ſtudijs & moribus accommodatam.

APpuli in Academiam, & vti nauta in portu naufragium timeo. Hei mihi! Domine Deus, quantus me æſtus, quantus turbo arripit! quàm feruet & tumultuatur mare! nam totus hic mihi redit à marinâ belluâ voratus Ionas. Dirige, Domine, in æſtuanti ſalo fluctuantem nauiculam. Quot hic ſunt pericula? ſolus mihi Salomon minimè ſufficit: mitte lucem tuam; vt me dirigat: mitte & Angelum tuum ſanctum de cælis, qui ad proram optimus magiſter ſedeat: vtque Raphael olim Tobiam iuniorem è domo

paternâ

paternâ in exteras oras profectum, per omnes suæ peregrinationis vias illęsum, primùm in optimam Raghuelis ac Saræ domum duxit: deinde incolumem & bene fortunatum ad suos reduxit: ita bonus quispiam Angelus meum sic quoque cursum regat: vt hic primùm in bene tutam aliquam ac fidam stationem, ac postremò ad æternæ fœlicitatis portum pertingere valeam. Amen.



Delectus Sociorum. 5.



Delige, quos diligas. VB. f.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Miſcentur paſſim bonis mali, non eſt aliter hic Mundus; vt in areis grana & paleæ: Pauonis ad ſolem ſuperbè ſe rotantis pedes tangit demiſſo capite modeſta ouis. Laſciuus fœtet caper prope ripam, vbi niuet purus olor, ipſe dente minax aper horret in ſyluis, in quibus cornutus licet ceruus, non difficulter tamen manſueſcit.

Magnâ hic arte opus, vt deligas, quos diligere ſine nocumento poſſis, ſumaſque tibi eos, quorum conſortione euadas melior. Mercurius ipſe, licet calliditate valeat, vix hîc valet

let ſatis; Salomone opus eſt.

Exemplorum, conſortionumq́; vis tanta, quanta maxima, id in vtramque partem, quid valeat vſus magiſter pridem docuit: ijs ſimilior euades quibus te applicueris, ater, albus eris; prout fuerit paries, cui latus affricueris, lanæ imbibunt, inficiunturq́ue, prout purpurarij intinxerint.

CA-



CAPVT QVARTVM.

Delectus sociorum.

M O N I T V M.

Bonis te socijs adiungito, ab improbis caueto.

S A L O M O N.




Vi cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis efficietur. Prouerb. 13.

Si intrauerit sapientia cor tuum, & prudentia seruabit te, vt eruaris à via mala, ab homine, qui peruersa loquitur: qui relinquunt iter rectum, & ambulant vias tenebrosas; qui lætantur cum malefecerint & exultant in rebus pessimis: quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum. Prou. 2.

Fili

Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint; veni nobiscum, insidiemur sanguini; sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum. Fili mi ne ambules cum eis. Prou. 1.



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Vis sociorum in vtramque partem.

HOmo quidem animal est sociale, vitæ victusque communis amans: hinc enim existit studium illud homini tam innatum asciscendorum tum sociorum, tum amicorum; *Quomodo*, ait Seneca, *hominem homini natura conciliat: sic inest huic quoque rei stimulus qui nos amicitiarum appetentes faciat.* Verùm hic statim cautio illa adhibenda: ne, vt in quemcumque fortè incideris, eite mox adiungas: néve amicitiam consuas, quæ tibi subitò dissuenda sit. Quâ de re idem Seneca

Epist. 9. ad Lucil.

neca sapienter Lucilium suum admonet. Epist. 3.
Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: diu ante, inquit idem, *Circumspiciendum est, quibuscum edas & bibas.* Epist. 19. Solonis Salamini istud celebratur: *ne statim quosuis in intimam familiaritatem admittito*, hoc verò Chilonis Lacedæmonij, *Amici habitum, indolem, mentemq́ aliorum explora:* quos duos viros meritò Græcia in sapientum numerum retulit. Plutarchus De Adulat. internosc. æquè sapienter, *primum probandi, antequam adsciscantur in amicitiam: sicut numisma, ita Amicum oportet habere, antequam vsus postulet, probatum: alioqui idem nobis vsu veniet, quod ijs, qui gustato demùm veneno, sentiunt id esse lethale, indiciumq́ ipsum hoc suo constat exitio.* Itaque plurimum interest, quibuscum assueueris: *Sumuntur à conuersantibus mores* (ait iterum Seneca) Lib. 3. de Ira c. 7. *& vt quadam in contactos corporis vitia transiliunt: ita animus mala sua proximis tradit: eadem ex aduerso ratio virtutum est: vt omne, quod secum habent, intingant. Nec tam valetudini prosit vtilis regio & salubrius cælum, quàm animis parùm firmis in turba meliorum versari.* Atque huc tandem pertinet monitum istud Salomonis: *qui cum sapientibus graditur sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.*

§. II.

§. II.

Mali mores faciliùs imbibuntur.

POrrò esse solet in malorum, quàm in bonorum societate ad mores communicandos vis quædam maior & perniciosior: primùm enim plures ferè mali socij passim incurrunt, quàm probi: quemadmodum S. Bernar. his verbis ad monuit: *Spina est falsus frater, spina vicinus est malus: sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias. O candens lilium! ô delicate flos! increduli & subuersores sunt tecum: vide quomodo cautè ambules inter spinas: totus mundus plenus est spinis.* Ita facile fit vt incautus Adolescens in vepreto tot inter sentes versatus miserè laceretur, aut etiam cruentetur. Accedit pręterea: vt naturæ nostræ quadam imbecillitate & corruptelâ in deterius semper magis propendeamus. quò fit, vt nullo negotio, cùm ad naturalem illam infirmitatem sociorum quoque improborum tum verba tum exempla, id est, duæ fortissimæ ad concutiendum machinæ accesserint, in loco potissimum, vbi versamur, difficili & lubrico: repente in præcipitium propellamur. neque verò in nobis tantùm,

Ser. 98. in cant.

tùm, ſed in cæteris quoque rebus ducendorum vitiorum facilitatem æquè cernimus: vnius porci prurigine grex vniuerſus inficitur: & vua ab vuâ conſpectâ liuorem trahit. At quantum inſit virium in improborum conſortione nemo melius S. Auguſtino intellexit. *Solus*, ait ipſe, *non facerem, ſed cùm dicitur, eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem*. Quod de furto illo confitetur Auguſtin. idem quoque in alijs vitijs plerumque accidit, vt quos de ſe ſola flagitia minimè mouent, ijdem tamen ſociorum impulſione in fœdiſſimum lutum deijci ſe permittant. Quàm multos ipſi partim ex alijs audiuimus, partim etiam oculis deſpeximus, qui in alijs vrbibus, quamdiu aut ſoli, aut cum ſocijs ſaltem minimè malis, viuerent: vitam duxerunt propè Angelicam: poſtquam in Academias, tanquam in tempeſtuoſum mare, delati & ad infames improbarum ſocietatum ſcopulos alliſi ſunt: non modò audierint: ſed didicerint, fecerintque, & quidem palam atque ſine fronte: quæ antea vel tenuiſſimè cogitare, non dico perpetrare, propoſitis quantumcunque minis detrectaſſent?

Lib. 2. confeſſ. c. 9.

§. III.

Primum improborum sociorum genus, apertum.

SOciorum autem malorum vniuersim duo sunt genera, eaque peritissimus Adolescentiæ instructor Salomon non obscurè notat. Primum est eorum, qui non quasi aliud agendo: sed ex professo ad flagitia sollicitant: hi prima fronte pudore omni valere iusso nuda scelera exponunt, venditant, & absque insinuatione statim commendant, dæmone malò nequiores, qui etsi tenebrio sit, se tamen plerumque in Angelum lucis transformat. In huiusmodi publicos improbitatis professores inciderat olim Augustinus Adolescens. *Audiebam eos*, inquit, *cantantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent, & libebat facere non solùm libidine facti: verùm etiam laudis. Fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abiectior, quò eram innocentior; & ne vilior haberer, quò eram castior.* hos nebulones tam perditè nequam vt declines ac fugias; hortatur ista sententia. *Si intrauerit sapientia cor tuum, & prudentiam, seruabit te: vt eruaris à via mala, ab*

In confess. lib. 2. c. 3.

ab homine qui peruersa loquitur; & quidem palam: neque enim dissimulant & agunt, sed cum ex industria rectum virtutis iter reliquerint, læti & alacres volitant per planas, & apertas vias tum errorum tum vitiorum; quantumuis *tenebrosæ* eæ sint, periculorumque plenissimæ, *peruersæ*, infames. Quæ porro ista tam demens insania? *lætantur* interim, *cùm male fecerint. & exultant in rebus pessimis*. Dum autem rident, tripudiant, saltitant, simul pessimè pereunt. Sic memorant, qui sardoam herbam mandunt, aut potant, ridentium in morem labra deducere, quasi rideant: interim dum quasi rident, reuera moriuntur. Sardonius iste est risus. Scribit præterea Strabo in Gambysena, iuxta flumen Alazonium, Araneorum quoddam genus esse, qui si quem momorderint, ad saltandum concitant tamdiu, dum vis veneni in cor peruaserit; tum verò enecant. Ita illi, dum inter festiuos cantus & insignes impudentium sociorum triumphos exsiliunt, & saltatorium illum suum orbem iactabundi versant, repentino casu locum funestantes corruunt. Verùm frustra hic diutius versor: cùm enim se ista nequitia publicet, & palam venenum suum prodat, difficilius persuadet, & facilius cauetur: nisi quis adeò iam sit per- Lib. 11. Geogr.

ditus, vt ſibi etiam cum ipſis lupis vlulandum putet.

§. IV.

Alterum ſociorum genus, ſubdolum, fallax, quæ in claſſe ſunt Adulatores præcipuè vitandi.

VEnio ad alterum ſociorum improborum genus, ſubdolum illud & fallax: hi, ne quod ſunt reuera, lupi habeantur, ouinam pellem aſſuunt artificiosè, nequitiam obuelant ſuam: præſertim ſi te deprehenderint moribus ſuis diſſimilem. Primùm ergo ne flagitia nudè irridenda proponant, ſtudiosè cauēt, imò ſubinde ad pietatem exſtimulant, commendantq́ue rectè facta: ita in gratiam amicitiamq́ue irrepunt, tum vitia aut virtutum pallio inuoluunt, aut blanditiarum promiſſionumq́ue lenocinio illinunt, & ſic ſuauiter inſtillant, lactant, oblectant, denique lactando, oblectandoq́ue miſerabiliùs interimunt. Hac in claſſe ferè ſunt mures Academici; paraſitos & menſarum aſſeclas ita appello, Iuuenes, quibus ea ſola ars eſt & ſtudium aliena viuere quadra: aut ſi aliud nomen malunt, Peduncali marini: piſces ij ignauiſſimi

uiſſimi ſunt & ſtolidiſſimi, niſi quòd hoc ſapiunt; delphinos vbiq; ſectantur, & eâ prudentiâ tanquam locuplete menſa opiparè conuiuantur, imò pingueſcunt. Iſti tamen non vt piſces mutiunt: ſed loquaci facundiâ blandiuntur, & maleſuadâ oratione pelliciunt præclari amicitiæ ſimulatores, reuera hoſtes ac peſtes: quos vt noris melius, en tibi tabella. Ælian. l. 9. c. 7.

Vt cancer paraſitus, nil eſt, niſi venter.
Corpus omne proſpicit partes in omnes,
Beſtia reptat dentibus amici circa ſartaginem.

Atque vt ſe in culinam ollamq́ue, inde in triclinium inſinuent, ianuam blanditijs aperiunt: laudant ipſa etiam vitia, maximè ſi virtutum coloribus tingi poſſint. ſi habet quis naſum ſimum, appellāt gratioſum: ſi aduncum, regium: ſi nigra eſt coma, æui animiq́ue viridem; ſi alba, filium Dei vocitant: prodigum, liberalem: timidum, cautum: temerarium, celerem: ſordidum, frugalem: audacem, magnanimum. O lac ab vrſæ Tygridiſq; vberibus propinatum! crudelitas eſt iſta blandities, nocentiuſque venenum, quo magis in lacteo potu bibitur: cùm enim (vt medici docent) tenuis ſubtiliſque ſit lactis natura, virus infuſum intra ſeſe totum excipit, atque haurit. Igitur non

iam lac; ſed mors eſt, quantumcunque aureo gemmeoque poculo propinetur.
Iud.c.4. Ducem Siſaram hîc cogita: ex acie fugiens oblatum per fraudem à Iahele lactis ſimpulum auidè bibit: mox craſſo illo, fumoſoque liquore, poſt ſudorem præſertim, fatigationemque in ſomnum ſoluitur, ſopitus necatur, & quidem eius mulieris manu, quæ hauſtum propinarat. Idem nimirum laniones faciunt, victimam ſtatim caſuram manu vnâ palpant, alterâ iugulant. Igitur, *Fili mi*, (Salomonis enim alterum iſtud monitum eſt) *ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis.* Atq; lactantis quidem peccatoris nomen latè patet. Sed Adulatorem potiſſimum notat, inter ſimulatos ſocios, præcipuo ſtudio Academicis Adoleſcentibus vitandum: eâ enim peſte nullam eſſe aliam in vita humana capitaliorem ſapientes omnes vno conſenſu monent. *Nullæ* (inquit è ſapiẽtibus quiſpiam) *ſunt occultiores inſidiæ, quàm hæ, quæ latent in ſimulatione officij: nam illum qui palam eſt aduerſarius facile vitare poſſis. Troianus equus ideò fefellit, quia formam miſericordiæ mentitus eſt.* Diogenes etiam verè dicere ſolebat *nocentius eſſe incidere in Adulatores, quàm in Coruos, quod hi niſi cadaueribus non inhient:* iſti etiam in viuos *homines inuolent.*

lent. Bias denique rogatus quod animal omnium esset pertimescendum maximè, *si de feris*, inquit, *agitur*; *Tyrannus*: *si de cicuribus Adulator*. Quid ego sentiam si rogas? Adulator serpens est: blandè primùm, & sine strepitu adrepit, vario colore illudit, sibilat, cantat, adlambit, tum è vestigio trisulcam linguam exerit, mordet, venenum vomit, perimit. Serpentinos illos Adulatorum sibilos apud Salomonem, magicamque simul incantationem audi. Quid solus agis, aut agitas, mi bone Adolescens, inquiunt, *veni nobiscum*: times? meritò id quidem facis, si solus: at multis te adiunge, nos turba sumus, nobiscum veni: pudet te scilicet; O ingenuum Adolescentem? at frustrà erubescis: occultum erit facinus, quodcunque aggredimur: si sanguis petendus est, *insidiabimur*, fraude tegetur flagitium (si istud flagitium est:) non prodetur. Quid adhuc tergiuersaris, & differs? agedum iace nobiscum aleam & communem fortunam experire: & quoniam (vt vetus fert adagium) amicorum omnia communia: si quid pecuniarum habes confer in symbolum: nos si quid aliunde numorum corraserimus, in communes loculos conijciemus. *Marsupium vnum erit nostrum omnium*. Quid ad fallendum dici

poteſt accommodatius? eſt enim hæc oratio ex ipſo genio, & Adoleſcentiæ moribus deprompta. Solent, quos necdum omnino depuduit, primum ad flagitia timere, mox erubeſcere: iſti blandi oratores huic timori audaciam ſuggerunt, erubeſcentiæ ſecuritatem obijciunt: atque ita ſuis armis virtutem omnem expugnant. nam ſi quis adhuc conſtantior adhæc Philoſophiam & Iuſtitiam, virtutis denique ſtudium curamque opponat: tum iſtud quod eſt apud Senecam fortiter obtrudunt. heus tu, inquiunt, *Virtus & Philoſophia & Juſtitia verborum inanium crepitus eſt: vna fœlicitas eſt bona vita: facere omnia liberè, frui patrimonio. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit: dubitamus quod iuuat facere, & ætati non ſemper voluptates decerpturæ, interim dum poteſt, dum poſcit, ingerere?* hic adde, quæ de eodem argumento diuinè ſcripta ſunt apud Plutarchum alterum inſignem morum præceptorem. *Genus hominum*, ait, *Adulatoribus peſtilentius nullum eſt, neque quod magis ac celeriùs iuuenes in perniciem præcipitet: illi enim & parentes & natos radicitus perdunt, & inter conſulendum, eſcâ voluptatis difficulter euitabili illicientes, parentum ſenectutem iuxta & filiorum iuuentutem dolorum plenam reddunt. Diuitibus liberis parentes*

Epiſt. 123

De educatione liberorum.

rentes sobrietatem commendant, illi ebrietatem: isti continentiam, hi libidinem; illi parsimoniam, hi prodigalitatem: industriam illi, hi ignauiam. Punctum aiunt, Assentatores temporis est vita nostra: frui eo, non abuti ad alias res conuenit: quid attinet nos minas Patris curare? delirus est, & alterum pedem iam in sepulchro habet: mox illum sublimem arreptum efferemus: neque desunt ex ijs, qui & scorta submittunt, & nuptas prostituunt: & quæ parentibus erant senij viatica intervertant atque rapiant. Nihil in Academicorum Scurrarum, Parasitorum, Adulatorumque mores congruentius diceret Plutarchus; si nunc in Academijs nostris viueret: mirumque in modum illius verba cum similium hominum oratione, quæ alio loco est apud sapientem, consentiunt: ita enim illi: *Exiguum & cum* Sap. c. 2. *tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus est reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris. & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum: quâ extinctâ cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radijs solis, & à calore illius aggrauata:*

grauata: & nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo reuertitur. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute, celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Hæc, inquit ibidem Sapiens, *cogitauerunt, & errarunt: excæcauit enim eos malitia.* Hîc verò tota vocis contentione tibi, dum ista audis Adulatorum lenocinia, Academice Adolescens, iterum iterumque acclamandum: *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas* addendumq́; est illud, *ne ambules cum illis.* Adeò præsens est ex solo comitatu, leniq́ue attactu periculum: in istiusmodi sociorum consortia aut contubernia ne te ingere, amicitiamq́ue multominus iunge: si iunxeris, non dico dissolue; sed abrumpe: Audio quid dicas: Amicus est, qui flagitium imperat: imperet Amicus, modò nihil turpe. An tu Adulatores in veris amicis numeras:

ego cenotaphia potiùs appellauerim; aureum amicitiæ nomen foris ostentant, intus nihil amicitiæ, ne cinerem quidem, retinent. Amicus? itane verò? atqui Amicus vna rectè agere, non vna peccare solet: alioquin si honestatis fines transiliendi: valet hîc Periclis ista exceptio, *Amicus vsque ad aras.* Cùm petitur quod bonâ conscientiâ concedi nequit, amicissimus pro hoste reputandus est Euangelij præcepto. *Si oculus dexter scandalizet te, erue eum, & proijce abs te* Sit amicus iste oculo dextro carior, abige à te Christi baculo. *Vade post me Sathana: scandalum es mihi*: aut hoc S. Agnetis flagello. *Discede à me pabulum mortis, fomes peccati.* Quòd si canis impudens molestus esse pergat, tu contra perge obniti: *non faciam, latres & oblatres licet vsque & vsque:* at tam crudè non audeo. quid non audes? importune efflagitatum in consortio flagitium negare non audeo. Tu negare non ausis, & ausit quispiam rogare: at istud recogita, nimis verecundum esse adolescentem, quem malè suadentibus repugnare pudeat: istud etiam in mentem veniat, quod quidam olim scitè dicebat, Asiaticos ideò seruitutem vnius hominis tulisse: quòd nequirent liberè efferre vnicam hanc syllabam, non; multos denique,

Matth. c. 5

Matth. c. 16.

Apud Plutarc.

quòd

quòd neſcirent negare, quòd maximè negatum vellent, ſæpe res ſuas, vitam, ſalutem amiſiſſe. Non omnis pudor eſt honeſtus: audendum aliquid contra impudentem. Ecce tibi Plutarchum: *Non oportet,* inquit, *nimium, ne amicis quidem concedere: in cæna tibi ſaturo aliquis præbibit: noli verecundiâ ineptâ ductus vim tibi facere: ſed depone poculum: alius inter pocula poſcit, vt teſſeris ſecum ludas: abijce inanem pudorem; neque metue dicteria; & Xenophanem imitare, qui timidus dictus eſt à Laſo Hermionenſi: quod ludere teſſeris nollet, faſſus ad res inhoneſtas ſe timidiſſimum etiam eſſe. Incidiſti in garrulum, qui tibi inhæret, ac te detinet: noli vereri: ſed præciſo colloquio propera & age quod cœpiſti:* pergit. *Quid facies in magnis rebus, ſi non audes poculum præbibenti familiari repudiare, aut garruli prehenſionem effugere: ſed nugatorem tibi inſultare pateris, non tantum animi habens: vt dicas, aliàs te videbo, nunc non vacat.* Hæc & plura de eadem re aliàs te quoque monueram: quare non ero in ſociorum delectu præcipiendo longior. neque tamen hic breuior eſſe debui, quòd fere in hoc veluti cardine Academici mei Adoleſcentis ſalus omnis verſetur: nihil enim attinet commemorare quam multi in Academijs improborum ſocietate abducti, non modò

De pudore vitioſo.

Idem author.

In libro Mariano.

modò temporis rei profectò pretiosissimæ, studiorumque: sed famæ preterea, fortunarum, vitæque ipsius miserabilem iacturam fecerint: plenæ sunt Academię eiusmodi casibus, funeribus, sepulchris fortunarũ, famæ, vitæ. §. 5. quales deniq; socij deligendi. Igitur, *Tales habeto socios*, ait S. Hieronymus, *quorum contubernio non infameris.* Appositè adhoc dictũ olim Hyppocratides (vt est apud Plutarchũ) occurrenti Adolescenti, quem improbus quispiam ad flagitium insequebatur, ideoque in viri honesti occursu colorem præ pudore mutanti, cum talibus, dixit, tibi ambulandum est, Adolescens, quibus cum visus colorem non mutes. Sed pergit S. Hieronym. *Socij non ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas: sed pudicitiam habitu polliceantur.* Sint primùm in corporis cultu modesti, deinde ore nihil sotadicum, turpe, incestum aut propudiosum sonet? postremo, quod maximè prouidendum est, non modò nihil improbè agant: sed virtutum omnium ornamentis eniteant. Istud generatim vno verbo præcipi potest. *Cum ijs versare, qui te meliorem* (addo & sapientiorem) *facturi sunt:* vt enim qui cum pharmacopolis frequens est, & multus; vnguenta redolet; ferrumque assiduo igne rubiginem

Ad Nepot.

In Apoph. Lacon.

Senec. ep. 7.

nem exuit, & feræ ipsæ manu assuefactæ humanitatem quodammodo induunt: ita cum bonis vitia pones, & virtutem condocebere; cum malis contra virtute abire iussâ vitijs consuesces. Atque istud erat, quod primum ac vltimum è Salomonis sensu in hac materia propositum esse debet. *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.*

ORATIO.

Pro fugienda improborum societate.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Noëmum Patriarcham è communi perditorum perdendorumque hominum eluuie mundique diluuio in arcam, tutissimum locum, cum paucis transmisisti: quique Abraham puerum tuum de Vr impiorum Chaldæorum eduxisti, & Loth famulum tuum de Sodomorum turpissimo consortio, fœdissimo incēdio, per Angelum extraxisti: me quoque puerum ac famulum tuum ab improborum hominum cætu ac peste liberare digneris: non adhæreat vnquam mihi cor prauum, neque cum superbo oculo edam: sed eos peregrinationis meæ socios tribue,

bue, quinusquam retardent iter meum ad te: vt sic malorum calle vitato, bonorum hîc vitam & mores sequar, improbisque post mortem à te, ad inferos abire iussis, in societate proborum repertus audire istud merear. Venite benedicti Patris mei, neque vnquam ab ouium tuarum grege, tuoque optimi pastoris conspectu diuellar. Amen.



SYM-

Delectus Moderatoris tũ Studiorum, tum Vitæ 6.



Multo labore exacuendus. Eccl. 10.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Ad capeſſendas diſciplinas, mi Adoleſcens, adhuc es crudus, durus, rudis: neque nuda tabella: ſed æs, ferrumve inductis errorum, & vitiorum formis rigidum, politiorique culturæ obſiſtens: eges igitur plurimùm manu magiſtra, quæ multâ diligentique arte & induſtriâ tundat, expoliat, melioribus formis induat.

Age, quod Salomon hortatur, & vult fieri, vtramque animæ partem, incudi & malleo ſubijce. Philoſophus quiſpiam bonus falſarum opinionum errorumq; rubiginem detergat,

ſcientiarum nitorem menti inducat; optimus vitæ moderator volũtatem vitijs liberam Chriſtianis virtutibus excolat, vtrâque opus : vt Chriſtianè ſapias.

Porro ſint ambo in ea, quam profitentur, arte apprimè verſati, non nimium faciles aut fracti; ſed robuſti, & cùm res poſtulat, & tempus exigit, qui affabrè tundant, & pungant: niſi labore & induſtriâ adhibitâ ferream materiem nemo expoliat: perire vis, ſi te imperito regendum tradis.




CAPVT V.

Delectus moderatoris, tùm ſtudiorum, tùm vitæ.

MONITVM.

Optimos tùm vitæ, tùm ſtudiorum duces, ac Magiſtros tibi ſumito.

SALOMON.




I retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur. Eccl. 10.

Verba ſapientum quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno. Eccl. 12.

Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur. Prouerb. 15.

Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur. Ibid.



MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Necessitas alicuius doctoris ac ductoris.

SI quam Deus parentibus contulerat intelligentiæ vim, virtutisque flammam adhuc retineremus: nihil magnoperè egeremus ducibus ac Magistris, à quibus bonarum artium, actionumque præcepta acciperentur: ipsa mens rerum simulacris vel ab authore Deo inditis, vel castè per sensus acceptis, omnium scientiarum luce splendesceret, ferueremusq; sponte nostrâ in virtutis studium: nunc quoniam beatâ eâ sorte excidimus; quemadmodum terra non nisi aratro proscissa, & multo sudore subacta segetem producit, ita nos rudes, imperiti, incultique sine vllis rerum noscendarum ima-

imaginibus, cum exiguis virtutum, ijsq; ferè sospitis igniculis in auras proijcimur, fitque breui malignitate quadam naturæ, & prauo vsu, vt in rasam mentis tabulam vitiorum coloribus facilè impressis, auctisque in dies errorum tenebris, non nisi longo doctiorum meliorumque virorum negotio atque industriâ, erudiri expolirique possimus. Possumus tamen vtrumque, si sapientum Magistrorum, ars gnauitasque accesserit, qui vitiorum ignorationumque ferruginem, vt ita dicam, abstergant, tùm verò variâ eruditione excolant, atque exornent; ita Salomon, *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt priùs: sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur.* Quo documento istud etiam intelligimus primæ statim ætati suos pręceptores ac duces, esse tradendos, ne si vitia, erroresque nimiùm altè inhæserint, vix, aut ne vix quidem posteâ adhibito curatore detergantur.

§. II.

Non quiuis statim obuius assumendus in Magistrum & Directorem.

AT caue, quoniam non omnes vbiuis æquè florent, aut florebunt Academiæ, ne, vt in quemuis primò ac temerè incideris, ita in eius te statim disciplinam institutionemque tradas: quod faciunt leuiculi non pauci, qui mox, atque in Academiam quamcunque pedem intulerint, ad eos se Magistros, & (quod etiam periculosius) ad eos conscientiæ moderatores sese applicant, quos liberiores indulgentioresque esse cognôrint, aut ad quos sociorum illecebrę propositâ morum licentiâ pertraxerint: cuius temeritatis pœnæ eædem, imò maiores esse solent, quæ improborum societatum; quòd vitiosi Magistri non modò vitæ suæ exemplo suadeant improbitatem: sed etiam quasi authoritate quadam confirment, cùm discipuli non tantùm sibi licere putent, quæ in illis deprehenderint, sed etiam pulchrum ac laudabile existiment, si imitentur. Quare sapienter (vt alia quędam) Plutarchus ita scripsit. *Inquirendi filijs praeceptores, quorum vita* De liber educ.

nullis

nullis obnoxia criminibus, irreprehensi mores, & optimum experimentum: honestatis enim fontem simul ac radicem esse liquet, legitimam consequi disciplinam. Atque hinc opinor ex tantæ scilicet rei æquâ ęstimatione profectum: vt Athenæ, Alexandria, Hierosolymitanum olim sub Salomone gymnasium, tantum sibi nomen apud exteras quoq; nationes comparârint, quòd optimos alerent literarum ac morum Magistros, quorum famâ exciti plurimi, eò potius conuolarunt, neque alia ex causa viros illos pręstantissimos quos supra nominaram, Pythagoram, Platonem, Gregorium Nazianzenum, alióśve orbem propè vniuersum peragrasse existimandum est: quàm vt in optimos præceptores inciderent, à quibus egregia salutariaque monita, animis ad eruditionem virtutemque præclarè excolendis traderentur. Denique ex hac eâdem persuasione fluxit elegans illa Isocratis ad Demonicum sententia: *Ne te pigeat longam ire viam ad eos, qui se aliquid vtile docturos profitentur: cùm mercatores, rei familiaris augendæ gratiâ, plurima transmittant maria, turpe sit profectò minùs ad animi culturam adhiberi.*

§. III.

Quis optimus ſtudiorum Magiſter.

HIc verò ſtatim oritur vtilis ſanè quæſtio,quis tandem bonus habendus ſit ſtudiorum primò, tùm etiam ac præcipuè conſcientiæ moderator! Principio is, qui alios erudire profitetur, peritus ſit, & in eo quod docet, apprimè verſatus: neque enim effluit in canalem aqua, ſi fons ipſe ſit pumice ſiccior, neque frigidus & obſcurus lapis calorem lucemque in alios diffundit. Nihil in ſcholis tritius illo Philoſophorum placito, *nemo dat, quod non habet.* Igitur hæc tibi prima in Academiam venturo cura eſſe debet, vt per amicos, aut per homines ſpectatæ fidei diligenter inquiras inter eos, qui in Academicam palæſtram artem ſuam profitentur, quinam aliquid poſſint, imò & floreant: neque tamen poſteaquam à doctrina quempiam laudari audiueris, nihil putes prẹterea tibi inquirendum : nam ſit is, qui docendi munus ſuſcepit, vt eam dignitatem tueatur, vir quoque bonus, ac probus: quare multò etiam magis, quàm de eruditione, de magiſtri probitate inueſtigandum,

audien-

audiendumque erit, quid cordationes loquantur; & quid ſit reipsâ; quanquam in Catholicorum Academijs minùs videamus periculi, ne Philoſophiæ Profeſſores, qui ijdem ſunt improbi, tolerentur; *Eligamus*, inquit Seneca, *non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur: ſed eos, qui vitâ docent, qui cùm dixerint quid faciendum ſit, probant faciendo, quod docent, & quid fugiendum ſit, nec vnquam in eo quid fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adiutorem, quem magis admiraris, cùm videris, quàm cùm audiueris.* Hîc idem eſt, ſcilicet, quod de nutricibus, quæ ferè in pueros mores ſuos cum lacte infundunt, Galeno, alijſque pridem obſeruatum. *Nutrices*, (verba ſunt Saluiani viri præſtantiſſimi) *mores ſuos, vel bonos vel malos, in pueros, quos alunt, cum lacte tranſmittũt; ita exiſtima de Conſiliarÿs & Præceptoribus Adoleſcentum: vtrique enim mores ſuos cum doctrinâ tranſmittunt*: neque verò iſtud exemplis caret. Qui gibboſum Platonem audiebant, ſiue affectarent, ſiue reuera condiſcerent, obſtipâ ceruice ſcholam ingrediebantur, ſimiliter balbutientem Ariſtotelem audire conſueti Præceptoris balbutiem dicuntur imitati, *Græcaq; narrat hiſtoria*, inquit Hieronymus, ad Læ- Epiſt. ad Lætam.

tam

tam ſcribens, *Alexandrum potentiſſimum Regem, orbis domitorem, & in moribus & in inceſſu Leonidis Pædagogi ſui non potuiſſe carere vitijs, quibus adhuc paruulus fuit infectus*: rationem deinde reddit præclaro Epiphonemate: *proclivis eſt enim malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequiueris, cito imitaris vitia*. Iam illud in ſtudiorum rectore deſiderandum, vt laborioſus etiam ſit atque induſtrius, nam ſi verſatus quidem in arte & vir bonus habeatur, verùm in arte tradendâ arte careat, aut ſi habeat induſtriam, laborem tamen in culturâ ſubterfugiat, nunquam ſatis commodus Adoleſcentiæ informator, imò ne mediocris quidem, aut tolerabilis vnquam magiſter exiſtet. Demus enim puerorum animos tabulas eſſe nudas & raſas: tamen Adoleſcentum, præſertim in Academijs, mentes, & erroribus & vitijs iam obduruerunt, quo fit, vt tanquam ferro, aut ære rigens materia culturæ obſiſtant, neque expoliri, exornarive ſe patiantur niſi inſtructor adhibuerit, tùm induſtriam, tùm præterea laborem, eumque vigilem ac diurnum: ita hic iterum valet illud Salomonis: *Si retuſum fuerit ferrum & hebetatum, exacuetur* fortaſſis: ſed *multo labore.*

Atque ex hoc capite quartum quodpiam

piam tandem exſurgit officium boni laudatiq́ue Profeſſoris, nimirum, vt in diſciplina retinenda diſcipuliſque ad rem vrgendis exactus ſit, atque conſtans, non in ſermone mollis & fractus, non in vitijs reprehendendis caſtigandiſq́ue lentus, indulgens, elumbis, quo adduci poteſt illud Salomonis monitum. *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno.* Stimuli hîc, ſeu claui in alto defixi, acus ſunt ferreæ haſtulis aut virgulis adactæ, quibus bubulci boues pigros ad arandum, aut Agaſones aſellos tardos inflicto etiam vulnere adigunt, ad ſarcinarum onera ferenda, vehendaq́ue: ita igitur ſapientes magiſtri agant, verbis, & ſi quando opus verberibus, tanquam ſtimulis, & clauis, diſcipulos ſegnes ad officium exſtimulent, aut cogant neceſſum eſt. Nolim tamen ita hæc à me dici exiſtimes, quaſi eos pædotribas laudem, qui continuò pungũt, tundunt, fodicant, quantumuis generoſos diſcipulos ſint nacti, cùm hos potiùs tanquam nobiles equos tractare plauſu & ſibilo ad curſum excitare, currentes porrò, aut vſpiam hærentes leniter admoto calcari animare debeant: quòd ſi boues aut aſellos, id eſt, diſcipulos tardigra-

grados, aut etiam ſarcinarum fugitantes inuenerint, verbis minacibus primò adigant, verberibus verò deinde moderatè, ſi alia remedia minimè ſuppetant. Nam de bobus ipſis (vt à Salomonis ſimilitudine non recedam) Agriculturæ doctus quiſpiam ita præſcribit. *Voce potiùs quàm verberibus bubulcus boues terreat, vltimaq́ sint opus excuſantibus remedia, plaga; atque hæc ferè de veterano boue*, nam ſubdit. *Nunquam ſtimulo laceſſat iuuencum, qui reluctantem, calcitroſumq́ eum reddit, nonnunquam tamen admoneat flagello.* Reſtabat vltimùm, quòd primùm dici oportuerat; ſana vt ſit magiſtri doctrina ſalubrique conſilio tradita, *tanquam à paſtore vno*; quæ Salomonis mens eſt, id eſt, (vt apertius dicam) cum verâ religione, pietate in Deum, patriam, parentes, reliquorumque bonorum morum inſtitutis apprimè cohærens. Nam ſi quis hęreſim, improbitatemq́ue quantumuis furtiuè inſinuet, is Academico Adoleſcenti, vt peſtis, vt Cacodæmon, vt inferi vitandus, deteſtandus eſt: quo in argumento diutiùs verſarer, niſi homini Catholico, quem pręſertim inſtituendum accepi, per ſe hæc ſunt notiora, quàm vt exaggeratè & prolixè diſputari debeant.

Columel. lib. 2. de re ruſtica cap. 2.

§. IV.

§. IV.

Adhibendus quoque bonus conſcientiæ director.

NVnc verò, ſi ad ſcientias comparandas inſtructore opus eſt, quod (vt adagio conteritur) *nulla ars ſine Magiſtro diſci poſſit,* multò id etiam magis in conſcientiæ negotio locum habet; nam vti Seneca ſcripſit: *citò nequitia ſubrepit, virtus difficilis inuentu eſt, rectorem ducemq́; deſiderat.* Quare meritò ridiculi Plutarcho viſi ſunt ij, qui artium reliquarum relinquunt diſciplinam, tollunt virtutis; *Quaſi verò* (cum Quintiliano loquor) *vt ea quidem, quæ manu fiunt, atque eorum etiam contemptiſſima confiteantur egere Doctoribus, virtutem verò, quâ nihil homini, quoad Deos immortales propiùs accederet, datum eſt, obuiam & illaboratam, tantùm, quia nati ſumus, habeamus.* Eadem habet propè Caſſianus: *Cùm omnes artes,* inquit, *& diſciplinę humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius, quàm viſæ huius commodis proſunt, licet manu palpari queant, & oculis peruideri: rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis doctrina nequeant comprehendi: quam ineptum eſt credere*

Lib. 3. nat. quæſt. c. 30.

Lib. de virtute docend.

Lib. 12. c. 2.

Collat. 2. cap. 11.

dere hanc solam non egere doctore, quæ & inuisibilis & occulta est, & quę non nisi corde purissimo peruidetur: cuius error non temporale damnum, nec quod facile reparetur; sed animæ perditionem parit. Igitur istud puta tibi dictum, Academice Adolescens, quòd Hieronymus morum optimus Præceptor scribit ad Rusticum. *Mihi quidem placet, vt habeas Sanctorum contubernium; nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statimq; in alteram partem declinandum sit, & errori pateas: plusq; aut minùs ambules, quàm necesse est, ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias.*

Epist. 4.

§. V.

Quis optimus Conscientiæ Moderator.

CVm Tobias iunior à Parente in Raghez Medorum, negotiorum causâ mitteretur. *Nescio*, inquit, *viam*, cui pater, *inquire hominem, qui te ducat.* Sapiens consilium. Igitur eligatur imprimis dux viæ peritus: est enim in cælum via angusta, lubrica, obsita difficultatibus, plena periculis, atque inter densas ignorationum errorumque tenebras ince-

incedendum; sunt præterea conscientiarum latebrę inaccessæ, implexi anfractus, dæmonum verò doli ac fraudes mille, vt planè insanire putandus sit, qui animam, atque adeò salutem suam homini rudi, atque ignaro credat. Si causa intricata sit, si pro focis, & capite ipso; callidos & scientes adimus. Si vita in discrimen vocatur, medicos artis peritos accersi iubemus, nemoque est omnium qui leui & imperito causarum Patrono, aut inexperto medicinæ Professori fortunas vitamque ipsam committat, & quæ ista amentia est, in æternæ salutis negotio conscientiæ curatorem ignarum, indoctumque consectari, & si quem eiusmodi nactus sis tum demùm triumphare? at nonne *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*? Ex Euangelio hoc desumptum. Ac cæci quidem ducem oculatum volunt, nos cæcum malumus, quasi non satis sponte erremus, nisi dux talpa accesserit. Matth. c. 15.

Alterum est, vt in virum probum incidas, quo ad conscientiam gubernandam vtaris: nam qui homo improbus, & fortè etiam flagitiosus virtutem rectè doceat, quam minimè ipse sequatur, imò moribus suis impugnet?

Tertium erit industria & labor, quæ non

non minus hîc multò etiam magis requiri debent, quàm in ſtudiorum moderatoribus: iſtud enim S. Gregorij, quod in omnium ore eſt, locum habet, *ars artium, regimen animarum*; vt niſi induſtriam & laborem adhibueritis, qui conſcientiam curat, nihil profecturus ſit: obſiſtendum impetui currentis in vitia animi, danda ſana conſilia, prçuertendæ relapſiones, prçſentia remedia adhibenda, doli tartareorum tenebrionum retexendi, aliaq́; plurima aut circumſpicienda, aut præcauenda ſunt, quæ ab homine ſtupido, dormiente, aut laborum impatiente fruſtra exſpectes.

Sequitur quartum, quod in Magiſtro etiam ſuprà requirebamus, ſeueritas quçdam velut parentis in officio exigendo vrgendoq́ue conſtantis, ne per maternam indulgentiam vitia diſſimulentur, ne vlcus leniùs, quàm par ſit, tangatur; nam hçc facilitas nimia genus quoddam eſt crudelitatis. Sed ô tempora! ô mores! hîc iam bonus confeſſarius paſſim audit, & ab Academicis Adoleſcentibus quæritur, & laudatur, qui pœnitentium errata leniat, palpet, aduletur: atqui adulationis vitium, ſi vſpiam, hîc profectò exitioſiſſimum eſt: quis enim eum emendet, qui vitia pro virtutibus habet, & pro be-

nefactis

nefactis efferri audit? quòd ſi verò Confeſſarius ille præterea facilis ſit, melleus, ſaccareus, plerumq́ue taceat, nihil examinet, nihil explicatiùs dici poſtulet, ſi denique iſtud agat, vt pœnitentiæ minimùm exigat; iam non is bonus, ſed optimus habetur, & tanquam de cælo delapſus homo celebratur, eò, vti ad candida tecta columbæ, agminatim conuolant, atque iſtic poſt multorum tentata ſedilia, tandem vti in bene fidâ ſtatione conquieſcunt. Sed dic, ſodes, (nam ſimilitudo arridet, facitq́ue perbellè in rem præſentem) quem tu egregium Aduocatum, & præſtantem Medicum eſſe cenſes? eumne bonum Patronum, qui negligenti aure ad cauſæ momenta auſcultet? aut cùm tu rem tuam narras, alia animo pertractet, operam omnem polliceatur, & nihil agitet; qui clamet te viciſſe, cùm labores causâ, interim nihil remedij conferat ad iuuandam rei æquitatem, ad conciliandum iudicem, ad vim aduerſariorum, fraudemq́ue euertendam? atqui ex ea ſocordia (proditionem dicere debui) futurum breui eſt: vt de fortunis, fama, vitâ ipsâ in capitali iudicio pericliteris. Minimè verò, inquies, iudico eum fidelem eſſe Aduocatum: at eum potiùs, qui cauſæ momenta proferentem

audiat, & ipse excutiat, moneat de periculo litis, inuigilet in rem, curet, & accuret omnia perstudiosè. Sapis, mi Adolescens, respondisti, vt oportet: nunc etiam istud ex te quæro, Medicum bonum quem appelles? eúmne qui arridet, & assentatur ægro, datque omnia, valere dicat cùm agas animam, potiones autem aut nullas, aut fortè rosas & violas præscribit, melimela, aromatitem, dulciaria, cùm interim opus sit acriori remedio, purgatione, sectione venæ, etiam fortassis vstulatione? minimè gentium, inquis: at illum Medicum probandum censeo, qui seriò agat, moneat de periculo, & si quando res exigit, non tantùm vngat, sed pungat, imò vstulet, secet, tantùm non necet. Pergis sapere, bone Adolescens, at vide, ne tu teipsum isto tuo gladio iugules: quæ enim assentationis, & negligentiæ vitia, in Causidico & Medico magnoperè reprehendis, ea ipsa reprehendi oportuerat in eo, quem conscientiæ, tuorumque morum dictatorē, censoremque esse volebas. Prolixus sum, & nihil dum ago, quantumuis premere videar, effugis enim, & necdum vis aut frænos capere, aut calcaribus fodicari. Primò indulgentem Præceptorem adis, tùm conscientiæ tuæ directorem minimè auste-

ſterum. Nunc ergò Salomonem audi: *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur*, id eſt, ſi ſapientiam amas, tum ſapies, cùm increpari te ſines, imò amabis. Verùm *non amat peſtilens*, ait idem Salomon, *eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur*. Cur non? ne corripiatur ſcilicet; ergo non modò ſic deſipit, ſed ne quidem vnquam ſapiet. Pro Commentario eſſe poteſt ſaluberrimum iſtud inter cætera Baſilij Imperatoris, relictum filio Leoni monitum, his verbis. *Vtere Medicis animorum aſſiduè; vt ipſe animo valeas: ab eis enim diſcere poteris, quas res expetere & à quibus abſtinere debeas: quibuſcum hominibus aſſueſcere, & à quorum conſuetudine abhorrere, & quomodo vitam totam diſpenſare oporteat: vt ne in frequentes morbos incidas. Si hanc inſtitueris viam, ad ſolidæ germanæq; virtutis veros limites breui peruenire poteris.* Ne ſim moleſtior hic tandem finiam, ſi alterius Baſilij viri ſanctiſſimi & doctiſſimi aureum velut limbum attexero. *Summâ*, ait, *vigilantiâ, acerrimâque in omnes partes circumſpectione operam dato, vt aliquem tibi virum inuenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ ſtudijs certiſſimum ducem ſequaris, eiuſmodique, qui rectum iter ad Deum ire volentibus pergere, ſciat commonſtrare, qui*

Orat. de renunc. & abdic.

ornatus virtutibus sit, cuius vniuersæ totius vitæ actiones testimonio sint, charitatem erga Deum in eo inesse; qui diuinarum literarum scientiam habeat, virum integrum, nec vlli distractioni indulgentem, ab auaritia abhorrentem, minimè libenter gerēdis se negotijs admiscentē, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, iniuriarum immemorem, naturâ propensum ad eos docendos qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, seuerum atque constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei. Quibus paucis verbis videre mihi solet vir ille diuinissimus breuiter complexus esse eas virtutes omnes, quas tùm in Magistro studiorum, tum in conscientiæ moderatore desiderabam, peritiam in arte, quam ipsi profitentur, morum insignem probitatem, industriam cum labore coniunctam, denique seueritatem propositique constantiam.

ORA-

ORATIO.

Pro optimo studiorum, ac morum moderatore inueniendo.

MIſericordiſſime IESV, lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, qui Centurioni Cornelio in rerum ad ſalutem neceſſariarum ignoratione verſanti ſapientiſſimum Eccleſiæ Principem Petrum prouidiſti, & Paulum peruerſis gentis Iudaicæ erroribus imbutum ad Ananiam optimũ veræ fidei doctorem miſiſti, me ſalutarium, & propè omnium rerum ignarum tuæ gratiæ benigno ſydere illuſtra: vt te duce & auſpice in eiuſmodi ſtudiorum, morumque meorum moderatores incidam, qui vias tuas demonſtrent, & ſalutis ſemitam me edoceant; quò puriùs ac ſanctiùs, hîc atque in æternum diuinæ tuæ Maieſtati placere, atque obſequi velim & poſſim. Amen.

Pensum Matutinum. 7.



Non iacet in plumis Sapientia.



SYMBOLI EXPLICATIO.


Non ſtertit altùm nato, & adulto iam die (vt faciunt Endymiones) pius, & ad rem attentus hic adoleſcens: ſed matutinus elucubrator (vbi primùm criſtatæ volucres exorientem ſolem reſalutant, aurem ei vellicant ad horam, vt tardiſſimè, quintam;) è ſtrato properat ad muſæum, ardentemq; lampadem, primò Deum deprecaturus, tum fracturus, credo, pluteos, & demorſurus vngues: neque verò eum diu dormire curæ ſinunt, quæ à ſomno facile (vt gruem decidens lapillus) excitant.

Rectè: nam vulgi etiam ſermone iactatum, non iacet in plumis ſapientia; mane ſcilicet à ſuis clientibus ſalutari amat. ad octauam, nonamque horam venientes, neque ad ſportulam, neque ad colloquium admittit, imò ante ipſum ſolem poſtico fallit

tardè ſalutantes: Argus ſis,& ad fores vigil, ſi eius gratiam prehenſas.

At caue tu æſtimes à lecto rectâ ad muſas tibi conuolandum, cùm enim ſapientia apud nos minimè habitet, è cælo expectanda, accerſendaque eſt. Igitur quod ſapientiæ diſcipulus Adoleſcens facit, primò Deum multa prece ſollicitabis, tum in matutinas curas incumbes, quippe aderit ſapientia, ſi partim prece, partim veluti inclamans & fatigans quaſi cunctantem excieueris.





INSTITVTIONVM SALOMONICARVM PARS SECVNDA.

Exercitationes Academicæ.

CAPVT PRIMVM.

Pensum matutinum.

M O N I T V M.

Multo manè præmissâ ad Deum precatione primam domi studijs operam impendito.

S A L O M O N.



Go diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inuenient me. Prou 8.

Dicit Piger leo est in via, & Leana in itineribus, sicut ostium ver-

vertitur in cardine suo, ita piger in le-ctulo suo. Prou. 26.

Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias. Prou. 6.

Nunquid non sapientia clamitat? nunc, Filij, audite me: Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Prou. 8.


Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat: qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet. Sap. 6.

Si sapientiam inuocaueris &c. intelliges, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia. Prouerb. 2.

Vt sciui quoniam aliter non possum esse

esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia. scire cuius esset hoc donum; adij Dominum, & deprecatus sum. Sap. 8.

Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ. Sap. 7.



SALOMONICÆ MENTIS INTERPRETATIO.

§. I.

Nimius somnus noxius est, & dedecens.

EST quidem somnus vitæ, sanitatisque animalis conseruandæ necessarius, vt sensibus externis ab operatione feriantibus spirituum dispendia, quos diurnæ curæ consumpserunt, resarciantur: Verùm hîc, vt in plerisque alijs valet illud: *ne quid nimis.*

Si modus exceditur, quod Hippocrates monet, non parum officitur valetudini: hebetato enim natiuo calore, & grauato 2. Aphoris. 3.

à noxijs

à noxijs humoribus capite artus eneruantur, elanguescunt, ingenij acies obtunditur, iudicij lumen opprimitur, debilitatur vis memoriæ, denique animus socors, & ad res libero homine dignas ineptus efficitur. Itaque somni intemperantia semper dedecet, nulli verò est turpior, ac dedecorosior, quàm ijs, qui se ingenuarum artium studiosos esse profitentur. Certè cum vita (quod Varro dixit) in vigilia consistat, sitque somnus vt est apud Poëtas, imago quædam mortis: si vitam breuissimam homini à naturâ permissam, de cuius soliditate quies, & nox magnam partem decerpunt, immodico somno minorem deterioremq́; reddas, quî fieri potest, in tanta præsertim artium discendarum multiplicitate, & prolixitate, vt doctor, aut omnino doctus euadas. Percrebuit quidem acroama istud, *Non iacet in molli veneranda scientia lecto*, estque ex ipsius Sapientiæ Schola depromptum, *Ego*, inquit illa, *diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, inuenient me*: Expergiscere igitur, Academice mi Adolescens, etiamnum stertis? Sol adultâ iam luce fenestras ferit, ancillæ, herus, socij vociferando raucescunt, *tu ægrè palpebram remoues hærentem humore tenaci, plumbeumq́; leuas vix dum caput*: at

ecce

ecce dudum occlamitant matres, *surgite nunc pueri vendit ientacula Pistor. Cristataq; sonant vndiq; lucis aues.* Frustrà: refugit piger, *Leo est*, inquit, *in via, & leæna in itineribus, sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo:* ergo nihil ista te commouent, vix dum languidos artus debili conatu tantisper concutis, donec tandem inter hiscendum, lentis, somnolentisque susurrationibus istud occantando murmurilles. Quid interpellatis? etiamnum *nox obscura cauâ mundum circumuolat vmbrâ*: adeò, vt Vespertilio, lucem habes exosam. *Turpis*, ait Seneca, *qui alto sole semisomnis iacet. cuius, vigilia, medio die incipit, & adhuc multum huic antelucanum est, sunt qui officia lucis, noctisq; peruertunt, nec ante diducunt oculos hesternâ graues crapulâ quàm appetere nox cœpit*: notari, & tangi. te sentis? *luditur alea pernox*, lege quod subijcit Satyricus: Et tandem expergiscere. Agedum te somno, stratoque proripe, Salomon non modo iam tibi ipsemet latus fodicat: sed scuticam quoque adhibet. *Vsquequo piger dormies? quando consurges de somno tuo? paululũ dormies, paululùm dormitabis, paululùm conseres manus.* 7. verò interpretes paulò id etiam significatius, *paululum quidem dormis, parùm autem sedes, parùm autem dormitas,* Ep. 122.

mitas, parùm autem amplecteris manibus pectora. Potuitne Academici dormitatoris oſcitantia viuacioribus coloribus depingi? Quid verò bonæ mentis, aut frugis ab eiuſmodi homine ſperem, qui hoc vnum pulchrum ſibi putat, quod in gliribus celebratur.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil, niſi ſõnus, habet.

§. II.

Nocturnæ vigiliæ aptæ grauioribus animorum ſtudijs.

NVnquid non ſapientia clamitat? *Nunc filij audite me. Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei: qui me inuenerit, inueniat vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

Hæc ſcilicet diuina heroina Clientes ſuos vult eſſe ſalutatores matutinos, qui primis diei horis, imò antelucanâ diligentiâ cõſalutatum veniant. & turpe eſſet profectò redundare hominum fluctibus Patronorum, Mæcenatumque atria, ſiue ad ſportulam, ſiue ad illorum gratiam colligendam, (quod eſt mendiciſſimum mercenarij cuiuſpiam aucupium,

vt Columella loquitur) & reperiri Sapientiæ Candidatos, ad rem tam parum attentos: vt neque ad illius doctas fores excubare, neque ſaltem ſub aurora adeſſe velint: cùm ſatis compertum ſit Sapientiæ Clientes officioſos, optimâ vitâ, plurimâ ſalute, id eſt, ſummis, optatiſſimiſq; mortalium bonis plerũq; cumulari. Neque vero hic iſtud extimeſcendum, quod in alijs patronis euenit non raró, ne videlicet antelucanam illam ſuorum ambitionem postico vnquam fallat. *Nam* (quod idem Salomon ſanctè aſſeuerat) *Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam: præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet.* Mirum hic, quantus olim extiterit ex tot præſtantibus viris nocturni ſomni, intercipiendi, aut interrumpendi ardor, quamque acre, ac vigilans ſtudium. Ariſtoteles Philoſophorum princeps quietem captans, æneam ſphæram ſubiecta pelui manu tenebat: vt pondus laxatum ſomnos excutiens ad reſumenda ſtudia excitaret, quem fortaſſis morem è gruum republica Philoſophus traxerat, quarum vnaquæque per vices, cæ- Laert. in vita.
teris

teris capite ſubter alam poſito dormientibus, lapillum pede ſuſtinens nocturnas excubias agit: ſi enim ſopor irrepſerit ſolutâ ſomno ſarcinulâ, & cum ſtrepitu decidente vigiliam imperat. Ferunt quoque Themiſtoclem Athenienſium fortiſſimum ducem perpuduiſſe, quoties matutino opificum labore præoccupatus eſſet, eundemque non rarò per noctis profunda Athenis vigilem inambulaſſe; quod ſe diceret Miltiadis, niſi fallor, trophæis quaſi ſtimulis excitatum dormire non poſſe; Themiſtoclem Pallas armata, Ariſtotelem togata, vtraque lauri ſonantis, oleæque folia, vt decuit, excitebant. Quid Demoſthenes? Hic etiam diu, multumque vigilare ſolicitus orationes illas, quas Græcia tantopere demirata eſt, non niſi ad lucernam elucubrans, effingebat; id cùm ei Pythias per iocum obijceret, diceretque quaſi per probrum orationes ipſius lucernam, & oleum redolere, reſpondiſſe fertur Græcus orator non minus eleganter, quàm ſalsè, *melius hoc quidem, quàm ſi hircum olerent.*

Idem alias à neſcio quo rogatus quâ viâ ad tantam elegantiæ & eloquentiæ laudem deueniſſet, *plus olei*, inquit, *quàm vini conſumpſi.* Abſtinentia igitur & vigilijs eruditionem ſibi tantam comparârat.

Clean-

Cleanthis Philosophi lucernam taceo. Epicteti Stoici fictilem lampadem, quâ fuerat in studendo vsus, tāti æstimatam accepimus, vt (si Luciano fides habeatur) tribus drachmarum millibus Vænierit: tanti quondam habebantur vel ipsarum vigiliarum monumenta. Epicteto Theodosium iuniorem Imperatorem, Imperatorisque filium adiungi, imo præferri, hominis, reique ipsius dignitas postulat: hic, quod Nicephorus L.14.c.3. tradit, vt studio peruigili libros sacros, eorumque interpretes noctibus totis euoluere liceret, lucernam summâ industriâ sibi confici curarat, quæ suâ sponte machinulæ cuiuspiam artificio, oleum ministraret, sensimque tantum hauriret, quantum absumeret.

Denique obseruat Plutarchus, Græcis noctem, velut amicam intelligentiæ, dictam fuisse Euphronem; vt significaretur quietem nocturnam nullis tum interpellantibus aliarum rerum curis multum habere momenti ad inuentionem eorum, quæ inquiruntur, hincque, opinor istud adagium fluxisse, *nox dabit consilium*.

§. III.

Vigiliæ tamen moderandæ.

VErùm hîc cautio adhibenda: vt enim nimius ſomnus, ita vigiliæ immodicæ, & intempeſtiuæ officiunt: quippe ſpiritus ad animi functiones neceſſarios exhauriunt, cruditates, morborumq́ue multiplex genus creant, vires labefactant, interdum delirium quoque, & inſaniam adferunt. Quamuis verò in Academijs à nimio ſtudiorum ardore parum plerumq́ue metuendum videam: tamen quæ præſcribi ſolent, ne quid ſomni, vigiliarumq́ue nimietate peccetur, hoc loco viſum eſt adſcribere. Somni, vigiliæq́ue ſuæ ſint vices, quas natura ipſa conſtituit: interdiu captatus ſomnus fere nocet, & obtundit, niſi forte ſub meridiem ad quietem exiguam, & breue tempus, ſi quando caput plus nimio graue tantillum ſomni poſtulet: neque verò integræ noctes ſopori dandæ, *ſeptem horas dormire ſat eſt, Iuueniq́ue, Seniq́ue*, vt Salernitanæ ſcholæ Magiſtri docent; itaque horâ poſt meridiem nonâ cubitum concedes, quartâ poſt mediam noctem, ſi admodum es ſtudij

ſtudij amans, ſurges: iam ſi ſeptem horas quieueris, & parum iſtud eſt tibi, agam paulò indulgentiùs, horâ ſaltem ad auroram quinta, aut ſextâ ſomnum excute, reiectis etiam, ſi opus ſit, ſtragulorum retibus, quibus illaquearis; Vigilias à ſole occiduo ad ſeram & (quod nonnulli vſurpant) ad mediam noctem; ego quidem minimè probo. Diurnis enim tum curis, tum moleſtijs corpus, & mens ſub noctem languent, niſi ſuccedente ſomno vires vtriuſque reparentur. Eò iſtud pertinet pridem cantatum, *Aurora grata Muſis*. At, inquis, vt primùm ſomno me dedi, ita capior (quod meæ ętatis eſt vitium) multum vt in diem ſtertam, neque verò horologium vllum in cerebello, vt ad certam diei horam expergiſcar. Audio, quæris igitur ex me qua ratione ſemel ſopitus facili negotio excitari poſſis? Dormire non ſinet ipſa Philoſophia, id eſt, ſapientiæ amor, ſi quidem ardenter ames: amor enim, vbi arſerit, ſollicitare, & vigil eſſe ſolet. 2. famulo, ancillæ, ſocijs, hero, heræ eas curas demanda, dormies ſecurus. Verum heus tu, ne falle excitantem, expergefactus ſtatim te lecto proripe. 3. Angelo ipſi tuo ante quietem feruentibus precibus iſtud

commenda, te vt excire velit, neque recusabit ad condictam horam pulsare dormientem, verùm & hîc caue; ne oblucteris, aut eludas.

4. ales quoque solis prænuncius aures vellicabit: rectè autem quidam; *Tribus his paruisse nunquam pœnitebit; veritati, bono consilio, & gallo gallinaceo è somnis excitanti.*

5. Scholæ Salernitanæ, peritissimis, inquam, medicis auscultato: *Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.* Non modò corpus, sed preterea animum sepeliunt mensæ pridianæ longiores, quare Philosophorum cœnæ, id est, expeditæ, & ita salubres commendantur. Xenocrates Philosophus tantæ erat parcimoniæ, vt eius caseolus etiam adagio celebretur. Laudatur & frugalitas Platonis in cænando: nam cùm Timotheum in Atheniensi Repub. Principem frugali sanè cœnâ excepisset, sequenti luce ita ab eodem resalutatus est, *Vestræ cœnæ ô Plato, non in præsens modò tempus, sed in posterum diem quoque sunt iucundæ.* Alij paulò aliter, sed equè ad rem apposité Timotheum illum referunt à cœna reuersum suis dixisse; *Qui cum Platone cænat etiam postero die bene habet.* Sed quenam est ista cæna Philosophica breuis

uis & salubris? Philosophicè cœnitaueris, si cibo terrestri vescaris, sine sanguine, inquam, ex ijs fere quæ solum terra nascuntur, radicibus, leguminibus, oleribus, aut sanè, si multum voles, frustulo agninæ, vel vitulinæ: mensa hæc inartificiosa est, & facilè parabilis. Vespertinus potus, si nimius sit, dici non potest quàm obsit. Ita temperatè, hoc est, Philosophicè si vixeris, certum est, non altùm dormies, ante solem somnus ipse sponte tibi excidet, & verò hyeme prę-sertim Sol tibi anteuertendus est, quare ex ignili, subiectis scilicet ramalibus, vel lino, silice & ferro collisis ignis excutiendus, & lumen accendendum: qui locus me monet, vt hìc ego te moneam, ne (quod nōnullis exitiosum fuit) lecto insidens appensâ ad spondam lampade, studijs incumbas; nam quę ab hominibus desidentibus peraguntur, ferè ęquè torpent, & periculum non mediocre ne indormiscas tum lampade, vel candelâ fallente (quo nihil est factu pronius) & scintillâ incendium excites tuo malo, & damno publico, cuiusmodi casus funestos non semel Academiæ senserunt & defflêrunt.

§. IV.

Quid agendum à ſurrectu?

POrrò ſtatim à ſurrectu poſt ſolutum Deo matutinum Chriſtiani officij penſum, ſolitaſque precationes, quibus diuinum Numen tibi propitium reddas, eò quoque animum intendere debes; vt ſapientiam è cælo (diuinum enim & cœleſte eſt donum) precibus ad Deum ſummis, infimiſque acceſſas, vt *Sciui*, inquit Sapiens ipſe, *quoniam aliter non poſſum eſſe continens*, (id eſt, Sapientiæ, quam ambiebam, compos) *niſi Deus det*, *& hoc ipſum erat Sapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum: adij Dominum, & deprecatus ſum*: quo autem euentu & cui bono? audi eundem, *optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*: ne autem te idem pari ſtudio conſequi poſſe deſperes, rurſus ille ſapientiæ diuinus Profeſſor Vadem ſe, ſponſoremque offert, *Si ſapientiam inuocaueris, intelliges, quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia, & ſcientia.* Eadem monet S. Iacobus. c.1. *Si quis veſtrum*, ait, *indiget Sapientia, poſtulet à Deo,*

qui

qui dat omnibus affluenter. Et S. Gregor. Nazianz. *Virtus ſapientia à verâ ſapientiâ poſtulanda eſt.* Et rationem accipe ex Lactantio; *Quia verum ſcire diuina eſt ſapientia, homo autem per ſeipſum ad hanc ſcientiam peruenire non poteſt, niſi doceatur à Deo;* Inuocanda igitur ſapientia, & à Deo magnoperè poſtulanda: Eſt autem matutinum tempus, vt ſtudijs, ita precationibus magis idoneum, ſiue quia capiti melius ſit ob captatam per ſomnum quietem, ſiue quia diuinę curę necdum occupant, & ad alia diſtrahunt.

Orat. de paupert. amore.

L. 2. inſtit. c. 3.

Patriarcha Iacob, ante auroram inter meditandum, contemplandumque cum Angelo luctatus, eluctatuſque eſt. Rex Dauid poſt mediam noctem ante diurnas occupationes pro more precibus Deum fatigabat, neque vno loco ſacrę illę litterę precationes illas matutinas aut prę(cribunt, aut plurimum laudant. ipſe Priſcorum Academiæ & Religionem erga Deum, & vigilias commendabant: erant enim velut quædam ſacraria: intra quę Minerua, & Hercules tanquam ſtudiorum Numina ſpectarentur, colerenturque. Aderat & Draconis peruigilis effigies, quę oſtenderet adhiberi quoque vigiles curas oportere. Iam quoad oran-

di ſapientiamq́ue inuocandi rite conceptas quaſdam formulas attinet, ex precatorijs libellis depromere licebit, quę quotidie vſurpes. Salomonis, quâ ipſe ad poſtulandam à Deo ſapientiam vtebatur, orationem ſupra retulimus, cum paucis quibuſdam, quę huc etiam pertinent; S. Thomę Aquinatis precationem, quam ante ſtudium adhibere conſueuerat, apud Caniſium noſtrum habes in Catechiſmo, itemq́ue concinnatum multiplex precationum genus, quibus ad diuinam ſapientiam implorandam ſapientię ſtudioſus quotidie vtatur. Verùm quoniam de S. Thoma Philoſophorũ & Theologorum inſigni illo coryphæo nonnullus ſermo incidit, id omitti hoc loco non debet, quod ipſe de ſe luculenter teſtatus, profeſſuſq́ue eſt; in plurimarum, reconditiſſimarumq́ue rerum inquiſitione plus ſe orando, quàm legendo, ſtudendoq́ue fuiſſe conſecutum.

Res nunc poſtulabat, vt de matutina lectione, ac ſtudio præcepta traderentur: ad preces enim matutinum quoque ſtudium adiungendum, illudq́ue contentum, & acre, ſine quo nullus vnquã magnum quidpiam, & arduum adipiſci potuit: ſed de priuato ſtudio vniuerſim

com-

cõmodiùs dicetur posteà: cum de scholasticis exercitationibus fuerit præscriptum.

ORATIO MATVTINA.

Ad diuinam sapientiam.

O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterque omnia disponens, veni ad docendum me viam prudentiæ: anima enim mea desiderauit te in Nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis. Ecce de mane euigilo ad te, petens, vt luce tua penetres mentem meam, quâ me, Deumque nouerim, & calore tuo cor meum exuras, vt me odio habeam, & Deum meum amem: hæc enim vera & Christiana est Sapientia, sine quâ scire, aut sciri mera stultitia est. O oriens splendor lucis æternæ, & sol iustitiæ, sapientissime IESV, Verbum ex sapientia Patris, Principium & finis omnium entium, qui dixisti, ego diligentes me diligo, & qui mane vigilat ad me, inueniet me, fac nouerim te, nouerim me, odio habeam

beam me, diligam te, ecce diluculo consurgens confugio ad te, & ad crucem tuam, veram scholam, in qua discam odium mei, & amorem tui: nolo enim aliud aut scire, aut diligere, nisi IESVM, & hunc crucifixum. Pone igitur mi IESV, meam in tuis vulneribus Philosophiam, meam in tuis stigmatibus sapientiam; vt crucifixi discipulus in solo illo ardentissimæ charitatis libro, & morte tua versatus, amare te studeam, mortuusque ipse rebus alijs omnibus, vni tibi viuam, & indissolubili amoris vinculo æternùm adhæream. Amen.



SYM-



Schola. 8.



Concipit a Radio lumen a lumine flammam.



SYMBOLI EXPLICATIO.


Stoa, Academia, Lycæum, principum philoſophorum, ſtationes, ſeſſiones, inambulationes tibi frequentandæ, mi Adoleſcens, ſi philoſophiam non è ſolo limine ſalutare, ſed intra ſacratiora adyta venerari velis: audiendi, inquam, tibi magiſtri, qui ignorationum errorumq; tenebras affusâ doctrinæ, & ſanitatis luce ex animo tuo diſſipent.

Nam quid proderit, ſi in ludo litterario corpus adeſt, animus abeſt plerumque? ſi Hiſpaniam interim, Galliam, Indias, orbem ſummum, imum, me-

medium peragraueris, & vagus oberres, nuſquam minus prẹſens quàm vbi eſſe videris?

In ſapientis Doctoris corde, vt in cælo, ſol ſapientiæ lucet; ab ore docentis radij promicant, lucem, flammamq́ue excient, ſi rectè, apteq́ue excipiantur: cor concauum ſpeculũ eſt, lumini oppone, ſi ſplendeſcere velis: id te Salomonis vox iſta monet. Audi, fili mi verba oris mei, qui ſapiẽti auſcultat, iam ſapit: columbinam modeſtiam, & leporinas aures fac habeas, ita fructuosè audies.

CA-



CAPVT II.

Schola.

MONITVM.

In ludo litterario frequens verſator,
Ludimagiſtris aures & animum dato.

SALOMON.



N corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet. Prouer. 14.

In labijs ſapientis inuenitur ſapientia. Prouerb. 10.

Labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiam. Prouerb. 15.

Non ceſſes, fili, audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ. Prouerb. 19.

Ingre-

Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ. Prouerb. 23.

Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens. Prouerb. 19.

Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum: Appone autem cor ad doctrinam meam: quæ pulchra erit tibi, cum seruaueris eam in ventre tuo. Prouerb. 22.



SALOMONICÆ MENTIS INTERPRETATIO.

§. I.

Frequentanda Schola.

MEmineris, quòd superiùs fuit demonstratum ad scientias comparandas opus esse Doctore, & quidem probo, perito, laborioso, constanti: verùm, vt eum sis in omni ea laude præcellentem, diuinumq́ue consecutus, id etiam tibi persuadeas, nihil te perfecturum; nisi Philosophicam palæstram fre-

frequens ineas, docentem multùm audias, & quę audieris, altè in animum recondas. *In corde ſapientis requieſcit ſapientia, & indoctos quoque erudiet*, veriſſimum eſt: illud etiam certiſſimum: *In labijs ſapientis inuenitur ſapientia*. Denique iſtud clarum æquè & certum: *labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiam*, quis neget? ſed ſi indocti erudiri, erudientem adire, & audire velint, ſi è labijs docentis doctrinam haurire, ſi ad ſementem ſubactum animum facilemq́ue conferre ſtudeant: alioquin fruſtra Magiſter doceat: fruſtra latentes animo eruditionis opes depromat, fruſtra eruditos ſermones ferat. Frequentandæ igitur ſcholæ, excipiendæ Profeſſorum lectiones, & quidem accurato, ac diligẽti ſtudio. An enim ſatis eſſe quiſpiam putet, ſi in Academia Adoleſcens verſetur, atque in prętantium ſe Magiſtrorum diſciplinam tradiderit, interim compita, fora, ſphæriſteria, tripudiantium hominum circulos, puellarumq́ue gynecæa, compotatorum gurguſtia frequentiùs adeat, quàm Philoſophorum porticus, atque lycęa, aut philoſophantium pulpita, contubernia & eruditos cętus? Audio, quid obtrudi poſſit, librorum, ſcriptorumq́ue pręſtantium nunc ingen-

tem esse copiam, domi priuatim eos Magistros, absentes licet, & mortuos, audiri tamen lectitando posse; quòd si Professorum quoque dicta placent; ex eorum, qui interfuerint, chartis recuperari non magno negotio, tenui sane Amanuensium sumptu. At contra viua magistri vox magis afficit, pascit pleniùs, instat acriùs, fortiùs in animum defert, atque adeò tenaciùs imprimit: ipse etiam gestus, & vultus docentis, & ea, quæ explicat, inculcantis, alio mox atque alio dicendi tenore, & sono elucidantis plurimum momenti & virium habent ad conferendam cognitionem viua vox, ait S. Hieronymus, nescio quid habet latentis energiæ, quo influit in animos Pythagoreos accepimus non multum scribere aut legere, sed plurimum ex ore Doctoris haurire solicitos, erat eorũ eiusmodi disciplina, cui magis aures & animus concedenda, quàm aut calamus, aut papyrus aptanda forent; itaque hi rectè inter Philosophos ἀκουστικοὶ, id est, Auditores dicebantur. Credibile est Aristotelem ea quoque de causa libros, quos de occulta vi naturæ scripsisset, Auscultatorios nominasse, quod non tam ex libris suis, quam traderet disciplinam, addisci vellet,
quàm

quàm excipi auribus ab ore docentis. Neque insulsè Diogenes ab Hegesia rogatus: vt libros aliquot sibi commodatos daret, *Non sapis*, inquit, *qui cùm caricas non pictas, sed veras eligas, verà exercitatione neglectà ad pictam te conferas.* significabat ille non semper nugax Philosophus, libris impressam sapientiam pictam, & quodam modo mortuam iacere, tum verò viuere, si Scholasticis exercitationibus animetur. Stolidus itaq; eorum est error, qui si plurima scripta aut cõpilârint, aut aliunde coëmerint, satis se ab eruditione comparatos esse putant, quorum omnem doctam illam scriptorum supellectilem si Aselli dorso commiserint, iam cùm ipsi sine doctrina vacui remaneant, stupidissimum istud animal repente insigni lauro donârint, accidat quod insulsus, sed verus vates cecinit. *Quòd si charta cadat, secum sapientia vadat.* Quare meritò Salomon ad Academicum suum Adolescentem. *Non cesses*, Fili, *audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ.*

Apud Laert. lib. 6.

§. II.

Aures præbendæ Doctori & mens.

NEque tamen ſatisfuerit, ſi ſcholam frequentaueris, niſi etiam aures Magiſtro præbueris: quid enim profuerit ſolem micare, ſi feneſtram clauſeris, & aurium ſenſum eſſe ſenſum diſciplinæ, ſeruireque potiſſimum doctrinæ capeſſendæ, tum Philoſophorum placitis, tum ipſo vſu comprobatum eſt. Quare idem Sapiens monere te pergit. *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba ſcientiæ; audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, vt ſis ſapiens*, & rurſus, *Fili, inclina aurem tuam, & audi verba ſapientium, oppone autem cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit, cum ſeruaueris eam in ventre tuo:* quem locum Plutarchus mirifice illuſtrat, *Videmus, inquit, vaſa anguſta, dum liquorem ex alio effuſum in ſe concipere geſtiunt, inclinare ſe, & aptè ad vas effluens ſe conuertere, ita vt, quòd exundat, iam non videatur exundare, ſed quaſi recondi: itidem aures adhibendæ eſſent, & ritè coaptandæ dicenti, ne quid ex monitis ſalubribus decideret, ac periret. Verùm iam* hoc

De officio Audit.

hoc non discitur, sed quod omnium maximè ridiculum est, si inciderimus in aliquem de opiparâ cœnâ, de apparatu magnifico, de somnio quopiam, aut forte de contentione, quæ illis fuerit cum alio quopiam verba facientem, arrectis auribus plenè ex ore illius pendemus. Sin alius ad se vocet tali aliquâ doctrinâ, nemo est qui animum intendat: Verùm magis auertuntur, aut rectè abeunt ad alios sermones, vbi meras audiunt nugas: atque in ea re simillimi sunt vasis sordidis, dum omnibus rebus sordidis potiùs implentur, quàm re honestâ, & quæ ex re, & vsu foret. Hactenus Plutarchus Salomonicæ mentis, si vspiam, hîc profectò accuratus interpres.

Quamquam ne istud quidem sufficiet vacuas, & patentes aures attulisse: nisi animum quoque seriò admoueris, tum, vt quæ audiuntur intelligentiâ assequaris, tum vt memoriæ arculæ commendes, & recondas. Hæc te Salustius monet, *Vbi intenderis ingenium, ibi valet.* Ecquid commodi audita conferent, si vnâ aure admissa, per alteram emissa mox effluant? oblectabunt fortassis veluti per transennam, sed ad bene beateque viuendum nullo vsui esse possunt; meminisse tamen debet Auditor, inquit rursus Plutarchus, *quòd non in theatrum,*

neque ad concionem, sed ad scholas venerit, vt ex sermone vitam emendet. Quotus verò quisque ex ingenti discipulorum grege reperitur, qui attendat in scholâ, aut in rem præsentem intendat; multi veniunt, vt ne alibi otientur, istic otientur: Græcis quidem schola, otium est, & quædam à rebus agendis vacuitas: Verum istud quidem, sed ita tamen, vt in otio isto negotiosi simus, à cæterisque agitationibus liberi in vnius sapientiæ studia animum intendamus: non vt tempus fallamus turpi otio: Alij in ludum litterarium confluunt, vt scamna terant, congerronibus assideant, quibuscum nugentur, & fabulas affabrè componant. quidam denique veniunt,
Ep. 108. *Vt audiant,* inquit Seneca, *non vt discant: sicut in theatrum voluptatis causâ ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc Auditorum partem videbis, cui Philosophorum schola diuersorium otij sit: non id agunt, vt aliqua illic vitia deponant, vt aliquam vitæ legem accipiant, ad quã amores suos erigant: sed vt oblectamento aurium perfruantur: aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non vt res excipiant: sed verba, tam sine profectu alieno ducant, quàm sine suo audiant.*

§.III.

§. III.

Silentium ac modestia.

PORRO ad attentionem duæ res ſunt, quæ plurimùm conferent, ſilentium & modeſtia: de priore ita præſcribit Quintilianus, perelegans adoleſcentiæ Inſtructor: vt Magiſtrorum officium eſt docere, ſic diſcipulorum præbere ſe dociles, alioqui neutri ſine altero ſufficiunt. Et S. Bernardus Monachum inſtituens, loqui, ait, & docere Magiſtrum condecet, tacere & audire diſcipulo conuenit. Pythagoras ijs, qui ſe in ipſius diſciplinam tradidiſſent quinquennale ſilentium imperabat, ratus tum maximè Philoſophaturos, cum diu, multumque tacere didiciſſent. Pythagoręos olim ſectabantur diſcipuli Brachmanum (hoc nomine Indi Philoſophiæ Profeſſores ſuos appellant) ita enim illi religiosè auſcultabant in ſcholis; vt ne excreare quidem aut exſpuere auderent. Nimirum garrulitas vno ſtrepitu tribus officit, Magiſtro. garrienti, condiſcipulo. Iam de modeſtia Plutarchus quædam habet, etſi ipſe parui æſtimet, minimè contemnenda. *Ad-*

denda, inquit, *insuper sunt hæc iam passim vulgaria è triuio petita, & ab omnibus Auditoribus generatim obseruanda, vt videlicet alacer, & non procumbens in latus, sed erecto corporis habitu considens acie oculorum in docentem semper intentâ, ita vt minimè illum fallat, quàm attento sis animo: Vultus proinde tenor constans sit, ac purus non modo à procacitate & duritie vacans*; Verùm etiam ab omni aliâ sollicitudine, atque negotijs. Ad modestiam quoque pertinet, vt argumentans ab iracundia, & maledictis abstineat, etsi frigida, & elumbis argumentatio quoque cauenda sit. *Dissidentium*, ait Tullius, *inter se reprehensiones non sunt vituperandæ, maledicta, iracundiæ, contentiones, concertationes in disputando pertinaces, indignæ mihi Philosophiâ videri solent.* Subdit rationem, *neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia, aut pertinacia, rectè disputari, potest.* Non sunt illa nullius momenti habenda, sine quibus res maximæ, cuiusmodi sunt scientiæ, comparari non possint. Quare neque me pigebit hic quædam alia eodem spectantia, etsi præcepta videri aliquibus possint leuioris negotij, ne aliquid quod ad eruditionem acquirendam faciat, prętermittam, attexere.

Lib. de finib.

§. IV.

§. IV.

Modus capiendi vtilitatem ex scholasticis exercitationibus, & legibus.

QVod inter docendum à Magiſtro ex alijs quæritur, à te peti credito, reſponſionem ex te ipſo exigito, & tibi ſubmiſsè ac priuatim reddito, ita enim ex quæſitis doctior euades. Idem faciendum cùm ſe diſcipuli argumentis laceſſent, impugnando, defendendo: tu interim, iam probantis, iam refellentis perſonam parteſque tibi imponito, dic tibi, hoc ego negarem, concederem, diſtinguerem. Si quid negatur, excogita, qui iſtud probares, ita tecum ipſe contende, quaſi ludicrâ pugnâ, dum duo illi qui in arena concertant, feriò ſeſe impetunt, atque ſtrenuè digladiantur. Ita alienæ tum commentationes, tum meditationes illæ ſcholaſticæ, quaſi tuę erunt, diſceſque te tueri, aut etiam impugnare, quaſi in vmbra; quo poſtea in puluerem venire audeas comparatior. Meminiſſe hîc debes gymnaſia propriè eſſe loca, in quibus palæſtritæ diligenter ſe exercent, & ſcholas appellari, quod ij, qui in ijs verſantur, à cæteris nego-

gotijs liberi in vnius ſapientię ſtudijs animum intendere debeant. Fit nonnunquam, vt vel garrientem, vel immodeſtè agentem Pręceptor obiurget, caue ne irrideas, *intolerabilis eſt*, ait iterum Plutarchus, *& ingenij penitus deplorati, ſi quis Iuuenis ad ſcomma, id eſt acriorem reprehenſionem Magiſtri, rideat, ſi eum non pudet, ſi nihil commouetur. Totum enim id accidit peccandi aſſiduitate, & inueteratâ conſuetudine, quemadmodum in carne callo obducta*, mox idem ſubijcit vitium aliorum quorundam planè contrarium, eorum ſcilicet, qui pudore ſuo abutuntur, ſemelque dumtaxat malè accepti fugam capeſſunt è ſcholâ, ad Philoſophiam redituri nunquam, *Quorum*, ait, *vicem ob id dolemus, quia egregium ex natura ad virtutem calcar, puta verecundiam, mollicie animi, ac delicijs perdunt:* quippe ita delicati ſunt hi Pygmæi, vt ne vnam quidem duriuſculam vocem ſatis æquo animo tolerare poſſint. Age nunc, quoniam in Scholæ Præceptis verſamur, communes Scholaſticorum leges, ex Pontani optimi quoque morum Præceptoris commentario in hunc locum transferamus, neque enim id abs re erit, aut ab inſtituto alienum.

De offic. Aud.

LE-



LEGES SCHOLASTICÆ.

Ex Pontano.

1. Doctorem non secùs, quàm Parentem colunto.
2. In ludum, quoad fieri poteſt, ſeriùs ne ingrediuntor, ante tempus, ſi poſſunt adſunto.
3. In gymnaſio modeſtè conſidento, idque tantum agunto, & cogitanto, cuius causâ locum peteſſunt.
4. Ne dormiunto.
5. Ne fabulantor, ne nugantor, ne vlla ratione Doctorem perturbanto.
6. Quotidianam Magiſtri auſcultationem priuato ſtudio anteponunto, ac niſi ſummâ neceſſitate ne ſemel abſunto.
7. Si quid haud probè acceperint, aut ſi de quo dubitauerint, Magiſtrum adeunto, interroganto, conſultanto, pudorem ruſticum exuunto: quæ retinere memoriâ, cùm audiunt, nequiuerint, chartis mandanto, quæ commodè calamo annotare non poterunt, cùm primùm

mùm domum repetierint, ſuis locis ſcribunto.

8. A Scholâ digreſſi tempus aliquod ijs tacite reuoluendis, aut cum alio conferendis conſumunto.

9. Quod hodiernâ luce diſci poteſt, in craſtinum ne differunto.

10. Tempore nihil pretioſius: proinde, ne qua pars illius ſine fructu effluat, prouidento.


11. Diem in certas horas partiuntor, & quod quaque hora faciendum ſit, certum, ac definitum habento.

12. Antelucanâ opificum diligentiâ vinci ſe ne patiuntor.

13. A Menſa ad libros poſt interuallum redeunto.

Rectè enim hoc, atque ex ordine, & officio: quis enim Academicum Adoleſcentem ferat, ſi ſtatim atque campanum æs ad finem lectionis increpuerit, è manu tabellam ſcriptoriam, ſimulque omnem curam ſtudiorum ex animo abijciat, tum verò reſumat chartas pictas, damnatam legibus aleam, plenoſq; iurgiorum Scyphos? ſed de priuatâ, domeſticâque ſtudiorum tractatione nunc ſigillatim, & paulò pluribus agendum. Eſt enim hęc occupatio ferè in præcipuis habenda.

ORA-



ORATIO.

Post reditum è Scholâ.

ECce, Domine mi, ex Schola redeo: neque tamen aut doctior, aut melior, nisi istud vtrumque mihi per gratiam tuam largiaris, Scio enim quod Apostolus tuus docuit, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus : quare si linguis hominum & Angelorum loquantur Magistri mei, facti sunt velut æs sonans, & cymbalum tinniens, nisi intus mentem aperueris, & cor meum pulsaueris : vt, quæ illi dixerunt, intelligam, &, quæ didicero, opere impleam. Sapienter enim dixit quidam è seruis tuis, possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt, pulcherrimè dicunt, sed cor, te tacente, non accendunt. Litteras tradunt : sed tu sensum aperis. Mandata edicunt, sed tu iuuas ad perficiendum. Viam ostendunt : sed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tan-

tantum agunt: ſed tu corda inſtruis & illuminas; illi exterius rigant, ſed tu auditui intelligentiam tribuis. loquere igitur, Domine, quia audit ſeruus tuus, Verba enim æternæ vitæ habes, loquere mihi ad qualemcunque animę conſolationem & ad totius vitæ meæ emendationem, tibi ad laudem & gloriam, & perpetuum honorem. Amen.



SVM-


Priuatum Studium. 9.
In fundo Veritas





SYMBOLI EXPLICATIO.


Exantla, mi Adolescens, sed gnauiter, operosè, fortiter; altè enim in Democriti puteo mersa latet veritas, nisi plurimùm desudaueris, aut nihil, aut parùm hauries.

Tum verò ligonem in manus sume, Salomon offert, solum scilicet tibi etiam aperiendum, effodiendumque: nam vt auri, & argenti nobiles venas (quibus rebus hominum opinio valorem dedit) natura sub terra recondidit, ne diuites absque labore euaderemus: ita meliores animi opes scientias Deus abstrusas esse voluit, neque absque sudore parabiles: Pegasus poëticus non nisi è solo repercusso Castalios latices elicuit: omnia fere, quæ in precio esse possunt, primùm latent: nam ea, quæ passim occurrunt, iam pridem viluêre: frangendus præterea ei nu-

 cleus,

cleus, qui eſſe nucem volet.

Studium igitur etiam extra ſcholam in muſæis adhibendum, acre, & conſtans: dictata à magiſtris lege, relege, volue, reuolue, euolue, dum mentem, ſenſumque conſequaris: quæ nequis per te aſſequi, ſeorſim annota: multum ex te percunctere, tibique reſpondeas, commentare, ſpeculare, alios etiam adi, audi, hæ Academiarum paleſtricæ ſunt exercitationes, ſine quibus lemniſcatam coronam, aureamve lauream nemo vnquam meruit, aut tulit.




CAPVT TERTIVM.

Priuatum ſtudium.

MONITVM.

Priuatam, domeſticamque veritatì exhauriendæ, effodiendæq; operam, diu, multumque concedito: eo vero in ſtudio certam rationem, ac methodum inſequitor.

SALOMON.




Oſt induſtriam ſequetur ſapientia. Eccleſiaſt. 10.

Si quæſieris ſapientiam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges. Prou. 2.

Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum. Prou. 24.

Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons ſapientiæ. Prou. 18.

Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri: ſed homo ſapiens exhauriet illud. Prou. 20.



MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Libri, & Scholæ non ſufficiunt Doctrinæ comparandæ.

REfutandus Principiò eſt eorum error, qui ſatis ſe ab eruditione inſtructos eſſe árbitrantur, ſi oſtentare poſſint ingentem bibliothecam, aut ſaltem concinnè compacta Doctorum, Profeſſorumq́ue commentaria, quæ antè ſuâ ipſorum, aut (quod vanius eſt) aliorum manu exarata exceperint. Quâ opinione nihil inſulſius, non enim libris, aut aſſeribus: ſed animis clauditur ſapientia: arcæ ſcriptis rumpantur, ſi mens

mens est inanis, & ab eruditione inops, pauper eris, ac miser.

Errant paulo tolerabilius illi, qui omnes officij numeros explesse sibi videntur, si à schola nunquam absint, si cùm adsunt, Professorem studiose auscultent: non inficior id esse aliquid, nego esse satis ad muneris absolutionem, conquisitionemque eximiæ cuiusdam eruditionis. Quare qui mox ac è scholâ euolarint, miseras perditasque chartas tinearum nidos in Angulum cōijciunt, neque euoluunt, ac ne resumunt quidem, donec ad scholas redeant, hi vt è limine sapientiam salutent: certò nunquam in sacratiora ipsius adyta ingredientur.

§. II.

Præcipua pars officij, in sapientiæ studiosis, exercitatio.

SIquidem præcipua pars officij, & comparandæ doctrinæ ratio, ac via est exercitatio. Aristoteles ad sapientiam comparandam, tria requirebat, naturam, doctrinam, exercitationem, dicereque solebat; naturam, discipulique & doctoris industriam parùm valere:

nisi, quam postremo loco posuerat, exercitatio, ad duo priora accederet. Diogenes vsum & exercitationem dicebat, quemadmodum in actionibus extraneis, puta saltatione, cytharizatione, & alijs eiusdem rationis, ita in actionibus virtutis, & animi celeritatem quandam, & facilitatem parere. Atque ita esse ipsi quotidie ex vsu, atque exercitatione facile experimur. Sicut igitur, qui militari disciplinâ præstare student, primùm tentationibus gladiatorijs priuatim exercentur, vt cum seriò erit pugnandum, audaciores, fortioresque euadant, idq; Tauri ante pugnam, aliaque bruta arietando in truncum arboris nonnunquam faciunt; ita sapientiæ studiosa mens priuatis curis, & studijs excolenda, priusquam foris ingenij specimen ostendatur: eò id pertinet sapientiæ monitum. *Post indústriam sequetur sapientia.* Nimirum mentis obtusa est, hebetataq; acies, vt acutè veritatem intueri non possimus, nisi multo labore rubiginem abstersérimus. Iam verò diu adhibitâ industriâ, sapientiæ tandem splendorem emicare, atque effulgere posse sperabimus; idque ipsum alijs similitudinibus tum thesauri reconditi, tum agricolationis, tum denique aquæ ex puteo exhau-

Laert. l. 6.

exhauriendæ egregiè Salomon demonſtrat. *Si quæſieris*, inquit, *prudentiam, quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges: præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ, ſicut aqua profunda: ſic conſilium in corde viri; ſed homo ſapiens exhauriet illud.* Altè humo ſepulta, obtectaque eſt ſapientia, & quomodo opulenti theſauri recondi ſolent, ab aſpectu, vſuque procul reponi, minimè effodiendi, niſi maximo labore, ac niſu. Sic terra, niſi araueris, ſulcaueris, occaueris, aliamque omnem agricolationem adhibueris, ſterileſcit: ſi tamen nullum ipſius excolendæ, exarandæque laborem, ſtudiumque prætermiſeris, fertilis euadet: denique in Democriti puteo *demerſa veritas iacet*, atque in imo fundo latet, non emerſura, niſi magno, diutinoque labore, quaſi exanthlando exhaurias. Id autem quâ ratione, ac methodo fieri debeat, nunc explicandum eſt.

§. III.

Methodus studendi.

ANimalia munda, canes venaticos, venatores ipſos, ac pictores, denique florilegas apes imitabere. *Auditor,* ait S. Auguſtin. *ſimilis eſſe debet animalibus, quæ ab eo, quod ruminent, munda eſſe dicuntur: vt non pigeat cogitare, quæ in cordis alueo concepit, & cùm audit, ſimilis ſit edenti, & cùm audita in mentem reuocat, ſimilis ſit ruminanti.* Quid verò canis venaticus? non ſatis eſt animalis huius curioſæ ſagacitati campum percurriſſe, itque reditque vias, & odore emunctæ naris, & repetitis locorum ambagibus inueſtigans feram indagare, neque raro euenit, vt ſecundâ, tertiâque inquiſitione aſſequatur, quod primâ venatione nondum deprehenderat. *Quemadmodum* (ait Clemens Alexandrinus) *qui ſtudio tenetur venationis, poſtquam quæſiuit, inueſtigauit, indagauit, canes qui ſimul perſequerentur, emiſit: capit; ita etiam apparet, vtrum dulcedine quæſitum, & labore paratum.* Pictores quoque, & alij operoſiores artifices, quæ in publicum euulgare cum ambitione gloriæ cupiunt, ea excolunt,

De vera innocent. c. 110.

lunt, expoliunt, elimant, exornant, perficiunt non vna leui manu, aut tentatione artis contenti: quod nisi facerent, homines nihili haberentur. *Miser olim pictor, cum suam Apelli ostenderet tabulam, hanc modo pinxi aiebat: Apelles contra acutè; etsi taceres, res ipsa loquitur, hanc tibi imaginem subitò excidisse: demiror autem quo pacto non plures eiusmodi depinxeris.* Audiatur Plutarchus, iterum in hoc, in quo sumus argumento apprimè versatus, *neque eâ in re puellas imiteris, quæ ad serta concinnanda lectissimos quosque flores deligunt, opus sanè iucundum, ac voluptate plenum, quis nesciat? caterùm nullius frugis, ac dumtaxat diurnum: sed apum potiùs te moueat exemplum, quæ violis, rosis, & hyacinthis neglectis, thymos accedunt florem asperrimum, atque amarissimum, illúq; insident flauum mel conficientes, inde vbi acceperunt, quæ visa fuerint commoda, auolantes ad domestica negotia reuertuntur.* mox acetum adspergens. *Et quis ferat,* inquit, *te in Tonstrina surgentem mox assidere speculo, & contactu capitis cæsariem contueri, num probè sis tonsus: & à scholis, vbi sermonem audiuisti, num protinus te ipsum contemplari, & animo tuo discere, quid miseriæ, implacabilitatis, aut immodestiæ decesserit, quantoq; factus sis tranquillior, atque lætior.* De offic. Audit.

Legere

Legere me memini Gymnoſophiſtas apud Indos mensâ cõſtratâ, priuſquam cibaria apponerentur à diſcipulis adoleſcentibus rogari ſolitos, quid boni ab exordio lucis vſque in illam horam feciſſent, cùm de ſuis quiſque factis enarraſſet: qui nihil dicere de ſe poterat, impranſus abire, & aliquid boni operis facere iubebatur: atque hoc erat demum philoſophari. Quàm hîc contentè declamitaret Seneca, ſi viueret: nam iſta, quæ olim dixit, quadrant in hæc

Præfat. in lib. 1. contr.

tempora. *Ecce*, aiebat, *torpent ingenia deſidioſæ iuuentutis, nec in vllius honeſtæ rei labore vigilatur, ſomnus, languorque, ac ſomno, & languore turpior malarum rerum induſtria inuaſit animos: cantandi, ſaltandi, nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, & mollitie corporis certare cum fœminis, & iucundiſſimis excolere mundiţijs noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt.*

Generalia iſta ſunt præcepta, atque eò ferè ſpectant: vt quæ in ſcholis audiueris, domum reuerſus accurato ſtudio relegas, mediteris, contempleris, ſpeculeris: quæ ſequuntur particularia ſunt; *multùm legas non multa.* Habendus enim eſt imprimis delectus librorum, ijque

ijque terantur, qui professorum iudicio ad rem, & captum tuum maximè probabuntur. Philosophiæ studiosis ferè satis fuerit, plurimùm in ijs, quæ dictata in scholis à magistro exceperint, se versare, in ijsque diligenter versari. Senecæ hæc sunt monita. *Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ sunt varia potiùs nocent, quàm alant. Satius est profuturis se credere, quàm errare per multa, qui vbique, nusquam; onerat discentem turba, non instruit, satius est paucis te auctoribus tradere.* Aristippus tradebat non dissimilia apud Laërtium. *Non hi, qui plurimùm edunt, meliùs valent: sed qui sumunt, quantum opus est: ita non, qui plurima, sed qui optima legerint, studiosi, & eruditi sunt habendi.* Ita ille Philosophus reprehendebat eos, qui tumultuariâ, inordinataque lectione semet ingurgitant, nec ea, quæ legunt, traijciunt in animum. Non multò istis sapientiores sunt, qui se satis à sapientia instructos existimant, qui ingentem Doctorum Bibliothecam, laudandam sanè in homine litterarum cupido supellectilem, ostentent: at mi homo splendide, non libri te sapientem reddent, sed studium. L. 1. de tranquil.

Emerat aliquis Epicteti Philosophi Lychnuchum fictilem trecentis denariis: Caussin. in symb. ex Lucian.

rijs: tanti æstimabat: existimabat verò futurum scilicet, vt si nocte ad eam lucernam legisset, mox dormiens Epicteti sapientiam somniaret, efficereturque persimilis venerando seni. ridiculum factum! hûc acetum, Satyrice Vates aliquis. plena omnia Gypso.

Iuuen. Sat. 2.

Chrysippi inuenias: nam perfectissimus horum
Si quis Aristotelem, similem vel Pittacon emit,
Et iubet Archetypos pluteum seruare Cleanthas.

Quid tum? videbitur iam sibi in philosophiâ Deus quispiam. Doctum volumen vbi iste in manus ceperit auersâ paginâ risum moueat, non admirationem.

Apud Lucia.

Neanthus quidam, regius sanguis, Orphei Lyram in templo religiosè seruatam corrupto pecuniâ æditu cùm sustulisset, sub noctem in suburbium profectus, vt eius periculum faceret, fides pulsare occipit, quo successu? infœlicissimo; quippe tam ferali, & incondito carmine, strepitu, inquam, excitati è viciniâ canes cytharædum miserrimè contrucidârunt. Studium igitur, non peritorum instrumenta erudient. Sed nunc ad rem ipsam tandem venia-

veniamus, familiaremq; studendi viam, atque rationem aperiamus. Primùm crucis signo efformato de more, breuique ad increatam sapientiam precatione præmissâ, ante omnia titulum propositæ quæstionis animo comprehensum habere studebis: vt probè nôris, quâ de re dubitatio instituatur: mox attentè, & tractim: sed tamen continuo tractu argumentum totum perleges, ac statim deinde resumes, quæ leges per particulas, & periodos; singulasq; sententias accuratè contemplaberis: hoc enim speculari est, hoc philosophari: ita porro peruades omnia, fietque tandem, vt paulatim per partes capias, quod simul totum nequiuisses. *Vidimus*, ait Nilus, *serpentem exigui corporis magnum aliquod animal deuorasse, quod quidem ita facit, ossa & neruos paulatim conterit, & contrita exsugit: sic etiam parua sapientia magnas sæpè deuorauit difficultates, atque digessit paulatim.* Apud Aut. in ellefiſſa.

Iam in progressu si vspiam cespites, & vno, alteróve insit frustratus nihil dum veri elicias: tunde tamen, & extunde etiam: de saxo, si ter percusseris, vnda emanabit, atque profluet. Alphonsus Rex ille Hispaniarum longè sapientissimus, cùm latentem veritatem è libro

bro aliquando exprimere conaretur, eius externas tabulas, quibus liber erat compaginatus, digitis crepans identidem pulſabat; rogat, qui tum id ſpectabat, vir quidam è familiaribus princeps: quid crebris pulſibus, Rex, quatis inſontem membranulam? atqui, ſubdit Alphonſus, *nequaquam ad ſurdum clamo:* Et aperto tum demum codice; *Diſcede,* ſubijcit: *nam mihi diu pulſanti iam tandem liber reſpondere incipit.* Quòd ſi ne ſic quidem tentans, & tecum experiens aſſequeris, è cælo lucem pete, eamque in rem ad menſam expoſitam habe imaginem aut Chriſti in cruce pendentis, aut Virginis Matris, aut alicuius è reliquo diuorum numero: vt difficultate grauiori obiectâ in ſacram effigiem oculo, animoque contuens, precationemque adiungens cum luce opem, vireſque è cælo impetres, ita enim quod ſanctus Thomas Theologorum, Philoſophorumque vertex dictabat, ſtudium orationi, oratio ſtudijs coniungenda ſunt.

§.IV.

§. IV.

Singulare domesticæ exercitationis exemplum.

LVbet hîc priuatæ exercitationis, studiosiq; discipuli perfectissimum exemplar vnum, alterumque adiungere, atque imprimis Bartholomæi cuiusdam natione Valentini è Dominicanâ familiâ publici Theologiæ professoris, piam admodum, expeditamque veritatis indagandæ methodum, ac rationem: etsi minucula nonnulli fortassis videri possit.

Hinc si quæstio excutienda esset de tempore, æuo, æternitate, ad hanc ita animum priùs comparabat. In vita Beati Ludouici Bertrani è famil. Domin.

Amor mi, & Domine IESV CHRISTE: seruus tuus, S. Thomas hîc in articulo quærit, num differant tempus, æuum, ęternitas; concludit autem ipse sic (doctrinam in corpore articuli comprehensam ipse sibi reddebat) obsecro igitur Domine IESV, vt me à tempore liberes, perducas autem ad æternitatem, quæ tu ipse es. Obijciebat deinde his verbis, verùm in conclusione illa serui tui S. Thomæ, cui tantam infudisti lucem, incidit

cidit dubitatio, neque ſatis video, quid reſpondeam, ô Magiſter animæ meæ. Quare peto à te per merita Beatiſſimæ Matris tuæ, vt aliquid mihi ſpiritus tui impertias, quo id aſſequi incipiam, quod te miſerante ſpero me aliquando inſpecturum.

Reſponſionem poſtea ipſam à Caietano factæ obiectioni datam ſibi ipſe quaſi commentans reponebat. Tum pergebat precari, Domine, eſto tu benedictus, qui hoc ingenij acumen illi præbuiſti: equidē credo eum eſſe in paradiſo: At ſi forte adhuc eſt in purgatorio, quęſo libera eum in laborum ſuorum pręmium, vt veniat ad fruitionem ęternitatis tuæ, de quâ adeò doctè ſcripſit.

Denique, quod partim ipſe ſtudio, partim oratione videbatur aſſecutus, conceptis famulis animo imprimebat; tum rurſus precabatur. Ita igitur ego reſponderem, tali ratione, & diſtinctione vterer, rem denique omnem ſic explicarem.

At quid eſt hoc, quod ego inutilis creatura tua cogito, præ illo, quod tuos ſeruos Eccleſiæ Doctores docuiſti. Ignoſce arrogantiæ meæ, gloria Angelorum, propter ipſorum Angelorum amorem, qui ex natura ſuâ cum æuo com-

commensurantur, ex tuaque gratiâ æternitate perfruuntur, quâ item ipse ex eâdem tuâ gratiâ, licet sim peccator, perfruar. Amen. Ita ille in ieiunâ alioquin rerum speculatione suauem diuinarum rerum sensum, ac gustum in se exprimebat. Atq; idem prope iam olim factitabat Augustinus præclarum illud non modò Africani, sed totius orbis lumen. Inciderat aliquando tunc, cùm primùm res diuinas sapere inciperet, in perplexam sanè disceptationem de temporis naturâ: *Exarsit*, inquit ipse, *animus meus nôsse istud implicatissimum ænigma. Noli claudere Domine Deus meus, bone pater, per Christum obsecro, noli claudere desiderio meo ista, & vsitata, & abdita, quominus in ea penetret, & dilucescant allucente misericordiâ tuâ, Domine. Quem percunctabor de his, & cui fructuosiùs confitebor imperitiam meam, nisi tibi, cui non sunt molesta studia mea? da quod amo: amo enim, & hoc tu dedisti. Da pater, qui verè nôsti data bona dare filijs tuis: da quoniam suscepi cognoscere te, & labor est ante me, donec aperias. Per Christum obsecro, in nomine eius Sancti Sanctorum, nemo mihi obstrepat.* Confess. l. 11. c. 22.

Ecce veteres posuisti dies meos, & transeunt, & quomodo, nescio. Et dicimus tempus,

& tempus, tempora, & tempora manifestissima, & vsitatissima sunt, & eadem rursus nimis latent, & noua est inuentio eorum.

Cap. 23. *Ego scire cupio vim, naturamq; temporis. Video tempus quandam esse distensionem: sed video, an videre mihi videor? tu demonstrabis lux veritatis.* Mox rursum indagans temporis naturam, quasi nouo difficultatum freto absorbetur, quare cum

Cap. 25. Deo pergit. *Confiteor tibi Domine, me ignorare adhuc quid sit tempus, & rursus confiteor tibi Domine scire me in tempore ista dicere, & diu me iam loqui de tempore, atque hoc ipsum diu, non esse nisi moram temporis. Quomodo igitur hoc scio? quando quid sit tempus nescio? an forte nescio, quemadmodum dicam, quod scio? hei mihi! qui nescio saltem, quid nesciam. Ecce Deus meus, coram te, quia non mentior, sicut loquor, ita est cor meum Tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.*

Cap. 27. Conatur denique iterum, & assurgit, tum sese fortiter excitans, *Insiste,* ait, *anime meus, & attende fortiter, Deus adiutor noster, ipse fecit nos, & non ipsi nos; attende vbi albescit veritas:* ita vir ille non doctus magis, quàm pius. Neque verò tantùm iuuant ista ad lumen à Deo impetrandum, aut mentem in veri inquisitione

ſitione extimulandam, ſed etiam vt fa-
tigatus ſtudio animus ea tum varietate, tùm ſuauitate ſuſtineat ſeſe, ac recreet: quam ad rem præterea iuuerit, aut pij libelli interpoſita breuis lectio, aut in piam Chriſti, B. V. aut alterius rei Sacræ imaginem intuitus, tum verò potiſſimùm orationes ignitæ, eæque breuiſſimæ, quas idcirco iaculatorias appellant, quibus ſubinde in Deum per interualla iaculatis mirificè reficitur, refocillaturque animus. Eæ autem præſertim ex Dauide, & S. Auguſtino ſumi poſſunt, qui duo fuere in eo orandi genere diuiniſſimi.

Omittere hic ad extremum Beatum Dorotheum, præſtans, ſi quod aliud Scholaſticæ tum diligentiæ, tum diſciplinæ, idemque expreſſiuum exemplar, minimè debeo: ita ille de ſe totidem verbis, ſtylo quidem ſimplici, ſed ingenuo, *Cùm ad ludum pergerem egreſſus iam ephœbis, inuigilabam admodum à principio: vbi verò cœpi ad lectiones aſcendere, & librum aperire, territus pœnè diffugiebam, eramque, vt qui agreſte animal formidat contingere: at vbi meipſum coëgi & durani pergens, vt poteram, Deus opem attulit, & ad habitum diſciplinæ perueni; itaque plerumq; ita diſtrahebar ſtudio miro, & ardore*

 lectio-

lectionum, vt quid comedissem, bibissem, obdormiuissem, interdum ignorarem: neque aliquando acquieui: vt à quoquam amicorum in prandium, lectionis tempore ducerer; diligebam tamen socios meos: cùm igitur nos dimiserat sophista, lauabar, indigebam enim quotidianâ lectione, cùm quotidie in studio, & labore lectionum desudarem: concedebam inde domum, nihil curans quid mihi edendum esset, cùm neque otium ad parandos cibos suppeteret: aderat autem amicus, & familiaris meus, qui mihi pararet, si quid voluissem: accipiebam igitur, quicquid ab eo paratum offendissem, habens semper ex opposito lectulum meum cum libro, inclinabamq; post cibum, & cùm paululùm obdormiuissem, cum vicino semper libro, exiliebam ilicò ad lectionem è somno, item & ad vesperam, cùm è ludo discederem, semper cum lumine ad mediam noctem legebam; & vigilabam: cùmq; ita me haberem, nullam fateor aliunde dulcedinem, aut voluptatem capiebam, nisi à lectione. Hæc de seipso B. Dorotheus. Atque illos & tu imitabêre, mi Academice Adolescens, si non pari diligentiâ ac studio (neque enim id omnes debent, aut possunt) aliquo saltem, euenietque tamen fortassis aliquando, vt ne sic quidem veritatem attingas: ac nolim despondeas animo: refer saltem

in


in chartulam locum illum, quem adhibita precatione & ſtudio nec dum aſſequeris, & tranſili. Præceptor, aut te doctior ſocius aliquis, aut dies ipſe longior lucem adferet: multa inter docendum, diſputandum, diſcendum occurrent poſteà, quæ priorum lectionum vmbras depellent: ipſa mora non rarò lumen attulit, creſcit ingenium cum ætate ſenſim, & ſua ſunt interim lucis interualla: quæ nunc occultantur, cras, imò hodie, & paulò poſt, ſeſe ſponte ingerent. Sed iſtuc imprimis, quod obiter dicere cœperam, iuuabit plurimùm Preceptores ac Magiſtros ſæpe adeas, interroges, audias, aut etiam alios te ſapientiores, familiariter tibi adiungas, ipſe conuictus, allocutio, imò aſpectus erudit, & ſapientiam inſinuat. Quare ita ſapientiæ ſtudioſum monet Eccleſiaſt. *In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere: vt omnem narrationem Dei poſſis audire & prouerbia laudis non effugiant à te. Et ſi videris ſenſatum, euigila ad illum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Cur iſtud? inquies, audi Senecam cuius iſta ſunt ad Lucilium ſuum ſcribentis. *Nulla res magis animos honeſta induit, dubioſque & in prauum inclinãtes reuocat ad rectum, quàm bono-*

Eccleſiaſt. c. 6.

Epiſt. 94.

bonorum virorum conuerſatio: paulatim enim deſcendit in pectora; & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aſpici frequenter. Occurſus me hercule ipſe ſapientium inuitat, & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Non videtur omninò parergon, ſi iſtud hîc quoque ad extremum monuero: plurimùm ad eruditionem comparandam referre, ſi Academicus Adoleſcens horam prandendi, cœnandique ſtatam, ac ratam ſeruet: vt enim in rebus omnibus, ita in literarum ſtudijs ordo viam compendioſiorem facit & expeditiorem. Scio pauperibus ventrem eſſe pro ſolario: ſed ad horam ſæpe nec prandiolum nec cœnulam adeſſe; Diogenem verò roganti quâ horâ cœnandum eſſet, reſpondiſſe, diuiti, quando vult, pauperi, quando poteſt: at ſaltem, cui eſt integrum, ordinariè ad horam certam paret; ſuæ vt ſtudijs horæ conſtent.

ORA-




ORATIO.

Ad IESVM *ſapientiam increatam, &c B. Virginem diuinæ ſapientiæ optimam parentem.*

IVbes, bone IESV, vt ſi quis ſitit, veniat ad te, & fontem bibat aquæ ſalientis in vitam ęternam. Ecce veritatis tuæ cognoſcendæ ſiti grauiter ęſtuo. Verùm puteus altus eſt neque habeo quo hauriam. Tu Domine Deus ſuccurre, quæſo, mihi hodie, & fac miſericordiam mecum: ecce ego ſto prope fontem aquæ: deſcendat de Cælo Virgo aliqua, cui cùm dixero da mihi pauxillum aquę ad bibendum, ſtatim reſpondeat, bibe, eo enim ſigno intelligam, quòd feceris miſericordiam cum ſeruo tuo. Adeſdum igitur, ô decora nimis, Virgoq́ue pulcherrima MARIA, quæ iam pridem ex illo inexhauſtæ ſapientiæ fonte ad plenum hauſiſti, mentemq́ue tuam potâſti: quęſo pauxillum aquæ mihi ad bibendum prębe de hydria tua: patieriſne

optima Mater, vt patiar à te repulſam? Rebecca olim Abrahamicæ domus ſeniori ſeruo petenti, vt ad potum dandum hydriam inclinaret, celeriter hydriam deponens de humero, potum ei dedit, cumque ille bibiſſet, addidit, quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant, effundenſque hydriam in canalibus recurrit ad puteum, & hauſtam omnibus camelis fudit. An eris, tu Maria, quam filia illa Bathuelis, aut ad audiendum preces meas ſurdior, aut ad beneficium dandum parcior? memento ſapientiæ te matrem, & ſedem appellari, eamque ob cauſam diuinâ gratiâ ſuperplenam te eſſe, vt haberes, quod in clientes effunderes. Refundemus porrò in tuos, filijque tui honores, ſi quid per te hauſerimus. Ah! nolo, nolo ex Ægypti lacunis aquas turbidas, ac fœtentes, nolo mundi huius ſalſos latices, qui quò plus bibuntur, plus ſitiuntur, atque ſolicitant: volo aquam cœleſtem, quam qui bibunt, non ſitient in æternum: imò qui bibent adhuc ſitient, ſed ſiti quæ reficiat, non quæ excruciet: fac ergò vt vana omnia contemnam, & ſolùm res diuinas amem; hæc enim vera, & vnica eſt ſapientia, quâ ad Beatitudinem peruenitur, vbi Filij tui, tuaque præſentia æternùm potiar. Amen.



ORATIVNCVLÆ.

Quas inter ſtudendum per vices eiaculeris.

SCio, quòd Sapientiæ continens, & compos eſſe non poſſum niſi tu dederis, Deus meus.

Domine miſericordiæ, da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ; homo infirmus & minor ad intellectum. Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, illumina tenebras Deus meus, Bonitatem & diſciplinam, ſcientiam doce me, ô IESV Sapientia Patris.

Viam iuſtificationum, legumque tuarum inſtrue me, hęc enim vnica, & vera eſt Sapientia, tibi obſequi, te amare, cætera contemnere.

Ah! ſerò amo te, pulchritudo tam antiqua, & tam noua, Deus meus, ſerò amo te: ecce tu intus es, & foris quæro, quod amem.

O ens

O ens entium, principium rerum omnium, & finis, res illæ omnes, quas in rerum natura videmus, ſpeculamur, & miramur, clamant, ipſe fecit nos, & non ipſi nos: tibi ergò vni honor, & gloria Deus meus; neque vlli ſtudere, aut placere velim, niſi tibi.

Veni ſanɖe Spiritus, & emite cœlitus lucis tuæ radium. Accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus. Anima mea, ſi ſcires omnium Philoſophorum dicta, quid totum prodeſſet ſine charitate Dei, & gratia? Vanitas ergò vanitatum, & omnia vanitas præter amare Deum, & ipſi ſoli ſeruire: iſta eſt ſumma ſapientia, per contemptum mundi, contendere ad regna cœleſtia: Omnis enim homo naturaliter ſcire deſiderat; ſed ſcientia, ſine timore Dei, quid importat? melior eſt profectò humilis ruſticus, qui Deo ſeruit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglecto curſum cæli conſiderat. quantò plus & meliùs ſcis, tantò grauius inde iudicaberis, niſi ſanctiùs vixeris. Hęc eſt ſanctiſſima, & vtiliſſima lectio, ſui ipſius vera cognitio, & deſpectio.

O veritas Deus, fac me vnum tecum in charitate perpetua: tædet me multa legere, & audire: in te eſt totum quod

volo,

volo, & desidero: certè in die Iudicij, non quæres à me quid legerim, sed quid fecerim, nec quàm benè dixerim, sed quàm benè vixerim.

O MARIA sedes sapientiæ, instrue me: Virgo prudentissima, illumina me: stella maris, dirige me, profer lumen cœcis, & tui Filij in me amorem accende.

Angele custos mei, qui rerum omnium naturalium causas pernôsti, & supernaturalia in Deo agnoscis. Sancte Thoma, Sancte Nicolae, Sancta Catharina Virgo & Martyr, S. Ignati, S. Xaueri, B. Gonzaga, reliquique studiorum meorum Patroni, ac Diui Presides, impetrate mihi rerum ad salutem necessariarum cognitionem, veramque sapientiam. Amen.

SYM-


Vacatio, et lusus. 10.
Etiam hîc fræno est opus.



SYMBOLI EXPLICATIO.


Natura,ratio,Deus ſuas in re quauis vices, intermiſſioneſque dari voluerunt; nox, dies, hyems, æſtas, pax, bellum alternantur, neque aliter orbis ſtaret, aut nos omnino eſſe poſſemus; eſſe & ſua debentur muſis otia, neque arcum ſemper tendit Apollo, nec animum: leonina etiam & fortia ingenia frænanda, ſi efferueant.

Cauendum tamen ne otium turpe ſit, & ſine vllo negotio: ſic relaxetur mens, vt non emolleſcat; à curis, ſtudijſque grauioribus vacet, præſertim poſt cibum: ſic tamen vt tempus tam non perdas, quàm remiſſius tranſigas, lectione libri facilioris, ac ſolutioris, confabulatione iucundâ te interim occupes; ſed ioci abſint inurbani, præcipuè obſcœni. Muſica hîc mihi præ cæteris oble-

oblectamẽtis arridet, liberale enim ſtudium eſt,& honeſtè mentem deliniens, modò iſtud hîc quoque ſeruetur, ne quid turpe ſonet, illudq́ue præterea, ne quid nimis.

Adhibenda ſuis etiam temporibus corporis exercitatio moderata, & honeſta, ne humoribus noxijs graueris: captanda aura camporum liberiorum, neque amœnæ inambulationes per viridia pratorum opaca, nemorum ſuaue murmurantia, fontium aut riparum, neque venationes auium, curſus, ſaltus, pilę diſplicent: ſi pericula & exceſſus ſtudioſè caueantur. Quidquid nimium eſt, à virtute abit in vitium.

CA-




CAPVT QVARTVM.

Vacatio & lusus.

MONITVM.

Quæ à grauioribus ſtudijs vacationes, & feriæ ſunto.
In otio otium ſemper fugito.
Corpora quoque exercentor.

SALOMON.



Mnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo tempus flendi, & tempus ridendi: tempus tacendi, & tempus loquendi: tempus belli, & tempus pacis. Eccleſ. 3.


Omni negotio tempus eſt, & opportunitas. Eccleſ. 8.

Com-

Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo, sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ. Prouerb. 24.

Qui mel multum comedit, non est ei bonum. Prouerb. 25.

Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud. Ibid.



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Animus subinde relaxandus.

HOminem rerum continui laboris patientem esse, non sinit, verissimè à Valerio Maximo dictum: nimirum ex assiduitate laborum hebescunt, atque languescunt, tum corpora, tum animi: habetque id etiam locum in fatigatione ex studijs. *Sapienter Dion Sophista animi corporisque remissiones ad nouos labores parare dicebat: &, vt arcus, & lyras: ita homines*

nes quiete vigere: quæ cæterorum etiam, qui ſapientes habiti ſunt, ſententia ſemper extitit. Danda aliqua remiſſio, inquit Quintilianus, quia nulla res eſt, quæ perferre poſſit continuum laborem; & ſtudium diſcendi voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat. Et Publius Syrus, *Iucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas; animorum impetum aſſiduus labor frangit: vires recuperant parùm ſoluti & remiſſi; ex aſſiduitate laborum naſcitur hebetudo animi & languor.* Iam Seneca ad Lucilium ſuum. *Alternis facilis labor: neque enim te iubeo, ſemper imminere libro, & pugillaribus: dandum aliquod interuallum animo, ita tamen, vt non reſoluatur; ſed remittatur.* Ex his infert Plutarchus. *Danda eſt ergo continentibus laboribus reſpiratio, idq́; in animo habendum; totam vitam noſtram, in remiſſionem eſſe, ſeriumq́; ſtudium diuiſam: quam ob cauſam non vigilia modo, ſed & ſomnus inuentus eſt, neque bellum duntaxat, ſed & pax: neque ſine ſerenitate tempeſtas; neque ſeria negotia tantùm, ſed & feriæ: vtq́; vnam in ſummam contrahamus, requies laborum eſt condimentum, neque in animantibus tantùm, ſed & rebus anima carentibus id deprehendas: nam & arcus & lyras remittimus, vt intendere poſſimus: etiam ipſe apes ſedulæ ſuas ha-*

Lib. 1. c. 3

Lib. de Educat. libero.

bent ferias: nam plurimùm interlunio cessant. Quibus tum argumentis, tum exemplis, nihil ad rem propiùs, aut elegantiùs adferri potuit, vsus est etiam auium similitudine Cicero. *Quemadmodum,* ait, *volucres videmus procreationis, atque vtilitatis causa fingere, atque construere nidos, easdemq́ autem cùm aliquid effecerint, leuandi laboris causâ, passim ac liberè solutas opere volitare. Sic nostri animi, defessi gestiunt, ac cupiunt volare vacui curâ, & labore.* Plinius ex agris comparationem hanc adduxit. *Vti nouales, licet alternis interquiescant annis: tamen eam cessationem vbertate compensant: ita relàxatio ingeniorum mediocris facit, vt ad studia reuersi plus efficiamus vigore animi, licet breuiore temporis spatio.* Quas omnes à varijs allatas similitudines alicubi egregiè suo versu Tomitanus Poëta complexus est, quem breuitatis studio præteriri patiar. Verùm nemo omnium vnus ista diuiniùs dixit quàm Salomon. *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub Cælo: tempus flendi, & tempus ridendi; tempus tacendi, & tempus loquendi: tempus belli, & tempus pacis. Omni negotio tempus est & opportunitas.* Facilia hæc, & nunc ipso vsu, allatisq́ue authoribus confirmata. Istud, quod eiusdem diuini scriptu-

Lib. 2. de Orat.

Ouid. de Ponto.

ſcriptoris ſequitur, auro, & Delphici templi foribus digniſſimum. *Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo, ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ: qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: mel inueniſti comede, quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud.* Ad rem valet hic etiam iſtud, vt in alijs pleriſque ſæpius, *ne quid nimis*; mel præſertim immodice ſumptum, bilem auget, nauſeam, & faſtidium procreat, vomitum adducit, ſic qui modum ſtudendo non ſeruat, ingenium hebetat, ac obtundit: vt apes ipſæ, quæ tenacius mellis adipi ſeſe immergunt, emergere aliquando non valent, imò immerſæ nonnunquam immoriuntur: ita ſtudia hominis ſeneſcunt, ſi immodica ſint. Tritum quod Antonius cecinit; Graio ſchola nomine dicta eſt,

Galen. lib. 3. de Diæta.

Ipſa laboriferis tribuuntur vt otia Muſis.

Laxandus eſt igitur animus à nimio ſtudio, & luſu interim recreandus; eam ob rem omnes rectè conſtitutæ Academiæ, hebdomadarias, menſtruas, annuas quaſdam vacationes eſſe voluêrunt; quibus à docendo, diſcendoque feriari fas eſſet. At quoniam otium ipſum, ſi per ſe quæratur, ferè turpe, & noxium eſſe ſolet, plurimorumque vitiorum parés,

otiandum est ſapientiæ ſtudioſo, ita vt nihil non agat. Quare miſcebis tum ſermones cum ſocijs minimè rigidos, ac ſeueros, liberiùs etiam ridebis, ſi voles, modò id bono, aut non malo ſaltem ſine facias, abſtineaſque turpibus, ac ſordidis iocis, neque verbo quenquam lædas; licebit etiam libri facilioris, & planioris facetâ lectione oblectare; obſcenâ, aut ſcurrili nunquam. Denique ſuo etiam tempore luſibus aliquid concedendum; planè; quis id adoleſcenti præſertim Academico negatum velit? *Citò rumpes arcum*, vt probè monuit Phœdrus, *ſi ſemper tenſum habueris; at, ſi laxaris, cùm voles, erit vtilis: ſic luſus animo debet aliquando dari: ad cogitandum melior vt redeat*; *Et*, vt Herodotus, *ab his quorum ſunt arcus, cùm opus eſt, intenduntur: ſi ſemper intenti ſint, rumpuntur: nec poterunt eis illi, cùm indigeant, vti: ita & hominum inſtitutum, ſi aſſiduo laborare ſtudio, nec vllam partem ſibi, ad luſum indulgeri velit, pedetentim aut mente captus eris, aut membris.*

S. Ioannem Christi corculum Theologiæque illum Phœnicem, & (vt alij rectè appellant) Aquilam, ferunt cum auiculâ luſitaſſe aliquando in campis, occurriſſe venatorem, cui in manu arcus

cus eſſet (vt fit inter eundum) remiſſus: hunc ex eo ſciſcitatum cur vir talis, ac tantus cùm haberetur, tam vili exilis oblectatiunculæ aucupio tempus falleret? illum verò contra è venatore percunctatum, cur arcu laxato incederet? cumque reſponſum accepiſſet, arcum, vt tempore ſuo meliùs ſeruiat, ſubinde remitti, tùm demùm adieciſſe, etiam ſe conſulere tempori, animum nunc tantiſper auiculæ luſu relaxari; vt poſtea vtilior foret, atque vegetior. nihil reſponderi potuit à Magno Ioanne Venatori iſti accommodatiùs, aut ſapientiùs. Minùs mirabimur impoſterum Socratem, dum animo vacaret, videre cum pueris ioculariter corridentem: vel ſapientem illum Africanum conchis in littore legendis ſæpè releuantem curas, vel Catonem Centorinum cum vernis, & famulis laxandi animi causâ colluſitantem: minùs quoque reprehendemus Anaxagoram, olim honoribus, qui publicè ei decernebantur, magno animo repudiatis vnum à Repub. poſtulaſſe: vt quo die mortem obiret, pueris, qui ingenuis artibus operam darent, feriæ, ac vacationes indicerentur. Sciebat enim vir ingenioſus è bono eſſe Reipublicæ Adoleſcentiam ad ſtudia animari, nimio

ſtudio frangi eorum ingenia, recreatione aliqua vegetari.

§. II.

Qui luſus permittendi.

AT hic ſtatim quęſtio oritur, quinam potiſſimùm luſus Adoleſcenti Academico aut commendandi, aut vſurpandi videantur. Occurrunt primùm Muſicorum inſtrumentorum, vocuméque doctæ ſimul, & ludicræ, ac iucundæ concertationes, vtpote quæ animas ſuauiter detineant, curis eximant, & non tantùm aures mirificè delectent: magnaq́; omnino eſt muſicæ cum Muſis, vt nominis, ita rei conſenſio. Ariſtoteles, & eo antiquior Pythagoras Philoſophiam muſicam appellabant, aſſeuerabantque Deos omnes, aut Muſicos, aut Muſicorum amatores eſſe. Diuinus autem Plato, corpora, animoſque hominum, imò vniuerſam rerum compagem harmoniâ conſtare aiebat, addebatque Muſicam à Dijs immortalibus mortalium generi datam, non tam ad inanem oblectationẽ aurium, quàm ad animorum, morumque noſtrorum moderationem quandam. Quid? Socrates

tes ipſe etiam ſenex à Lampone Archimuſico doceri voluit, irridebantq́ue hominem è triuio nonnulli, quibus reſpondebat vir ſapiens malle ſe muſicæ ſtudere, quàm mori iſtius artis ignorantem. Denique Athenienſes muſicis diſciplinis pueritiam informari iubebant; vt ſimul à pueris muſicè canere & ludere, ſimul ſuos mores attemperare condiſcerent: & certè maxima vis ineſt huic arti ad animorum mores in omnem partem excitandos. Pythagoras, cùm in iuuenes ebrios incidiſſet, eumq́ue voluntariæ iſtius amentiæ miſeratio tangeret; muſico, qui tum fortè aderat, imperat, vt graues Spondæos accineret. Mirum, mox illi ſenſum, mentemq́ue recuperarunt: ferunt Aſclepiadem phreneſim muſicis modulis adhibitis, Erophylum quoque febricitantium intemperiem muſicorum inſtrumentorum pulſatione curare ſolitos. Saülem certè Dauid, (quod ſacris literis eſt proditum) à malignis furijs exagitatum ſuaui cytharæ incantatione ad ſe reuocabat: vt non omninò à verò abſit, quod eſt in fabulis; Orpheum, & Amphionem, tygres, leones, vrſos ad humanitatem, Delphinos, ſaxa, lapides, ad ſeruile officium cantando, lu- L. 1. Reg. c. 16.

 den-

Ecclesiast. c. 32. dendoque pellexisse. Quid? quod testudo grata templis à Spiritu sancto impediri prohibita, passimque in diuinis libris, religiosoque numinis cultu, instrumentorum musicorum, vocumque vsus adhibebatur? qua de re Augustinum audiat, qui volet: neque enim licet hîc diutiùs immorari, sed tamen cauendus, vt in rebus cæteris, ita in musico studio excessus: alioquin mens adeò capitur eo lenocinio, vt grauioribus studijs addiscendis nec tempus subsit, neque animus; adde quòd moduli ad choreas facti mollioresque cantus animum eneruent, & frangant, libidinem subinde incendant, & venereos amores inspirent, quo veneno nihil potest esse nocentius. Quare non insulsè Damariathus quidam cùm musicum audiuisset, multas voculas concinnè effringentem, ac mutizantem artificiosâ modulatione; non pessimè, inquit, homo iste aut insanit, aut ineptit; & Spartiatæ homines moribus instituendis laudatissimi musicum quendam dicuntur mulctasse, quòd cytharam digitis crepantibus, & non vt alij solebant, pennulâ pulsasset. Nimirùm mollicellum & delicatulum istud fidium tangendarum genus esse sentiebant, imbellis, effœminatæque mentis argumentum.

§. III.

Exercitationes etiam corporis adhibendæ & cuius generis.

PОrrò ij prætereà ludi vſurpandi,qui corpus quoque ipſum curent, atque exerceant: nam vt otium frangit, ita vſus roborat; *Quæ ſtagnant aquæ facilè corrumpuntur, quæ de fonte properant ſuo perenni motu viuunt, & ſe tuentur:* exercitatione ſcilicet exudantur humores, qui morbos plerumque in otioſis, & quietis procreant: Hinc athletæ Pancraticè valent, ægris verò medici præſcribunt deambulationes, & moderatum vſum pilæ, exempli gratia; ſed ferè ante cibum; nam citò à cibo agitationes corporum nocent.

Porphyrio auicula non priùs eſcam attingit, quàm locum idoneum nacta àliquantulum ſeſe exerceat, mox puluere conſperſa lauat; demùm paſcit. Exercebantur olim iuuenes Romani in campo Martio, diſco, curſu, ſaltu, pugillatu, cæſtu. Verùm diſcus, pugillatus, cæſtus, & ſimiles palæſtricæ contentiones, quòd plurimùm ſudoris, clamoris, & rixarum excitent, ad meditationes mili-

militares amandari velim: curſum & ſaltum in Academicis non planè improbo, ſi moderatio quędam adhibeatur, neque noceatur valetudini. S. Xauerium, quòd nimius prioribus annis in cursu fuiſſet, adſtrictis poſteà ad coxendices funibus, intemperantiam illum caſtigaſſe accepimus. Venationem, auium pręſertim, ingenuam, & quæ minùs clamoſa ſit, permitto: canibus, & laqueis feras prędari ſubinde fas ſit, at ferro, & igne abſtineto. Inambulationes probo maximè, modeſtum & ſalubre, exercitationis genus, dum per amœna camporum, ardua montium, abdita nemorum ſimul aura liberior hauritur, ſimul cum moderato corporis motu animus mirificè reficitur.

In vita.


Pilæ quoque vſus antiquiſſimus, & laudatiſſimus, Romæ olim Senatus conſulto approbatus, iure omnium tùm ciuili, tùm Canonico permiſſus, ſiue datatim, ſiue raptim, ſiue expulſim cum alio ludere libuerit, ſiue malis ſolus aut in aërem, aut ad murum iam mittere iam recipere: hi enim ferè ſunt modi. Hoc genere ludendi olim delectati dicuntur Alexander Macedo, cum quo Ariſtonicus Cariſius luſit, ita cum plauſu; vt ad commendationem artis Ciuitate

Vide Alexand. ab Alexand. & Annot. l.3.c.21. in fine, ex li. 1. offic.

tate & ſtatuâ donaretur ab Athenienſibus. Duo quoque Romani Cæſares laudati, Iulius & Auguſtus, quorum hic confectis bellis ciuilibus pilâ ſe exercuit; prioris verò dictum iſtud refertur; Luſerat cum Cæcilio, ab eoque 50. ſeſtertia acceperat, colluſoribus verò reliquis idem centum dedit; tum in verbo etiam ludens, *quid inquis*, ait, *Cæcili, num vnâ manu tantùm luſi?* luſerunt prętereа, M. Aurelius Antonius, Alexander Seuerus, & Domitianus Romani Imperatores. Prætereo autem Quintum Mutium Scæuolam, augurijs & iure dicendo celeberrimum, alioſque præſtantes viros etiam in Philoſphiâ claros, Lyronem Troadenſem, & Theſilium Chalcidinenſem, & plures, qui cùm à grauibus, ſerijſque ſtudijs vacarent, pilam ſumpſerunt. Denique, quod caput eſt, Galenus medicorum princeps de pilâ libellum ſcripſit, in quo multis oſtendit, eum luſum ſalubrem, & tùm corpori tùm animo maximè idoneum eſſe: eo ſimul mentem voluptate refici, ingenium & inuentionem excoli, ſimul corpus æqualiter exerceri, oculos, caput, manus, pedes ita vt maximè in hoc campo palæſtricæ artificium appareat: vocem denique ipſam arterijs, & ſpiritu dila-

dilatatis, clariorem fieri, ac meliorem: adhibeantur tamen eæ cantiones, primùm clamores absint; ingenuum enim adolescentem dedecent; item nimiæ denudationes pectoris, quæ oculos cuiuspiam lædant: deinde ne nimiùm sudores excitentur, ne sanguinis æstus, aut ebullitiones accidant, vnde pleuritides, febres, alijque morbi statim procreentur; præsertim si neque sudor extergatur, neque sensim calor remittat, sed quasi admisso frigore repente intus suffocetur, aut certè natatione aut haustu frigidæ largo totus simul opprimatur: quæ res nonnullis repentinam mortem attulit. Postremò tùm in hoc genere, tùm in cæteris ludis caueatur semper intemperantia, aut scurrilitas, aut prodigalitas, è contra verecundiæ ratio habeatur, quâ de re audiendus Cicero, *Ludendi*, inquit, *est quidam modus retinendus: ne nimis omnia profundamus: elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur*, idemque ante dixerat verbis alijs, *ludo*, *& ioco*, vti quidem licet: sed sicut somno, & quietibus cæteris, tùm cùm grauibus, serijsq; rebus satisfecimus, ipsumque genus iocandi ingenuum, ac facetum esse debet, non profusum, aut immodestum, & in ipso ioco aliquid probi ingenij lumen eluceat.

Lib. 1. offic.



IN BIBALDVM.

Aleæ & Scyphis plus nimio studentem.

ISte Philomusus, alpha laureatorum,
Qui semper agmen ductat in Schola primus,
Post studia ludit paululùm, & sapit bellè:
Post otia studet rursus, & sapit bellè.
Hoc feriari est, per vicem studet, ludit.
Sed Antimusus omega studiosorum,
Cytharœdus, aleator, atque saltator,
Vsque vsq; pernox, perdius canit, ludit,
Malè feriatam, mi bone vir, habes mentem:
Non feriatur ille, qui studet nunquam.

IN



IN EVNDEM.

CLarum Sole diem rotante ſurgis,
Mox plexis malè ſordidis capillis
Ad ludum properas fluente veſte.
Dum Doctor legit: aut reuellis aures,
Aut latus fodicas tibi aſſidentis,
Aut chartâ bibulâ facis cucullos,
Aut probrum iacis, & ſales iocoſos;
Tum ludis nucibus, pilâ, trocoúe,
Et pictis folijs, & alearum
Per legem vetito diem fritillo
Non rarò perimis, nigramq́ue noctem.
Hæc inter ſtomachus mero meraco,
Aut coctâ malè aquâ tumeſcit ingens;
Tum verò (nihil hoc pudet, pigetúe)
Quos hauſti, reuomis ſcyphos, cadoſq́;.
Non es Philoſophus, Bibalde: ſed glis,
Lurco, ganeo, glutto, ſcurra, nequam,
Nugiuendibulus, horiperda, ſaccus,
Multi prodigus æris, aleator,
Et Caldi Biberi nepos Neronis.
Multa nomina das mihi, inquis, vno
Dic verbo. Nequeam, Bibalde, verùm
Vix verbis faciam duobus? audi,
Es Bibalde, Nepos, es Aleator.

ORA-

ORATIO.

Ad Angelos Tutelares, vt adſint, aduigilentq́; ne quid in otio luſuúe à ſuis peccetur.

VOs quidem, ô Angelicæ Beatæ mentes, neque otiamini vnquam, neque verò luditis, quibus operoſum ſemper negotium eſt ſtudere ijs, quorū adminiſtratorij eſtis, ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. Quanquam quidam veſter eſt luſus, concurſare, circumuolitare, diuinamque in omnibus voluntatem præpetibus pennis exequi: at nos certè lutea vaſa portantes, & quæ faciunt inuicem anguſtias, & otiari ſubinde, & ludere interim cogimur: ſiquidem corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem terrena habitatio: vos otioſis nobis, & ludentibus, quęſo, adeſte, boni genij, neque tantùm ſpectatores, vt ad veſtros ſcilicet aſpectus in officio contineamur: ſed etiam morum Cenſores: vt, ſi quando quid peccemus, moneatis: ita adeſte, aduigilate; aurem, animum vellicate, pūngite, ſi quando opus ſit; vt viribus corporis, & animi honeſtâ remiſſione, & exercitatione reparatis, meliùs communi vobiſcum Domino hîc, & in perpetuum ſeruire poſſimus. Amen.

SYM-

Licentia morum effrænis. 11.



Non audit habenas.


Omnes ita viuimus: nobis vt ſemper plurimùm licere velimus: atque hæc ſeruilis morum licentia omnem hominis ętatem corrumpit; Adoleſcentiam maximè, quæ vulpium inſtar ægerrimè aut capitur, aut manſueſcit: vt enim omnia ſibi licere Adoleſcentes exiſtiment, facit efferueſcens ætatis ardor, rerum futurarum incuria, & præceps audacia temerariæ mētis: præſertim ſi Auus & cenſor abſint, pecuniæ verò præſtò ſint affatim, cui tāquā reginæ omnia parent: atqui id ferè in Academijs euenit.

Heu acerbiſſimi actus funeſtiſſimam ſortem! Equus rectorem excuſſit, habenas ru-

pit, abitque in præceps arduus, ac miser, alijs mox perniciem creaturus, sibi quoq; exitium: en vt cruentatus abripitur, & mox eheu! postquam calcibus obuium quemque protriuerit, efferato dente momorderit, ceruicem sibi franget.

Auicula quoque libertatis nimiùm amans, dum auolat, configitur, hoc tui animi symbolum & vitium est, effrœnis Adolescẽs, quisquis maiorum leges, Academiæ sãcita diuina, humanaque, iura omnia, iugi, imperijq; impatiens violas, & quantũ lubet, tantũ tibi licere putas; insipientiã illã tuã lamẽtabilẽ deflebit mox sapiens Salomon: Tu siccis oculis ruinã tuã vides, & vel sic perire amas?

IN-



INSTITVTIONVM SALOMONICARVM PARS TERTIA.

Vitia cauenda Adolescenti Academico.


CAPVT PRIMVM.

Licentia morum effrenis.

MONITVM.

Vitæ licentiam ne consectator.
Maiorum imperia ne excutito.

SALOMON.



Ir impius procaciter obfirmat vultum suum, qui autem rectus est, corrigit viam suam. Prou. 21.
Sapientiam, atque doctrinam stulti

despiciunt. Audi, fili mi, disciplinam Patris tui. Prouer. 1.


Qui diligit disciplinam, diligit scientiam, qui autem odit increpationes insipiens est. Prou. 12.

Via vitæ custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat. Prouerb. 10.

Stultus irridet disciplinam Patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet. Prou. 18.

Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Prou. 29.

Ne *des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam.* Prouerb. 5.



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Licentia omnem ætatem, maximè Adoleſcentiam corrumpit.

HOmo naturâ liber atque ingenuus nihil æquè amat, & ſequitur ac libertatem: Verùm quia Deo ipſo parere recuſauit, non modò alijs hominibus, ſed ſuis etiam cupiditatibus, & vitijs ſeruire ſubinde propemodum cogitur, quæ turpiſſima, indigniſſimaque eſt ſeruitus: Omnium flagitioſiſſima eſt eorum libertas, qui humanarum, diuinarumque legum excuſſo iugo, maiorum iuſſa aſpernantur, & pro libitu, aut potiùs libidine, quicquid audent, perficiunt: rectè enim Amianus, cùm licentiam rerum, & morum corruptricem appellaſſet, ſubijcit nullam vacare quæſtionem prauitatum apud eos, qui quod velint maximas putant virtutes, veriſ- Cap. 27.

ſimeque à Publio Mimo pronunciatum; cui licet quod vult; plus vult, quàm licet.

Quamquam verò hæc peſtis in omnem vitam prorepſerit, maximè tamen in Adoleſcentum, Iuuenumque animis graſſatur: ij enim præ cæteris ardore quodam ebullientis ſanguinis, quaſi œſtro concitati ineptiunt, ac inſaniunt; & quia, propter ignorantiam aut incogitantiam periculorum, audaces ſunt, fractis ſemel honeſti timoris pudoriſq; repagulis, in omne nefas præcipites feruntur. Optimè enim Plato licentiam matrem eſſe dixit impudentiæ, pudorem verò adoleſcens vt ſemel poſuit, conclamatum eſt: omnia perdidit qui frontem amiſit. Atque vbiuis quidem Adoleſcentes hoc vitio laborant. Sed nuſquam alibi, nego vnquam aliàs magis, quàm in Academijs: vbi à parentum curâ, Auorum conſanguineorumque cenſurâ remoti pluribuſque dolis ad emungédas à matribus pecunias inſtructi, ſociorumque partim exemplo, partim exhortatione inflammati plura, imò omnia, ſibi licere iam putant: potiſſimùm vbi depoſitâ prætextâ & virgarum metu in Philoſophiæ ſcholis ferè amandato, ſibi perſuaſerint in Academijs

mijs omnium peccatorum patere licentiam, esseque isthic infinitam impudentiæ impudicitiæque impunitatem: quo postquam deuentum, nulli iam sunt sátis graues aut satis potentes vel Domini, vel Magistri, qui insanienti equo frænos inijciant, moréſve dissolutos coërceant: nam quod Terentius olim bellè expressit, quodcunque inciderit in mentem volet, neq; putabit prauum an rectum, quod petit, fiet. In Heaut.

Tu rem perire & ipsum non poteris pati.
Dare denegabis? ibit ad illud illicò
Quod maximè apud te se valere sentiet;
Abiturum se abs te illicò minabitur.

Meritò igitur exclamat hîc aliquis bonus poëta. Statius.

Quem non corrupit pubes effræna, nouaq;
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Silua comas tollit, fructumque expumat in
vmbras.

Adeste quibus ius & potestas; tuque imprimis supreme Academiæ Rector; quadrat hic Lyrici vatis Carmen.

O! quisquis volet impias Horatius l. 3.
Cædes, & rabiem tollere ciuicam:
Si quæret pater vrbium
Subscribi Statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam.

§. II.

Salomon damnat licentiam disciplinæ inimicam.

ID verò nunc agit & molitur Salomon dum vitæ liberioris consuetudinem per se quidem malam damnans eruditioni & disciplinæ ostendit esse hostem atque inimicam. *Vir impius*, inquit, *procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.*

Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi, fili, disciplinam Patris tui. Stultitiæ profectò genus est eorum, qui, cùm probè nôrint sibi vsus & consilij parùm suppetere, sapientum atque doctorum monita respuunt, imperata facere negligunt, suæque libidini parere malunt, imò genus istud quoddam est impietatis & peruersæ religionis; ita enim 70. senes locum hunc vertunt. *Irreligiosi & impij sapientiam, & doctrinam despiciunt.* Et sanè quid impium magis ac sacrilegum, quàm crimen eorum, qui acceptum à numine imperandi regendique sacram Maiestatem aspernantur atque violant? Tu, mi bone Adolescens, quem indoles melior, pudor ingenuus,

ętatis

ætatis tuæ decus verecundiæ purpura cohoneſtat, impudentium iſtorum mores ne æmulare, quod Salomon etiam monet. *Audi, fili mi, diſciplinam Patris tui*, Magiſtri, inquam, ac Doctoris: vno enim eodemque nomine Hebræi Patrem & Doctorem iure appellant, quòd Magiſter ſit parens quodammodo, neſcio an quouis parente non etiam dignior, cùm ab Ariſtotele ſapienter ſit dictum primas Dijs immortalibus deberi, ſecundas Magiſtris, tertias parentibus, neque iſtis vnquam paria referri poſſe.

Pergit ſapiens: *Via vitæ cuſtodienti diſciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat. Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet.* Docet eum, qui admonitus libenter audito, & dicto obediens eſt, & ſi is quoque nonnunquam (vt fert hominum imbecillitas) ab officio deuiet, viam tamen adhuc ei patere, eamque facillimam, quâ ad vitam, & mentem ſaniorem reuerti poſſit: eum verò, qui rectè monentem auerſatur & à ſe abijcit, aberrare toto cælo, neque vllum errandi finem facere, quòd iam ſibi omne ſapientiæ ac ſalutis iter præcluſerit. Atque hîc ego repentè vehementer me com-

commoueri ſentio. Nam quàm multos in Academijs morum animorumq́ue libertas deprauatos malè perdidit? quàm multos à rerum maximarum conſecutione auocauit? & dolendum ſanè multiſq; lachrymis deplorandum, quòd cùm multos adoleſcentes ingenio, memoria, iudicio fœliciſſimè præditos ad maxima natos factoſq́ue videamus, qui affectam inclinatamq́ue religionem recreare, releuare, ſolari, ſaltem, ſtudio adhibito facilè poſſent, negligant tamen eo tantùm vitio ducti, quòd ſe aliorum voluntati ſubdere, Magiſtris, ſcholarumq́ue legibus obſequi nolint, moleſtiâ ſcilicet aliquâ deterriti, amantioreſq́ue libertatis, quàm boni communis: ad quos pertinere mihi videtur ſimplex ille, ſed opportunus apologus: admirãs lupus benè nitentem obeſi canis, cui in via occurrerat, cuticulam, quanta, inquiebat, fratercule, eſt vitæ tuæ beatitas? tum canis: atqui licet, inquit, eâdem tu quoque fœlicitate potiaris, ſi mecum in vrbem venire voles: placet lupo: at inter eundum aduertit in collo canis attritos pilos: tum quid hoc? ergone iugum tibi ſubeundum, quòd adeò glabra ſit ceruix? Ad hæc canis. Die alligor, vt noctu acrior ſim & vigilantior.

tior. Denique lupus, vade, inquit, amice canis: iam nihil moror seruilem tuam fœlicitatem. Ita fit: veniunt Adolescentes in Academiam, virorum Doctorum laureatas statuas & erectas ad memoriam imagines vident, demiranturque pileos maximorum graduum indices, claras in humeris epomides decora amplissima, obludentes oculis purpuras, honestos fasces, magistras curules: inuadit animum cupiditas adipiscendi huius honoris ac fœlicitatis. Verùm vbi intelligunt antelucanis vigilijs, studijsque in longam noctem protractis grassandum esse ad istos apices, pedem reflectunt belluinæ & agrestis vitæ amantes; libertatemque suam malunt sequi, quàm ad aliorum ductum nutumque vitam exigere: at vide, mi Adolescens, homo sis: belluarum est & quidem effrænatarum, iugum & frenos pati non posse: quamquam etiam feras animantes cicurari & Magistrorum operâ mansuescere, alijsque obsequi videmus: nisi tu fortasse ex genere stolidissimæ pecudis sis de quo apud Iobum est istud. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat:* est huius animalis vt maximus stupor ita præceps in omnem libidinem intemperantia: Iob 11.

rantia: nimirum, quòd ſolitarius ſyluc-ſterque iſte aſinus in deſertis locis agat, nemini vnquam benè parere didicit.

§. III.

Sera plerumque eorum, qui licentiam vitæ ſectantur, pænitudo.

AT quàm poſtea caput ſcalpes Adoleſcens, & vngues demordebis, niſi tempori ſapias: audi Salomonem minas intentantem, *Viro, qui corripientem durâ ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli: ne fortè gemas in nouiſſimis; quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum: & dicas: cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me & magiſtris non inclinaui aurem meam?* Iſta eſt ad extremum licentioris vitæ merces, iſte exitus repentè perire, & quidem caſu maloque immedicabili.

Quare, Academice mi Adoleſcens (permitte enim vt Salomonis ſenſa, etſi aperta ſunt paulò verbis alijs interpreter) ne, obſecro, te ijs adiungas, qui ad te nihil pertinent, ſocijſve improbis impli-

implices, ne meretriculis honoré tuum prodigas, infamique illo viuendi genere dedecus atque infamiam tibi compares: ne annos ætatis florentes crudeli, impuro, inquam, amori dones, præcipitans te in atram illam, tetramq́ue (quod textus Hebræus monuit) Belluam, feram cupidinem: ne, per salutem tuam oro, ne te ei tradas, ne ita insanus sis, amabo te: quòd si nihilominus lubet insanire, vide ne tu ipse olim libertatem tuam damnes, cùm in extremam rerum inopiam fœdosq́ue morbos incideris; quo tempore cum Phrygibus serò sapias. Non raro in Academijs vidimus, nec paucos, post vitam flagitiosâ morum licentiâ exactam, non modò suo suorumq́ue nomini iniustam maculam accepisse: sed ad extremam redactos egestatem, malisq́; enectos, vitam reliquam in lachrymis duxisse: quosdam adhuc sanos abiuisse velut è naufragio aut incendio domum, aut in religiosorum hominum cœtus, vbi susceptâ vitæ seuerioris disciplinâ stultitiam illam priorem immoderatamq́ue viuendi licentiam rigidè castigarent. Tu horum exemplo, si cætera nihil mouent sapies, si sapis: gaudebis sanè olim, & quodammodo triumphabis, si morum insolentiam,

tiam generosè temporì castigâris.

Refert Cantipratanus, quæ pro coronide huic loco apponam. Disciplinæ Religiosorum virorum traditus tam genere quàm formâ prænobilis puer, omnes in sui amorem rapiebat: hinc factum, vt à quibus frænos reduci oporteret, libertatis potiùs habenæ laxarentur, vnus ferè erat, quem Priorem in claustris vocant, qui insolescentem acrioribus subinde verbis coërceret, qui quidem puer (vt est illa ætas in vtramuis partem cerea atque flexibilis) obsecundare, obsequi, emendatiùs viuere, tandem omnem primæ ætatis laudem referre: iam verò vigesimum circiter annum attigerat, cùm hinc euocatus discessit. quò putas? omninò in cælum; neque hic tamen immemor beneficij extitit: nam vitæ suæ Moderatori per quietem apparens ita est locutus: Gratias ago tibi, Pater, immortales, quòd tuâ industriâ ne mea me insolentia ad inferos deturbaret, effecisti: quæ simul beata anima dixit, splendore tanto refulsit vt totum cubiculum luce, pectus verò Magistri gaudio expleret. Ea tum repressæ insolentiæ tum accepti fræni gratia extitit. Nihil tum aut priores minæ aut hæ blanditiæ satis ad mentem re-

reuocant, mi Adolescens? adhibebo igitur nunc pro extremo, & penitissimis medullis fixum relinquam stimulum, quem non excuties, arbitror: nisi ad imprudentiam illam tuam impudentiam quoque singularem adieceris. Quis porrò ille stimulus, aut, si dici mauis, domandæ iuuenilis equi insolentiæ potentissimum effrænum? nullum scilicet à numine offenso supplicium homini posse acerbius infligi, quàm si in Adolescentia præsertim suis cupiditatibus ac libidini tanquam immanissimo hosti dedatur, quid hostem dico? dicere volui, tyranno, crudelissimoque carnifici tanquam reus addictus iam, omnibus mox malis excruciandus atque mactandus. Peccauerat sanè olim populus Israëliticus grauissimè, quòd relicto veri numinis cultu diuini iugi impatiens ad Idolorum superstitionem desciuisset: non inuenit Dei offensi æquissimus furor pœnam acerbiorem, quàm vt minas illas iactaret. *Non audiuit populus meus vocem meam: & dimisi eos secundum desideria eorum; ibunt in adinuentionibus suis*: & verò ita factum est, quia nequidem minæ à flagitio deterrere potuêre, abire, perireque permissi sunt. Par quoque extitit Ethnicorum quorundam philo- Psal. 80.

philoſophorum in ſimili ſcelere pœna, *Qui cum cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt, ſed errauerunt in cogitationibus ſuis.* Quid poſteà? ſupplicium euulgat idem, qui flagitium iam publicârat S. Paulus Doctor gentium: quid verò ille? *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum* in quæ putas? *in paſſiones ignominiæ*? in quàm fœda, Deus immortalis! atque nefanda flagitia? pudet vel meminiſſe, adeo grande eſt iſtud malum, vti dicere cœperam, ſe ſibi relinqui, permittique abſque repagulis diffluere in omnem vitæ effrenatæ licentiam: quo vno ex corruptiſſimo fonte infanda eaq; non pauca flagitia profuſiſſimè dimanant, proinde ſicut Medicorum illa indulgentia, quâ ęgrum abijciunt ſinuntq; ijs rebus abuti, quibus allubuerit, deſperatio quędam eſt ſalutis: ita planè de te conclamari exiſtima, quiſquis es, cùm permitteris ferri, quocunque te inſanæ tuæ appetitiones abripiunt. Boues ac vitulos videmus à lanionibus permitti luxuriari, per prata iuueneſcere, & quò cupiditas traxerit, ferri impunè, cùm eos ad futuram propediem lanienam, macellumque deſtinent, quòd ita meliùs niteſcant, pingueſcant ac ſaginentur. Legimus prę-

Ad Rom. c. 1.

Acoſt. in Mexi.

terea

terea quorumdam Barbarorum hominum in Mexicanis morem fuisse, vt quos bello cœperant, ijs delicias luxumque facilè indulgerent, modò ne ex potestate elaberentur. Futurum scilicet breui, vt optimas illas victimas iugularét, exenterarent, postremò dijs suis maioribus deuouerent tanquam grandiores hostias. Ita malus Dæmon barbarus ille animarum lanio, si quos ad vitæ impurioris libertatem sese animare audierit, hisce verborum blanditijs, *Impleamus nos vino, coronemus nos rosis, vbique relinquamus signa lætitiæ, nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra* (quæ licentiosorum adolescentum vox esse solet) non modò humani generis hostis ille non reuocat, aut impedit: sed multò etiam vehementiùs exstimulat, vt id ita peragant, vtque eò pinguiores hostiæ Dijs Inferis, si Dij nominandi sint, breui horrendo ritu cadant. Hæc cùm cogitaret filius ille Sidrach verè sapiens, tam sollicitè, tamque anxiè precabatur: *Domine Pater, & Deus vitæ meæ, aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me*: id est ne deseras me, neve patiare, vt abiecto omni pudore, & sensu, quasi homo

Sap. 2.

Eccl. c. 23.

ſtolidus gulæ, veneri, cæteriſque liberioris vitæ vitijs me mancipem: nihil enim periculoſius mihi accidere poſſe video, quàm ſi volens, neque coërcitus, liberè inſaniam. Idem tu tandem ſeriò, mi Academice Adoleſcens, deprecare, niſi ſerò pœnitere, & planiſſimè ſemel perire decreueris.




AD LVPINVM EFFRÆNEM Adoleſcentem.

HIc noſtræ gradus eſt ſupremus artis,
Quòd terror nemorum leo, atque tigris
Auxerunt latium iuges triumphum:
Quòd (mirum hoc magis inſolenſque) mores
Bruta iam didicêre non ſuetos.
Audimus Cytharamque, barbytonque
Simias pedibus ferire doctis,
Denteſque ad numeros ſalire eburnos.
Vidi ego leporem, fugax, inerſque,
Et pauens animal, crepantis ęris
Vallatam ſonitu ferire pellem,
Et verum ſimulare tympaniſtam.
Credis? ſcilicet orbe nil in iſto,
Tam non mite, quod arte non Magiſtra

Diſcat

Diſcat ferre manum, patique legem.
Tu, Lupine, rebellis, acer, exlex
Magiſtri atque ſcholæ iugum recuſas,
Et fractis vt equus ruens habenis
Quæris irremeabilem ruinam.
Inhumanus es, ô Lupine, quando
Humanos fugis, exuiſque amores,
Et ſæuos capis, induiſque mores,
Mores nempe feris magis ferinos.



ORATIO.

Ad refrænandam improbæ vitæ licentiam.

DOmine IESV CHRISTE, qui è ſinu Patris in terras deſcendiſti: vt exinaniens temetipſum, ſeruique formam accipiens ærumnoſiſſimam noſtræ mortalitatis ſeruitutem ſeruires, ſicq; nos à tyrannicâ Dæmonum ſeruitute in libertatem Dei aſſertos vindicares: fac per gratiam tuam: vt diſcens exemplo tuo mitis eſſe & humilis corde, primùm ſub potenti manu tuâ me humiliem, tuiſque ſanctiſſimis ſeruitijs ceruicem lubens ſubmittam: (iugum enim tuum

ſuaue eſt, & onus leue) tum verò maiorum quoque morum voluntati & imperijs rebellem voluntatem meam tui cauſa ſponte ſubijciam : cùm enim ſeruus ſim, mancipiũ, & omni alio iure tuus, cur tanquam filium onagri natum me putem, peſſimoque meo malo effrænis & exlex viuere velim? Verùm quia iugi impatientiſſima eſt hæc ætas mea, in chamo & fræno maxillas meas, fortiſſimâ inquam tuarum gratiarum vi mentem conſtringe, ne tanquam equus ac mulus, quibus non eſt intellectus, in omnia vitia præceps ruam, cæloque ipſo excidam : quod vt mihi euenire ne patiaris, Bone IESV, per ipſum ſanguinem tuum te rogo & obteſtor. Amen.

SYM-

Temporis et pecuniarum prodigalitas. 12



Interea volat irreuocabile tempus.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Quid agis perdite Adoleſcens? ſiccine tu rem omnium fortunarum pretioſiſſimam tempus prodigis? ſic cum tempore malè profuſo etiam virtutis atque eruditionis iacturam facis? & ridens quidem, ac ludibundus? neſcis nimirum, nec ſentis quidem quantum perdas; & rides corue, cras cras: & nugaris retrograde cancer, eo eo. nihil promoues hodie, ac nè cras quidem.

Atqui bis terve miſer mihi videris. primùm quia tempus abijcis, vt quiſquilias, & rem nihili, quàm olim caro pretio redimi poſſe voles ſerò. Deinde, quòd ipſe nunquam frugi aut rei alicuius homo ſis euaſurus: poſtremò, quòd vt temporis & virtutis, atque ſcientiarum; ita tuarum fortunarum prodigus ſis nepos.

Quot, & quoties in Academijs

vidimus è tabula luſoria nudos velut ex infami naufragio ægrè emerſiſſe ? nondum dixi animi damna: quot in aleis pictiſve chartis, aut puncta, aut notæ, tot & plura inſunt vitia: mendacium, periurium, blaſphemiæ, doli, rixæ, contumeliæ, verberationes, cędes etiam nonnunquam. an eæ ſatis graues cauſæ videntur; vt fortunarum, animique luſus illos exitiales, ſapiens Salomon exagitet atque perturbet? at tu quod hęc omnia nihil penſi habeas, iam non mihi miſer videre, ſed miſerrimus.




CAPVT SECVNDVM.

Prodigalitas temporis, & pecuniarum.

MONITVM.

Tempori parcito,
Rem propriam vetitis
Lusibus ne perdito.

SALOMON.



Vi sectatur otium, stultissimus est. Prou. 12.

Qui sectatur otium replebitur egestate. Prou. 28.


Egestatem operata est manus remissa. Prou 10.

Anima dissoluta esuriet. Prouerb. 10.

Stultus complicat manus suas, & comedit

comedit carnes suas. Ecclesiast. 9.

Qui mollis & dissolutus est in opere suo frater est opera sua dissipantis. Prouerb. 18.



MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Vitam in comparandis artibus breuem, otium breuiorem facit.

REctè Galenus de rebus medicis librum scripturus quasi procemij loco præmisit vitam breuem esse, artem longam: vt scilicet ex æui nostri exiguitate, rerum verò discendarum varietate, ac copiâ ad studij diligentiam excitaremur: ac vitam quidem nostram breuem esse intelligemus, etsi longissimum ei spatium indulserimus, si cogitemus longum esse non posse, quidquid est finem aliquando habiturum: deinde si de longissimæ ætatis id est 70. 80. summâ,

infan-

infantiæ, ac pueritiæ inertes annos, senectæ damna, somno impensas vices, cibo, alijsque necessarijs negotijs permissum tempus detraxerimus: deprehendemus profectò vitæ partem studiosæ actioni relictam perbreuem atque ad paucos annos contractam. Neque tamen vsque adeò naturam accusare debemus quòd cæteris animantibus matrem se dederit, ceruis, coruis, cornicibus multa sæcula concesserit; nobis verò tanquam improba nouerca viuendi spatium contraxerit: Sapienter enim Seneca; *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus: satis longa vita est, & in maximarum rerum consecutionem data, si tota benè collocaretur: sed vbi per luxum & negligentiam defluit, vbi nulla bonæ rei impenditur, vltimâ demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transiisse putamus: sicut ampla & regia opes, vbi ad malum dominum peruenerunt momento dissipantur & quamuis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, increscunt: disponenti multum patet, vita si scias vti, longa est.* At vti nescit, qui præmisso sibi tempore abutitur inerti, ac desidi otio: quâ in re peccant hominum multi: tum verò ij grauiùs, qui adolescentiam integerrimam totius vitæ partem sibi elabi, ac eripi

Lib. 2. de breuit. vitæ.

nullo

nullo prorſus ſuo emolumento patiuntur: atque inter adoleſcētes delinquunt grauiſſimè, qui in Academiam tanquam in emporium miſſi, vt doctrinæ opes ſtudio partas domum reportent, nihil agunt minùs, quàm id cuius causâ chariſſimæ patriæ ſinu egreſſi ad peregrinas vrbes, ciueſque ignotos appulerint; ijs perſimiles, qui cum nundinarum causâ longos, difficileſque marium tractus enauigarint, in littore conchilijs legendis, aut carpendis in prato floribus ludunt. Placetne S. Bernardum de flagitioſa iſtorum Adoleſcentium oſcitantia declamantem audire? *Nihil*, ait, *pretioſius tempore Eheu! nihil hodie vilius inuenitur. tranſeunt dies ſalutis & nemo recogitat; nemo ſibi perire diem & nunquam rediturum cauſatur: ſed ſicut capillus de capite, ſic nec momentum peribit de tempore. Nemo veſtrum parui æſtimet tempus, quod verbis conſumitur otioſis: volat verbum irreuocabile volat tempus irreparabile: non aduertit inſipiens quid amittat. Licet fabulari, dicūt, donec hora prætereat, id eſt, donec prętereat hora, quam tibi ad agendum pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam ad promerendam gloriam miſeratio conditoris indulſerat! ô! donec pertranſeat tempus, quo diuinam propitiare debueras*

Serm. ad ſchola.

bueras pietatem. properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem. flere commissam iniquitatem. Ita ergo illi tempus, vt quisquilias & algam, remque nullius pretij proijciunt.

§. II.

Nulla grauior iactura, quàm temporis.

ATqui contra rectè censebat Bernardus, nihil esse pretiosiùs tempore: nimirum, quod Zeno dicere solebat, nihil deest homini magis, quàm tempus, siue (quòd idem addebat) quia nulla ipsius sit mora, cùm continuò defluat: siue quia, vt alius dixit, aliæ res amissæ reparari possint, tempus nunquam, siue, quod maximè ducendum puto, quia bono vsu temporis summæ diuitiæ, summi honores, cælum, & DEVS ipse comparantur. Verùm quàm paucos mihi dabis, qui istud pretium tempori ponant, qui diem æstiment, qui temporis parsimoniam magnum patrimonium putent: in paucis fuit Plinius ille maior Polyhistor dictus. Amicum exceperat cœnâ, hic cùm lectorem men-

sæ quædam relegere iussisset; intellexcerasne? inquit Plinius: postquam ille annuerat, cur igitur, subijcit, repeti imperas? amplius decem versus hæc tua interpellatio nobis surripuit, ô egregiam famem inter epulas non edendi magis quàm discendi! ergo ille momentum amittebat inuitus, tu, mi Adolescens, non rarò integras hebdomadas proijcis, ille ex veteri parœmia. χρόνε φείδε, parcendum esse tempori arbitratur: tu vitam ipsam prodigis.

§. III.

Damna ex otio.

AT meminisse saltem oportebat animorum, atque agrorum similem esse culturam; discipulorum atque agricolarum parem quoque esse debere rationem: nulla pars anni agricultura vacat; Autumno, & hyeme foditur, aratur, seritur, vere putantur arbores, æstate fruges metuntur: neque illa messis sequitur, nisi labores isti præcesserint: non enim sic fruges nascuntur, vt herbæ noxiæ: hæ, etsi nihil agas, succrescunt, imò luxuriant, illę nisi sudore non proueniunt. Ita mente captus es, si reris otioso

otioſo tibi ac temporis prodigo amplam eruditionis ac virtutis ſupellectilem obuenturam.

Vides iam credo quò iſta ſapientis verba pertinent, *Qui ſectatur otium, ſtultiſſimus, qui ſectatur otium replebitur egeſtate, egeſtatem operata eſt manus remiſſa:* tum iſtud ad extremum: *Anima remiſſa eſuriet*. Et temporis fortaſſe (etſi res iſta, vt dixi, pretioſiſſima ſit) iactura tamen foret vulgò tolerabilior, ſi alia ex otio mala minimè orirentur, maximè egeſtas ac fames; nam vitia, quorum otium fœcunda eſt parens ac nutrix, breuitatis ſtudium facit, vt ſilentio prętercam. Quid enim? otioſi illi ne nihil omnino agere videantur? in negotioſo flagitio ſe occupant manibuſque complicatis aut inaniter tempus terunt, aut ſponſionibus fortunas exponunt, aut ipſi expoſiti ad vnius aleæ iactum multorum dierum colluſitant nihilo futuri ditiores, ſi vicerint, quàm ſi perdiderint: cùm lucrum omne in carnes, coquos, culinas, & cellas tandem profundendum, diſſipandumque ſit: quod inſanum quoddam genus eſt ſtultitiæ ſimul & effœminatæ prodigalitatis ſapientis iudicio. *Stultus*, ait Salomon, *complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.*

ſuas. Et alibi. *Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt diſſipantis*: tantum ergo abeſt vt homines iſti res ſuas augeant, decoquunt atque dilapidant. Verùm quoniam huc iam delapſi ſumus illas otioſorum peruerſas actiones ſigillatim perſequamur, atque aleam imprimis perniciosiſſimam ludendi inſaniam exagitemus tantiſper, ſi placet.

§. IV.

Alea.

ALeam non modò leges vetuerunt: ſed aleatores præterea infamiâ notatos eſſe voluerunt. Ab hoc luſu Octauius Cæſar iuuenis ignominiæ labem contraxit, vulgatumque de eo falſum iſtud diſtichon:

Suet. in Octauio.

Poſt quam bis claſſe victus naues perdidit;
Aliquando vt vincat ludit aſſiduè aleâ.

Suet. in Caligul.

Vituperatus quoque Caligula, qui cum plurimis flagitijs eſſet infamis, eo etiam laborauit, quòd non contempſerit ex

Fern. l. 4. cap. 32. de temul.

vſu aleâ quæſtum facere. Chilon Lacedæmonius fœderis ineundi causâ Corinthum miſſus cùm principes ciuitatis aleâ occupatos reperiſſet, ſtatim infecto negotio pedes ad ſuos retulit, pronuncians,

nuncians, ſe gloriam Spartiatarum, tum quidem gliſcentem nolle aliâ maculâ inobſcurari; vt diceretur Spartianos cum aleatoribus ſocietatem iniuiſſe. Tritum quoque pro homine infami olim adagium iſtud fuit, optimus aleator, id eſt rapo nequiſſimus; celebratumque pridem etiam hoc Publij Mimi carmen, *Aleator quantus in alea arte eſt, tantò nequior eſt.* Iure igitur Vlpianus ex Prætoris edicto in eum animaduerti vult, qui compulit aleâ ludere, vt aut mulctetur, aut in latumias, vel vincula publicè ducatur. Statutum præterea, vt ſi is, qui ad ludendum aleâ habitationem prębuit, verberetur, iniuriarum actio denegetur. Denique Iuſtiniani Imperatoris Sanctiſſimi extat conſtitutio, quâ prohibetur ludere in publicis, priuatiſque ędibus, aut locis: imò vel ludentes ſpectare; adeò reipublicæ, priuatiſque hominibus perniciosus hic luſus habitus. Apud Turcas ipſos quocunque genere ludi depoſitâ pecuniâ ludentes ignominiæ notâ afficiuntur primùm, deinde ſi pergunt, grauiore ſupplicio; Apoſtolorũ ſeueriſſimos canones à ſexta Synodo ſanctè receptos, ipſiuſque ſextæ Synodi rigidas contra aleam leges, pœnaſque inſtitutas prudens omit-

to, quòd eæ res personas Deo sacras tantùm perstringant. Aristotelem, & Platonem duo pręcipua Philosophiæ nomina pręterire non possum, quòd eorum auctoritas apud Academicum Adolescentem plurimùm valere debeat. Ille aleatores vocat fures, & latrones illiberales, quod in turpi lucro occupentur, & quęstus causâ etiam probra sustineant: Plato autem vt reliquas perniciosas artes; ita aleam dixit à dæmone, quem Theut appellat, excogitatam fuisse, atque in Thamum Ægypti Regem primùm delatam.

In Ethic.

In Phæd.

Audio quid obijcias. Adiaphana, inquis, res est, alea, & crimine, aut flagitio vacans: vt satis mirari non possim, quid tot bonis istis viris in mentem, buccamque venerit, quòd rem à peccato immunem tam grauibus sententiarum, pœnarumque aculeis configant: ego verò ludo aleâ, & è flore ętatis, atque Academiæ multi mecum, neque credimus ita esse damnandos, vt quia aleones sumus, videamur omnibus flagitijs cooperti, & in insulam, aut orbem vltimum tanquam vitiorum monstra deportandi.

Vide Diogen. Laertium.

Opportunè occurrit hîc iterum diuinus iste Plato, quem paulò antè citaueram,

Femel. sup.

ram. Fertur is olim Adolescenti, quòd aleâ lusisset, grauiter reprehenso, istudque obiectanti, ob rem paruam obiurgas, acutè respondisse, at parum non est otio, plurimisque flagitijs assuescere: censebat vir sapiens non leue esse piaculum, ei rei operam dare, cui vacare nequeas, nisi idem flagitiosissimus esse velis. Propè similia Alexandrum magnum simili in causâ respondisse author est Plutarchus, ex amicis quosdam mulctârat ob aleæ vsum, lusumque: id illi malè ferebant, quòd dicerent lusisse se tantùm, quod cuique etiam viro bono licebat: non ludunt, subijcit Alexander, qui fortunas, liberosque ipsos pictis tabulis, ossibusque notatis, id est, aleæ vnius arbitrio permittunt.

Aduerte hîc mihi quęso animum, ad ea, aut mala, aut damna, quæ cum aleæ ludo sic coniungi solent, vt vix vnquam abscedant, intelliges profectò non adeò leue esse hoc flagitium, vt quidem arbitraris.

Sanctus Cyprianus contra aleatores librum integrum conscripsit. Vbi inter alia hoc habet. *Aleæ tabula est Diaboli venabulum, & delicti vulnus insanabile, vbi Diabolus prestò est ad capiendum submissus, & cùm ceperit, de captiuo triumphat, illic*

perfidia, falsa testimonia, illic dementia, furta, venale periurium, colloquium serpentinum, satisne? *illic rabiosa amicitia, illic atrocissimi sceleris fraternitas discordans illic conuitia, & audacia saua, & mens insana, & fera impatientia*, tum vel vehementiori quodam spiritu incensus exclamat. *O aleatorum noxia, dentaria, & pigra nequitia! ô manus crudeles & ad periculum sui armatæ! quæ bona paterna, & opes auorum sudore quæsitas ignominioso studio dilapidant.*

Denique de libidinibus subijcit. *Est & quando ipsi aleatores cum prostitutis mulieribus nocturnas vigilias clausis foribus celebrant: hîc concrepat aleæ sonus, illîc silentio operitur incastus: hîc sine vllo dignitatis suæ respectu, pestifero studio cedere bonis suis cogitur, illîc secretò mortale venenum, bibitur.*

Lib. de Tobia c. 11. Operæ pretium est Ambrosium quoque audire aleæ fortunam, vitia, damnaque graphicè describentem. *Varios*, inquit *primò sors ludit euentus. ad diuersos sæpè transfertur victoria, stipendiaq; eius vicissim, atque ærumnæ mutantur, omnes vincuntur, & vincunt, fœnerator solus acquirit, penes alios inane nomen manet, quòd vicerint penes fœneratorem solus fructus est non annuus, sed momentarius, fœneratoris solum lucrum.*

lucrum in omnium detrimento; illis solis est vsura victoria: videas reliquos subitò egētes, repentè diuites, deinde nudos, singulis iactibus statū mutātes, versatur enim eorum vita vt tessera, voluitur census in tabulâ, fit ludus de periculo, & de ludo periculum; quot propositiones, tot proscriptiones: clamor plaudētium, fletus despoliatorum; sed & hos creditor, vt Tyrannus damnat vnumquemque sorte capitali, agitat hastas, feralem instituit de singulorum exuuijs auctionem; vitæ igitur hanc aleam rectius dixerim, quàm pecuniæ: sub momento fertur quod valeat in æternum. Rectè igitur S. Antonius Florentiæ Archiepiscopus pronunciauit, tot crimina ex ludo eiusmodi nasci, quot in taxillis numerantur puncta.

Primò enim inest aleæ infinita temporis prodigalitas, non exiguum damnū, si quis rerum pretia benè æstimet.

Secundò nugæ, & ioci, ijque ferè turpes, ideò enim qui aleam damnant aleones ferè cum libidinosis, ventrique deditis coniungunt. *Quis hoc*, inquit Catullus, *potest videre, quis potest pati, nisi impudicus, & vorax & aleo?* notumque illud Horatij.

Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudet.

Tertiò voluuntur hic mendaciorum,

imò periuriorum plaustra, plurimi doli, perpetuæ fraudes, vbi istud impudenter iactatur: dolus, an virtus, quis in hoste?

Quartò sequuntur furta, & rapinæ, neque mediocres, sed ingentium prædiorum, totiusque patrimonij fœda naufragia, nec enim quod Iuuenalis
Satyr. 1. plangebat, *Loculis comitantibus itur ad catum tabulæ: positâ, sed luditur arcâ*: certè de Germanis scribit Tacitus, eousq; aleâ insanijsse, vt cùm omnia perdidissent, extremo, ac nouissimo iactu de libertate, ac corpore contenderent: quæ verò hinc miseriæ, & angustiæ familiarum proueniant, nemo non videt.

Quintò ne superis quidem parcitur, audiuntur blasphemæ voces, & insanæ perdentium contra cælos furiæ. His denique adde superstitiones, sortes, maleficia, & (quis enim enumerandi sit finis?) rixas, pugnas, verberationes, homici-
Horat. 1. epist. 19. dia; si quidem, vt Lyricus cecinit, *Ludus genuit trepidum certamen, & iram. Ira truces inimicitias, & funebre bellum*. Quæ cùm ita sint, laudandum Magni Ludouici primi Francorum Regis istud, in re, quæ parua videri possit, egregium facinus. Comitem Auionensem fratrem suum cum nobili viro ludere aleâ audi-

uerat, affixus tum erat lecto, ex corporis ęgritudine; nec mora, se strato ęger proripit, difficilique passu iter prętentans in locum, vbi ludebatur, prorepit, tabulam lusoriam, picta notulis ossula, pecuniæ quoque depositæ partem motâ vehementer bile per fenestram patentem in subiectum mare abijcit; tanto pro flagitio vir ille sanctissimus aleam habuit. Neque alio loco habuisse censeri debet Sanctus nostri Ordinis parens Ignatius, quem accipimus, cùm in Hispania esset, conatum fuisse acri studio, vt è solo patrio aleam omnem proturbaret. Verùm de aleâ iam pro instituto satis. In vita.


Sextò porrò alearum nomine in iure tum ciuili, tum Ecclesiastico, meliorumque scriptorum sententia comprehensi censentur ludi omninò omnes, qui à casu fortunaque pendent: cuiusmodi sunt iactus Tesserarum, Talorum, Astragalorum, Chartarum lusoriarum, & Scachorum, siue Latrunculorum. Beati saltem Damiani viri sanctimonia & eruditionis laude præstantissimi opinione. Sed de latrunculis, alijsque eiusdem sortis lusibus, quicquid demùm alij sentiant; ego sane pictas illas Chartas, non fero, parique ferè loco habendas arbi-

tror atque Aleas: primùm quòd similis & par in vtrisque profusio tum temporis tum fortunarum. Deinde quòd in pictorum foliorum studiosis æquè ac aleatoribus, mendacia, periuria, iniuriæ, blasphemiæ, scurrilitates, rixæ, pugnæ, immensa quędam ludendi, perdendi, peccandi, materies & insanus furor. Quare quæ superiùs contra Aleas grauiter ab autoribus, & à me allata sunt, paucis mutatis in lusorias Chartas quadrant, tum verò maximè versus ille Poëtę elegans, nisi ad fœdum amorem transtulisset.

Ouid. *Tunc sumus incauti, studioq; aperimur in ipso,*
Nudaq; per lusus pectora nostra patent.
Ira subit deforme malum, lucrique, cupido
Iurgiaq; & rixa, sollicitusq; dolor.
Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther,
Inuocat iratos & sibi quisque Deos.

Nihil necesse est cętera persequi: cum nihil sit clariùs, quàm Adolescentes istorum foliorum studiosos maximè esse Philosophicarum chartarum osores, ita verò prodigos ac perditos: vt cum studijs honestis omnia negent, noctes tamen


tamen insomnes agant ludendo; neque inde abstrahi se sinant, nisi nudi ac inuestes vt anguillæ extiterint; atque vtinam etiam cędes & homicidia non eueniant! non ero igitur longior. Audiatur tantum Salmanticensis Academiæ sanctissima lex *Moribus omnium Magistri Scholę diligentissimè inuigilent: vt quem pronum in vitia, & turpes iocos, taxillos, aut chartas esse compererint, hunc primum obiurgent, sin pergit, in custodiam conijciant*; O legem, inquis, non Lycurgi, non Solonis, sed Draconis cuiuspiam & quidem tetro sanguine exaratam! ita tu quidem: viri tamen sapientissimi aliter iudicarunt, eadem quoque, licet leuioribus pœnis propositis, sacro sanctæ leges Scholarum Societatis nostrę discipulis fixæ sanciunt, puniuntque.



SPHŒRISTERIA.

FInio hoc caput, si de Sphœristerijs verbum vnum fecero: nam ista huc quoque pertinent: quia etsi pilę hîc volitent, aut iactentur (quem lusum supra laudaui) in hacque exercitatione & artis

tis & motus ſit plurimum: tamen, frequentior præſertim, Sphœriſterij vſus, peccat exceſſu temporis, pecuniarum, agitationis corporis: Neque pauciora multò vitia deprehendes in ijs, qui loca illa celebrant, quàm quæ in chartarum luſoriarum ſtudioſis, aut ipſis ferè aleonibus. Quare meritò tum Academiæ rectè inſtitutæ vniuerſim, tum ſpeciatim ſtudioſorum Societatis Iesv Scholæ Sphœriſteria prohibét, ſuoſque pœnis etiam decretis eorum aditu, vſuque interdicunt.



ORATIO.

Contra temporis & fortunarum iacturam.

DOmine Deus, qui hominem non ad otium, ſed ad laborem condidiſti, iubeſque vt operemur, dum dies eſt, cogitemuſque noctem, in qua nemo operari poterit: da mihi per gratiam tuam; vt ſemper me rebus honeſtis occupem, tempuſque rem pretioſiſſimam ſuis momentis expendam, vtiliterque impendam ad honorem tuum, ad meam alio-

aliorumque salutem, ad pœnitentiam scilicet agendam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam: da mihi præterea; vt peccata mea eleemosynis potius redimam, quàm vt res meas lusibus vanis & noxijs perdam; vt dicere cum Hieremia possim, *Non sedi in Concilio ludentium; sedebam solus:* & cum Sara filia Raghuelis: *Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui:* Aleâ imposterum te crucifixo, ac pro me patiente, ah nunquam ludam, eludamve sanguinem tuum, sanguinem, quo sub cruce ludentes impios milites, & de tua veste lucrum captantes, aspersos video: Aleam enim vel hæc sola tam sacrilega impietas damnare Christianis pridem debuit. Fac vt ita tum temporis tum rerum mearum rationem tanquam bonus dispensator habeam, tibique reddere possim: vt in die Iudicij audire merear, *Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Amen.

SVM-


Luxus, et Luxuria. 13.
Seruus imperans dira tyrannis.

SYMBOLI EXPLICATIO.


Quæ & quanta ſit iſta aut ſtoliditas, aut ſtupiditas? & id vtrius?maior Aſelli,an ſeſſoris? ægre enim ſtatui poteſt: Vter amborum magis ſit beſtia: Aſinus muſtos calamiſtro cirros geſtat, nouo more,eoque luxu geſtit,obligat crura faſcijs ſericis, ridiculum Arcadiæ pecus, tum eleganter calceatus ,florido calle incedit:quid demum? quaſi ſibi applaudẽs rudit iam Aſinus. Eques æquè inſanit, dum Aſinum, id eſt,cuticulam ſuam, ita turpiter comit, & curat pro libidine.

Interim ponè ſequitur rerũ rudis & inops animula, atque

per

per aculeátos ſpinarum ſentes miſerandum in modum protracta beſtiæ vnius imperium & tyrannidem experiri cogitur; ô præpoſteram ſuæ pecudis agendiviuendiq́;rationem!

Turpius iſto monſtro portentum es, mi Adoleſcens, ſi luxu luxuriâque diffluis, ſi animum negligis, ſi corpus vnicè diligis, & perdis. Hoccine eſt philoſophari? & tamen vis haberi Philoſophus, ſcilicet ex Epicuri harâ porcus, aut (quod æquè fœtet) caper. pudet adſpectaſſe; an tu philoſophus, an ſaltem homo eſſe aliquando voles?



CAPVT TERTIVM.

Luxus & luxuria.

M O N I T V M.

Cuticulam ne curato;
Luxum, luxuriamque omnem auersator.

S A L O M O N.



Vi delicatè à pueritia nutrit seruum suum postea sentiet eum contumacem. Prouerb. 29.

Amoue malitiam à carne tuâ: adolescentia enim & voluptas vana sunt. Eccles. 11.

Abominatio Domini cogitationes prauæ. Prou. 15.

Peruersæ cogitationes separant à Deo. Sap. 1.

In

In cogitationibus impij interrogatio erit. Ibid.

Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam: neque dicas coram Angelo; non est prouidentia; ne forte iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. Eccles. 5.

Sermonum impij auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius; quoniam auris Dei audit omnia. Sap. 1.

Non concupiscat pulchritudinem mulieris malæ cor tuum, ne rapiaris nutibus illius: pretium enim scorti vix est vnius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit. Prou. 6.

De fenestra domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos: considero vecordem iuuenem, qui transit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus illius, graditur in obscuro, aduesperascente die, in noctis tenebris, in caligine. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas

piendas animas: garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians, & procaci vultu blanditur dicens. Egressa sum in occursum tuum desiderans te videre; & reperi. Veni inebriemur; Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum: statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur: donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur. Prou. 7.

Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus, aliena: insidiatur in via, quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet. Prou. 23.

Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius; & vincula sunt manus illius: qui placet Deo effugiet illã, qui autẽ peccator est, capietur ab illa. Eccl. 7.


Ne attendas fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium & acuta quasi gladius biceps: pedes eius descendent in mortem, & ad inferos gressus illius descendent. Prou. 5.

Inclinata est ad mortem domus illius, omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ. Prou 2.

Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius, sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus. Prouer. 6.

Nunc *ergo fili mi, audi me, & attende, verbis oris mei, ne abstrahatur in vijs illius mens tua: neque decipiaris semitis eius: multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea; Viæ inferi domus eius penetrantes in interiora mortis.* Prouerb.7.

MEN-



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Corpus delicatè habitum insolescit.

COrpus animo obsequi debet, non animus corpori, nullus hoc Tyranno, si semel dominatum obtinuerit, impotentior: atque Adolescentes præsertim, propter temeritatem & audaciam, ad quæuis flagitia proiectos, vbi animo de sede perturbato corpus rationi imperare cœpit; velut sternax equus sessorem excussum in quæuis vitia abripiat necessum est: idque potissimum euenit, cùm mancipium istud, quod pro sua conditione seruiliter tractari oportuerat, se indulgentius haberi delicatiusque senserit.

Salomonis est hoc effatum. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Ita tradunt medici pueris accidere, quos matres indul-

gentius educant: hi enim ferè comitiali morbo obnoxij ſunt, furijſque acti, ſubitis caſibus præcipites ruunt.

Sunt autem triplicis generis deliciæ, quæ corporibus animiſque perniciem creant: aliquæ ad cibum,& potum, quędam ad luxum veſtium, poſtremæ ad luxuriam, libidinemque pertinent, primum genus alio loco; duo poſtrema hîc perſequemur.

§. II.

Luxus veſtium dedecoroſus viam flagitijs aperit.

PRincipio hominem Deus, cùm animam pulcherrimarum virtutum ornamentis conueſtijſſet, tamen corpore nudum eſſe voluit, neque hoc pro illo innocentiſſimæ vitæ ſtatu, aut turpe erat, aut inuerecundum. Verùm ſtatim, atque præſtantia illa animi virtutumq; decora, primus generis noſtri parens abiecit: tum primum corporis nuditas pudori eſſe atque turpitudini verti cœpit: Quare corpus ille primum ficulneis folijs, & paulò pòſt pelliculâ (idq; tunc ſufficere etiam ad elegantiam videbatur) obtegere ſategit: ita primùm

hominis

hominis indumentum poſt amiſſam virtutum purpuram velut pulla quædam veſtis, & ſeruile ſagum fuit, ad tegendam luculentam eam cicatricem, quæ ex fœdo peccati vulnere relinquebatur. Quis verò ferat mancipium ob ſtigma fronti inuſtum inſolentius efferri, quis parricidam, dum ad ſupplicium ducitur, capitali togâ indui iuſſum, geſtire eo veſtitu? quis transfugam ex caſtris militem ignominiosè plagis diſciſſum oſtentare faſcias, atque in tegumenta, quibus vulnera obligantur, volitare alacrem inter ſuos, & quodammodo triumphum agere ſceleris atque perfidiæ? Chryſoſtomum in hoc argumento declamantem par eſt audiri. *Idcirco Adam induit Deus veſtes pelliceas, ſimiliter & eius mulierem. Audiant opulenti & qui luxuriantur in vermium operibus, & veſtiuntur ſericis: diſcant, inquam, quomodo ab initio hominum naturam miſericors Dominus docuerit: quia propter tranſgreſſionem pœnæ, meritò reus erat, factus protoplaſtus opuſq; habebat veſte: quæ confuſionem tegeret, pelliceas veſtes fecit: quod docuit nos, vt mollem & diſſolutam vitam fugiamus, & auſteram, magis amplexemur.* Hæc aureus iſte Gręciæ Orator. Ergo luxus veſtium homini non iam orna-

mento eſt, ſed dehoneſtamento. Quid quòd præterea ornatus ille, ſi quis eſſet, inſanus ſit & perridiculus? nam ſi beſtias factis à natura indumentis minimè contentas laruam ſumere, noſtramque in alienis veſtibus perſonam imitari videamus; ridemus: ſi non modo ſimiam, ſed aſellum quoque adſcitâ comâ, galero ex Hiſpaniæ lanâ, biſſino pallio, caligis ſericis ſuperbientem atque exultantem aſpicimus, riſu propè rumpimur; at potiori iure brutæ pecudes, aueſque garrulæ cachinnentur cùm homines videant facilem amictum aſpernatos lanas peregrinis coloribus adulterare, infuſcare, inficere; opificum arte & ſtudijs colligi vermium excrementa, bombycinas inde veſtes elaborari; ex vltimo orbe Serum ſyluas adiri, expoliari, excoriari arbores, fila minutatim diduci, euolui, reuolui, conuolui, tum in textrinas deportari, atque in mille formas effingi: imò etiam operosè humo leuari felium quarundam aliorumque animalculorum ſtercora: vt eo ſcilicet ſuffitu vermium ſordes, quas dixi, arboreorumque corticum quiſquiliæ perfundantur: denique eum nunc haberi, deprędicarique opulentiorem, nobilioremque cæteris, qui pluribus eiuſ-

modi

modi ineptijs atque ludibrijs corpus deturparit. Atqui ista à capite ad talos adolescentes iam passim in Academijs iactitant & venditant, nam quæ in capitibus, quæ in pedibus ipsis monstra passim visuntur, quæ in comis calamistra, pectines, cincinni, cirri, caudę, in calceis fenestellæ, rosæ, lunulæ, atque ex Serum opibus licia & vincula, in reliquo corpore, ęquè exotici atque insani cultus? neque verò indecens tantum & ridiculus mos vestiendi, sed ingentem præterea ad alia vitia ianuam aperit. Sapienter ethnicorum quispiam: magna corporis cura magna virtutis incuria est: & illud Augusti Imperatoris verè Augustum; vestitus insignis & mollis, superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ, hinc apud Syracusanos & Spartiatas solis meretricibus purpurei contextus, & vestes floridę concedebantur. Laudatur etiam in hoc genere Octauianus, quod non modò simplici amictu ipse vteretur, sed etiam grauiter ferret, si familiares secus facerent, nimirum quod Seueri Imperatoris dictum fuit, Maiestas Imperatoria virtute constat non corporis cultu. Quare è contra Lacydi cuidam, vt est apud Plutarchum vitio datum olim, quòd cùm Argiuo- Lib. de vtil. capienda.

rum Rex esset, comam compositiorem, & delicatiorem incessum ostentaret: vulgò enim audiri cœpit mollis & effœminatus. Producamus etiam nostros.

Lib. 3. de Consf. Sanctus Bernardus vestium curiositatem deformitatis mentium & morum indicium esse dicebat. S. Hieronymus

In Epit. Paul. Epist. ad Demet. animæ immunditiam, idemque comptiores adolescentulos pudicitiæ pestes & venena appellabat: sed omnium grauissimè de hoc vitio sensit S. Basilius.

De leg. li. 2. Gentil. *Comas*, ait, *aut vestes superuacaneas curare, vel infelicium est, vt aiebat Diogenes, aut iniustorum: nam quid ex talibus expectandum, nisi vt lascivus ille ornatus fœminas pretereuntes inuitet: aut alienis matrimonijs insidietur*. Ex his omnibus causis factum ego quidẽ arbitror: vt olim Ephori, grauissimus ille apud Lacedæmonios Magistratus, quotidie vrbẽ ad vestium inspectionem obirent, ne quid à decentia alienum vt in dies fit, à quoquam bonorum morum iactura, magnoque Reipub. damno vsurparetur.

§. III.

§. III.

Luxuria maximè dedecet Adolescentem Academicum.

SEd à luxu ad luxuriam, ad quam facilis est transitus, quodque est alterum Adolescentiæ vitium, progrediamur. redeat Salomon. *Amoue malitiam à carne tuâ: Adolescentia enim & voluptas vana sunt*. De vitij huius turpitudine (quod ei nomen innata fœditas indidit) plurima adduci possent. Verùm nihil hic dicam; nisi istud vniuersim hominibus, Angelis, Virgini Matri, Christo, Deoque ipsi imprimis exosam esse, semperque fuisse libidinem: quæ ordine, quo à me proposita sunt, ita, nisi graue est, paucis recognoscantur. S. Catharinæ Senensi, si qui flagitiosorum cœno fœdi occurrerent, ita stomachum ei à turpitudinis horrore commouebãt: vt etiam ad nauseam, vomitumque prouocarent. S. verò Euthymium Abbatem accepimus flagitioso istiusmodi aliquãdo obuiam factum ita cohorruisse; vt terga vertere, longèque diffugere coactus sit: paria de sexcentis alijs castissimis hominibus proferre possum: quo igitur

igitur modo puriſſimas mentes Angelos poſſe pati exiſtimabimus hominis animam Domini ſui ſponſam, diuinoq́ue ſanguine olim elutam alienis amoribus detineri, eoq́ue turpiſſimo in luto inquinari! *velut fumus apes fugat*, (S. Baſilij ſententia eſt) *& fœdus odor columbas expellit: ſic Angelum vita noſtra cuſtodem abigit multa lachrymarum aſpergine dignũ, ac graueolens peccatum.* Mirum magis, quod de ipſo Cacodæmone ſcribit Lanſpergh. Eum quidem impellere hominem ad libidines: Verùm ſtatim atque perſuaſerit flagitium, ita horrere naturaliter eam fœditatem, ita auerſari: vt tantiſper loco cedens ſe ſubducat, donec fuerit perpetratum facinus. Iam Virginum Virgini Mariæ tam cuique euidens eſt odio eſſe laſciuiam, quàm conſtat eſſe ſanctimoniæ caſtimoniæq́; omnis Parentem ac Pręſulem. Chriſtum verò ſcimus vel vmbram turpitudinis ita abhorruiſſe, vt Matrem ſibi eſſe nullam voluerit præter Virginem: Apoſtolos autem, etſi pleroq́ue in culpam aliquando grauem prolabi ſit paſſus, libidinoſum ex ipſis voluerit habere neminem. Enimuerò quî ferre poſſit naturam illam, quam eò honoris extulit: vt ſibi indiſſolubili vinculo adiunxerit,

In Epig. 29. poſt Trinita.

xerit, tanto turpitudinum dedecore atque infamiâ affici? Ex quibus, quod erat reliquum facilè intelligitur, multò etiam magis ipſi Deo exoſum execrandumque eſſe, ſi videat animam diuinitatis expreſſam imaginem conſpurcari, ipſiuſque ædem ac ſedem ſacrilegè prophanari, dirui, euerti: quominus mirari debemus, ſi legamus nullum ſcelus tamque grauibus ſupplicijs eſſe à Deo vindicatum, atque luxuriam.

Porrò etſi hoc vitium, omnem ætatem quamcunque attigerit, fœdiſſimè dehoneſtet, atque omnem honeſtatis ſpeciem inimiciſſimè infeſtet: nullius tamen rei aut ætatis æquè capitalis hoſtis eſt, atque Adoleſcentiæ & bonarum literarum. Seneca appoſitè, *Nihil eſt tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria.* Vt primùm enim hoc vitium mentem quaſi arcem occuparit, ingenij aciem hebetat, iudicij vim frangit, memoriæ arculam effodit, phantaſiam malarum rerum idolis implet, appetitum ad rebellionem ſollicitat, ſenſus omnes laxat ad inſolentiam: denique ipſum hominem planè perturbat, & inſanum efficit. Spectetur ex iſto amentium Amantium grege apud Plautum miſer ille Alceſimachus Adoleſcens, *Credo ego* (ait) *amorem*

Præfat. in l. 1. Controu.

Plaut. in Ciſtell.

rem

rem primùm apud homines carnificinam commentum. Hanc de me coniecturam domi facio, ne foris quæram qui omnes homines supero, atque antecedo cruciabilitatibus animi iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser exanimor, feror, differor, distrahor, dissipor, ita nullam mentem animi habeo, vbi sum, ibi non sum, vbi non sum, ibi est animus. Habeatne iste, aut eiusdem insanię quiuis alius satis animi, aut mentis, vt cum Musis & Diua Sophia ei agere vel libeat, vel liceat? Quare ingeniosè alludens quispiam dixit hoc nomen Venus quasi *vaì vũς*, id est, væ menti è Græco ad Latinos originem accepisse, sanctique Patres in voluptatis familia primam impurę Matris sobolem animi cæcitatem recensuêre. Ita esse experiebatur olim Augustinus dum vitam turpiculam viueret. *Exhalabantur* (inquit) *nebulæ de limosa concupiscentia carnis, & obumbrabant atque obfuscabant cor meum:* neque ethnici ignorarunt. Plato enim dicebat veritatem non oculis corporeis: sed pura mente adpisci: ac ne videri possit nihil æquè impedire, atque vitam libidinibus fœdam, falsasque rerum sensibilium imagines: ex quibus errores innumeri generantur: quare ab his sanandum esse

Lib. 2. Conf. c. 2.

esse animum ad intuendas immutabilium rerum formas. Sed de his totiusque huius capitis argumento fusè atque ex professo, quod in Belgio edidi, Lilium Marianum, quem Libellum, quia opinor non esse in omnibus Academijs, in quibus tamen Academicum meum instruo, ex eo huc quædam necessario erãt transferenda, præsertim cùm ad Salomonem explicandum, remque quam tracto, peragendam visa mihi sint non modò magis ad manum; sed etiam efficaciora. Atque vt methodo & clariùs procedam de prauis cogitationibus primum; tum de ore oculisque obscœnis, denique de periculosâ cum mulieribus familiaritate ad Salomonis mentem aptè breuiter hoc loco disseram.

§. IV.

Cogitationes obscœnæ.

IMprimis Pharisæorum iste inter cæteros error fuit, sceleris sola conceptione nihil posse peccari, modò flagitium reipsa minimè perficeretur; quæ etiamnum imperitæ multitudinis plerumque est persuasio: atqui rerum turpium turpi cogitatione animum fædari, Deum-

Deumque ipſum, ſi illa ſponte admittatur, grauiter offendi didicimus in Salomonis quoque Schola. *Abominatio Domini cogitationes prauæ.* Rurſum: *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo.* Denique: *In cogitationibus impij interrogatio erit.* Oportet graue eſſe piaculum, quod Deus tanto odio proſequatur, vt illius cauſa hominem procul à ſe abijciat, atque in iudicium ſalutiſque diſceptationem vocet. Phariſæorum verò priſcum illum errorem, iam pridem Chriſtus ſuâ limâ correxit. *Qui viderit* (ait ipſe) *mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, blaſphemiæ:* quo vltimo loco diſcimus, homicidam, adulterum, blaſphemum eum eſſe qui flagitium animo admiſerit, licet à ſcelere manus abſtineat.

Gen. 12. Pharao Rex Ægyptius Abrahami vxorem, quam ipſius ſororem eſſe non coniugem crediderat ſanè minimè violauit, ac ne attigit quidem, concupiuerat tamen, & licet corpus necdum haberet inceſtum, iam erat animus obſcœnus, eaque impura cogitatio Regi, regnoque tanti conſtitit: vt non priùs numinis vltrices iræ remitterent, quàm ille

ille animum simul mulieremque dimittere. Proferantur nunc SS. Patres. *Non modò morbum:* (ait S. Chrys.) *sed morbi radicem euellito: radix enim Adulterij impudica cogitatio.* Et S. Bern. *Sicut vipera à filijs suis in ventre adhuc positis occiditur: ita nos occidunt cogitationes nostræ intra nos enutritæ: quia consumunt animam nostram animo viperino.* Idipsum ratione confirmemus. non modò corpore constamus: sed multò magis animâ, quæ hominis pars est diuinissimâ: animæ porrò partes sunt voluntas & mens, quibus à brutis distinguimur: quare non modò turpe erit & flagitiosum turpiter quidquam exterius moliri: sed etiam animo designare, & velle libidinem. Neque refert hanc interiorem animi labem minimè videri ab hominibus. Videt enim is *qui renes & corda scrutatur*, eaq; contuetur perspicacissimè, quæ nostris oculis minimè patent: scitè olim Thales Philosophus rogatus *an homo Deum posset latere: Non potest*, respondit; *ne cogitans quidem.* Imò verò arbitror in scelere perpetrato plus quidem nequitiæ reperiri, atque improbitatis: in machinatione tamen, & perpetrandi cupiditate plus inesse tum periculi, tum momenti: nam vt è cœnoso fonte aquæ turbi-

Hom. 8. de pœnit.

Lib. de modo bene viuendi ad soror. Relig.

1. Reg. 6.

Apud Laërt.

turbidæ promanant, atque ex venenata radice vitium proſerpit in ramos: ita ex corde improbo improbitates ipſæ, maximaque deinde flagitia exiſtunt: quod cùm in quauis malâ cogitatione locum habet: tum verò maximè in cogitatione improbâ rerum obſcœnarum: ſtatim enim atque res illæ, vt belluinę ſunt atque ſenſibus obiectæ, phantaſiam admiſſis per ſenſus turpitudinum ſimulacris commouerint, mox appetitus in fœdiſſimas illas imagines proruit, eaſq; æquè turpiter amplectitur quaſi naturali quodam impetu: tum voluntatem quoque potentiarum Reginam infamis ancillula ad conſenſum prouocat, vehementerque impellit: donec non rarò ipſa tandem, ſiue propter ſimpathiam cum appetitu illo inferiore, ſiue propter confœderationem cum facultatibus appetitiuis, dedat ſeſe, atque in delectationem voluptatiſque partes diſcedat.
Cap. 1. Hęc conceptio eſt illa, parturitioque peccati, ęternæque mortis, quam S. Iacobus commemorat. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Vulga-
In Eccleſ. c. 9. tum iſtud S. Hieronymi. *Diabolus ſerpens*
eſt

est lubricus, cuius si capiti, id est, prima suggestioni nō resistitur, totus in interna cordis, dum non sentitur, illabitur: tentationum Diabolicarum initia flagitia sunt. Et ad Eustochium. *Nolo* (ait) *sinas cogitationes crescere, nihil in te Babylonicum, nihil confusionis adolescat, dum paruus est hostis, interfice.* Quæ cum ita se habeant: ad primos illos omnium cæterarum libidinum fontes obstruendos, operæ pretium erit hic præscribere Amuletum castimoniæ illud, quod profligandis cogitationibus obscœnis nuper est à pio authore in lucem datum. Epist. 22.

1. Vbi primùm aduertis dęmonem, cogitationem mox transfer quocunque aliò: cogita de negotijs, de rumoribus, de aliquâ, quam pateris, molestiâ, aut numera fenestræ rhombos, tabulati tigilla. Caue sis frontem contrahere, capite abnuere; sed nec opus est responsare interiùs, non volo, non faciam, non consentio, neque id vulgariter consultum: subinde vt fiat, probo.

Hoc vnum mentem aliò abduxisse, vicisse est. Itaque in hoc totus esto, quò conducit itidem, aliquo mox opere gnauiter te occupes.

2. Si perdurat cogitatio, cruce pollice ad pectus efformatâ Iesum, ac Ma-

riam aduoca : dic obiter, ô bone IESV! ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!

Vel cum S. Thoma Aquinate. Ne ſinas quæſo Domine IESV, & tu ſanctiſſima Mater, & Virgo Maria, vt tam immani ſcelere me obſtringam. Maximè autem ſenties Virginis auxilium, ſi quotidianâ prece, Roſario, vel Litanijs, vel Hymno aliquo, vel ſabbathino ieiunio eam colueris.

3. Motibus prauis compeſcendis valet plurimùm labia vel linguam tantiſper admordere, vngues, manus, ad dolorem imprimere, vel alio quouis modo corpori incommodare.

Iuuat ſubinde vel ſolum ſitum mutare corporis: vt ſtare ſi conſidebas, ſedere ſi ſtabas, ſi decumbis in latus te verſare alterum.

Si motus perſiſtant, nihil turbare: non nocet ſenſus, vbi non eſt conſenſus: tantum ne reflectito : ſed diſtine te cogitatione alia.

4. Si tentatio eſt importunior, imaginare ſub pedibus tuis laxari inferos, eoſque inſpice. cogita fide certum eſſe, aut pœnitendum eſſe, ſi deliqueris, aut ęternùm ardendum.

Dic adeò, quomodo poſſum facere

malum

malum hoc? prôh nimis vesanum est sponte facere pœnitenda, nimis incertum est, dabiturne pœnitere: nimis longum est ęternùm ardere.

5. Quòd si vim pateris vehementiùs, imaginare coram te Christum cruci suffixum.

Dic ex tempore cum Sancto Bernardo. Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?

Quot autem vides vulnera, tot ora esse cogita, quibus te Deus tuus obtestatur, fili mitte cogitationem illam. Fili nonne satis propter te vulneratus sum? siquidem tam vile tibi sit cælum meum, tam pro nihilo tibi sint inferorum supplicia? at non tam vilis tibi sit sanguis meus, & amor meus?

Dic agedum, Deus meus & omnia, Dominus meus & Deus meus. Dic iterum cum Diuo Bernardo, calix quem potasti, ô bone Iesv, cogit me, vt amem te; Amo te Deus meus, amabo te Deus meus super omnia in æternum, dehiscat mihi antè tellus absorbens me, quàm offendam te, malo mori millies malo mori.

6. Porrò piæ hæ cogitationes omnes ita vsurpandæ, vt potissimùm aliò menti traducendæ seruiant; non vt multum

cum malis tuis cogitationibus disputes; quod maximè cauendum. Siquidem cogitationes istæ, iuxta nomen suum vt immundæ vt sordidæ, vt spurcæ, vt fœdæ, vt obscœnæ vocantur, ita lutum sunt, ac cœnum: facilè si insistis, inquinant.

Cæterùm tanquam à facie colubri prauarum cogitationum occasionem omnem fuge, fuge; securius est perire non posse, quàm iuxta periculum non perijsse; ita S. Hieronymus.

§. V.

Os, oculi.

SEquuntur iam os & oculus, duæ ad inflammandam libidinem potentissimæ faces, turpiloquium, & fœdarum rerum aspectus, de quibus iam Salomon: *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo, non est prouidentia, ne forte iratus Dominus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. Sermonum impij auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius, quoniam auris zeli audit omnia.*

A turpi sermone ad res nefandas prolabi

labi nihil eſt pronius: appello B. Laurentium Iuſtinianum: *Cito lutum colligit animus ſuperfluitate verborum: ingreditur enim mors impudicitiæ per oſtium tuum, ſi turpiter loqueris, ſi procaciter, ſi vbi non oportet.* Epictetus verò ſermonem laſciuum fomentum eſſe libidinis dicebat: eamque ob rem Ariſtoteles, à Rep. dum eam optimis legibus effingeret, omnem obſcœnitatem exterminauit, quòd diceret, ex turpiter loquendi licentia, ſequi & turpia facere: his adde (etſi nihil grauius ſequeretur) per ſe tamen ſermoni inhoneſto adhærere labem, turpitudinem, & veluti peſtem teterrimam (quæ non tantùm in dicentis, ſed etiam in audientis animum peruadat) horrendumque fœtorem, vidente, audienteq; numine turpiſſime exhalari, quòd grauiſſimum cenſeri debet: nam ſi honeſti viri auribus non peperciſſe inſignis contumelia eſt: quo loco habebimus numinis præſentiam verborum obſcœnitatibus temeraſſe? credis Deum iſta nihil attendere, ſcilicet, aut non curare omnino? imò verò videt, & audit, & interim cùm malum maturuit, ſeuerè vlciſcitur, tum per ſe, tum per Angelos; qui cum ſint puriſſimæ, caſtiſſimæque mentes, non minus oris ſordes deteſtari

Lib. de ligno vitæ c. 5.

poſſunt, aut debent, quàm immundi ſpiritus turpi illo cœno oblectentur. Viſum iſtud aliquando ex Eremicolis viro cuidam Religioſo è cœtu Aſcetarum prꝗſtanti. Iuniores feriabantur nonnihil oblectandi animi gratiâ: principio pios inter ſe ſermones, vti par erat, ne otientur, admiſcent, volitant inter hꝗc Angeli læti, atque alacres, vnaque geſtiunt. Verùm ſtatim atque (vt fit facillimè) illi, ad impuriora colloquia defluxiſſent, boni genij è veſtigio vultum obnubilare, mœrere, abſcedere interim longiùs: mox Cacodꝗmones aterrimos porcorum ſordidiſſimorum formâ ſuccedere in locum, ijſque, qui iam ſordidè loquerentur, applicare exultim ſeſe, atque volutatim, quaſi ad cœnum. Atque hꝗc de oris obſcœnitate hic ſatis.

Ex lib. ſent. PP.

Iam quid de oculis? multa ſane congerit Salomon graues ob cauſas, ſiquidem à S. Iſidoro Hiſpalenſi rectè obſeruatum: *Libido tum magis quæritur, cùm videtur. nam ſicut quidam ſapiens ait, prima fornicationis, oculorum tela ſunt, ſecunda verborum. ſed qui non capitur oculis, poteſt verbis reſiſtere, ſufficit natura vbi liber affectus eſt.* Miror Quintilianum id quoque vidiſſe, *Vitijs*, inquit, *noſtris in animum*

Sent. lib. 2. c. 39.

mum per oculos via est. Celebratur Alexandri in oculorum moderatione continentia, cum enim orbis iste domitor Darij Imperatoris filias captas in potestate haberet, rarò salutabat, neque faciebat vnquam nisi demissis in terram oculis, quasi ab insidioso formæ aspectu magis, quàm ab hoste iam edomito sibi metueret. Neque minus sapuit Isæus ille Assyrius Sophista, qui cum à quodam formosissimam mulierem ostentante interrogaretur, num videretur esse pulchra? acutè respondit, desij ego laborare ab oculis, morbus sanè periculosus, & quidem curatu difficilis, ægritudo illa oculorum: quo si quis laboret, curarique volet, nihil habeo præstantius, quàm istud optimi cuiusdam medici. Basil. de legend. Ethnicis lib.

Recipe
- Ficulnei perizomatis Euæ, folium vnum,
- Statuæ Salis Vxoris Loth, grana 5.
- Plantaginis à Dinâ Sichimis collectæ manipulos duos.
- Nocturnarum lacrymarũ Dauidis, Vncias duas.

Contunde in marmoreo mortariolo cordis, pistillo crucis Christi, atque inter tundendum influant lacrymæ tuæ,

vt melior ſit compoſitio; fiat faſciola ex linteo, quo Iudæi Chriſti oculos velârunt, fiatque paſta ex ſupra dictis confecta densè ſatis.

Denique eo collyrio oculos obline, ſimulque cum ſanctiſſimo viro Iobo, percute fœdus cum oculis tuis, ne vnquam cogites, nequidem de Virgine. Ad Salomonem, id eſt, ad rem ipſam pergamus. *Non concupiſcet pulchritudinem mulieris cor tuum ne capiaris motibus illius, pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis, mulier autem viri pretioſam animam capit.* Forma mulieris lethale telum victu vtitur pro ictu, pro ſcopo te habet: ſi oculi patent, pates vulneri; caue, aut feriêre, capiêre; nihil eſt certius, caue: ſpecies mulieris baſiliſcus eſt. Si videaris, venenum inſpiratur, ſi videas hauris. Denique mulier venefica eſt Circe faſcinat oculos, & dementat. Perge, quid putas ſcortatrice fœmina vilius? pro fruſto panis proſtituitur: quid verò fortiùs? venatrix, prædatrix eſt, pro reti oculos pandit, eo laqueo oculos hominum captat, primùm blando viſæ voluptatis latrocinio; mox etiam leones ipſos irretit, & capit. Habes omnia breuiſſimè, nam alio propero. Sed quid ſi ad oculorum blanditias etiam verbo-

rum

rum aucupia accesserint? audiatur Salomon ipse. *De fenestra domus mea per cancellos prospexi*, obseruans scilicet hominum corruptissimos mores, & hem *considero vecordem iuuenem*, non minùs mẽtis scilicet quã cordis egentẽ, omninò insanũ, transit per plateam *iuxta angulum & propè viam domus* (putà impudicæ meretricis alicuius) videsne quàm graphicè incipiat lasciuientes adolescentiæ mores describere? fauebat porrò concepto facinori tempus, vesper erat, & nox: lucifugum scilicet semper est vitium; sed libido imprimis: ita obscœnæ, & mali ominis aues interdiu ferè latitant, noctu volitant, ac vagantur: quare Athenienses non laudo, quod Palladi noctuam addixerint, quàm veneri potiùs debuerant. Igitur perditus ille iuuenis, *graditur in obscuro, aduesperascente die*, noctis tenebris, & caligine quorsum? occasionem captat, reperit: *Ecce occurrit illi mulier, ornatu meretricio, praparata ad capiendas animas*, tantumne qua (vt 70 interpretes explicant) *faciunt iuuenum volare corda*? auolare, quò autem? in ipsos laqueos, pro illicio & esca ornatus est meretricius, sed qualis illa? *garrula, & vaga, quietis impatiens nec valens domi consistere pedibus suis* insidians:

dians: vt quæ iam ſit in limine, iam in plateis, iam in viarum compitis, nullo non loco ſemper in inſidijs: nihil hoc animali impudentius, mobilius, pernicioſius. Quid plura? pudet referre oſcula, amplexus, verborum obſcœnitatem. Nec tandem eſt Comediæ totius funeſta Cataſtrophe. *Irretiuit eum ſermonibus multis, & blanditijs labiorum protraxit illum ſtatimq; eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam*, ad Macellum putâ, & lanienam, *& quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur*, atque his ſe compedibus expedire poſtea ægre poteſt. Sequitur, *donec transfigat ſagitta iecur*, ſedem ipſam impudici amoris, *& velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit* iuuenis vecors, *quod de periculo animæ illius agitur*. Quàm verò aptè libidinoſę mentis adoleſcens cum agno, & aue comparatur, obiter aduerte. Agnus omnium quadrupedum ſtolidiſſimus lupum aut vulpem ſubinde inſequitur, proinde, ac ſi agno matres eſſent lupæ & vulpes Libidinoſus adoleſcens etiam lupos, & lupanaria amat, & quęrit. Quid Aues? eę hoc plerumque ęſtu illaqueantur, implicat Auceps fœmineam auem retibus, hæc vt captet, cantilat & garrit, auis maſcula aduolat, incidit, perit, ita

fit,

ſit, etiam cantilenis Syrenularum: Adoleſcentes incauti capiuntur, & pereunt. Tandem veriſſimum eſſe deprehenditur, quod etiam eſt à Salomone dictum, *Fouea profunda meretrix & puteus anguſtus, inſidiatur in uia quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet, amarior morte mulier, quæ laqueus venatorum eſt, & Lagena cor eius & vincula manus illius*. Animo altè infigendum, quod inde ſequitur, *qui placet Deo effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa Igitur ne attendas fallaciæ mulieris: fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouiſſima autem illius amara ſicut abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps: pedes eius deſcendunt ad mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant, inclinata eſt ad mortem domus illius omnes qui ingredientur ad eam non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.* Veriſſimè dictum, amor laſciuus trux Tyrannus, ſuauia & mollia principio omnia; mox mel in abſyncium, oleum in ferrum vertitur. I, & te iſti malo crede. Verum iſta, quæ ego breuiter perſtringo, tu tecum per otium expende.

§.VI.

§. VI.

Familiaritas cum fœminis.

RESTAT nunc familiaritas cum fœminis. qui ſapere volet Adoleſcens, mulierum domos, contubernia, amicitiam fugitabit. Dici nequit, quantùm in iſtis inſit periculi, quod enim Salomon ad extremum monet. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant! aut ambulare ſupra prunas, vt non comburantur plantæ eius? Hunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei, ne abſtrahatur in vijs illius mens tua, neque decipiaris ſemitis eius: multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. Via inferi domus eius penetrantes in interiora mortis.* Quæ etſi ex ijs quæ dicta ſunt, facilem ſenſum atque intellectum habent, placet tamen paucis eadem illuſtrare Sanctorum PP. ſententijs: vt in comperto ſit, quàm hi cum Salomonis mente conſentiant. Facem preferat B. Laurentius Iuſtinianus.

Lib. de ligno vitæ c. 5.

Proximus periculo, inquit, *diu tutus non erit, per aſſiduitatem facilè peccat homo,*

mo, sæpè familiaritas implicauit, sæpè occasionem peccandi dedit, & quos voluptas non potuit in primordio, familiaritas postea superauit.

Quid verò necesse est (S. Hieronymus iam loquitur) *in illa versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere, quis vnquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certè sollicitat. securius est perire non posse, quam iuxta periculum non perijsse.* Iam ne nimiùm credulus præfidas de victoria, audiendus quoque erit S. Cyprianus: *Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluare se sperat, incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est flammis circumdari, nec ardere. Difficile quis venenum bibet, & viuet, in hac parte expedit plus timere, quàm malè fidere.* Redeat huc iterum Hieronymus. *Hospitiolum tuum aut rarò, aut nunquam mulieres terant: ne sub eodem tecto mansites, nec in præteritâ castitate confidas, nec sanctior Dauid. nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum de possessione sua mulier deiecerit.* Quid agam, inquies, aut quò me vertam? nam neque Academiæ syluæ sunt, neque religiosorum hominum claustra, & ego neque eremicola, aut

Epist. 47. de vita.

De singularitate Pericon.

Epist. ad Nepotianum.

aut ita religiosus sim, vel esse velim. Ego contra primùm velim saltem, vt tu velis esse religiosior, deinde sunt in Academijs Seminaria, & Collegia, in quibus tutiùs habites, denique familiaritatem ne contrahe, abstine à iocis, & verborum lenocinio, non plura quàm opus est, loquere, caue ab oculorum, fixo præsertim, obtutu; quòd si etiam roges: vt quoniam in hoc capite medicum agere cœpi, antequam finiam, vniuersim malo isti curando modum, rationemque præscribam, faciunt ad hanc rem ferè eadem remedia, quæ in corporum curatione adhiberi solent, vti est à rerum harum expertissimo Bellarmino notatum.

De arte moriendi lib.1.c.16

Primum, diæta seu abstinentia, à carne & vino.

2. Missio sanguinis per venarum sectionem, vel vstulationem partis noxiæ, per flagella, inquam, cilicia, humicubationem, & reliquum austerioris vitæ genus.

3. Exercitatio, & inambulatio: nam otio morbi ingrauescunt, itaque iuuerit iam animo subire hortum Getsemani, iam atrium Annæ, iam Cayphæ aulam, iam curiam Pilati, aut Herodis, reliquamque viam Christi patientis,

tientis, vſque ad Caluariæ iugum emetiri: nunc ad mortuorum ſepulchra inferre ſeſe, nunc denique viuentem deſcendere ad inferos, vt ex his mentis itionibus meditationibuſque calentis febris iſtius, fœdi ardores reſtinguantur.

§. VII.

Natationes, Balnea.

FIniebam hoc caput alioque abibam, cùm ecce redit in mentem, me de Natationibus, balneationibuſque nihildum dixiſſe: quæ tamen neque infrequenter æſtiuis caloribus, neque abſque caſtitatis bonorumque morum periculo vſurpantur. Quare de eo argumento paucula huc attexam, veluti Appendicis loco. Primùm natationes Adoleſcentum Academicorum (cum his enim mihi eſt ſermo) planè improbo his præſertim circumſtantijs. Si corpora nudentur, alijs etiam præſentibus: Si frequentiùs fiant, Si in aquis periculoſis. Atque hoc quidem vltimum nunquam licet, cùm enim vitæ noſtræ domini, non ſimus, eam prodigere priuato nunquam fas fuit: atqui periculum

iſtud

iſtud vitæ ſubeſt non rarò: vt ſi profundior locus, ſi vorticoſus, ſi herbarum fibris, lapidum, aut rerum aliarum aſperitate fundus ſit impeditus, aut non ſatis perſpectus, ſi frigidius cælum, ſi pedes, aut crura contrahi, vt fit, & rigeſcere ſoleant, aut meritò id timeatur, aut eiuſdem generis aliquid: quæ diſcrimina non vſque adeò eſſe infrequentia, atque multi temerè exiſtimant, iam pridem vſus, funeſtiſſimique caſus docuêre. Vidi ego locum, vbi ſeptem non longo interuallo, & ex ijs nonnulli in natando experientiſſimi, atque (quod patriæ fuit calamitoſiſſimum) è præcipuâ nobilitate, vitæ naufragium fecerant, deque, vtinam eorum nullus, etiam ſalutis: paria exempla non rarò alibi viſa vel audita: certè vix annus vllus prætterlabitur, quo non aliqua, nobilium, ignobilium, peritorum, rudium, iſtiuſmodi funera ſingulæ Academiæ luxerint: quo experimento liquet plus eſſe in natando diſcriminis, quàm natatores vulgò iactitent: iſtud prꝺterea obſeruandum, ex ijs qui periêre, plures fortaſſis fuiſſe de eorum numero, qui Delij & in ea arte magiſtri habebantur: nimirùm confidunt hi ſibi nimiùm, periculaque minùs expendunt, quòd ſępius

ſæpius euaſerint, atque ita euenit ijs plerumque quod in ſimili dixit Tragicus, *Quem ſæpè caſus tranſit, aliquando inuenit.* Sen. Poëta.

Eſt quoque temporis ratio minimè hîc negligenda, fit enim neſcio quo pacto: vt quos natandi cacoëthes inceſſit, tam degant in aquis, quàm anſeres & olores, quò natant magis, eò magis lubet, donec ſemel ita ſe immerſerint, vt nunquam emergant, verùm eſt hic iſtud etiam, *quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ:* quantis autem id accidat ſtudiorum detrimentis nemo non videt.

Quòd è tribus primùm initio propoſueram, vt animam cælumque proprius tangit, ita valere vrgereque debet plurimum, periclitari iſtic ſcilicet caſtimoniam: ijs enim locis pudor omnis, qui caſtimoniæ cuſtos eſt, ſtatim proſtituitur, rectè autem Dion Philoſophus, pudorem virtutis colorem appellabat, & ille apud Plautum tanti ducebat; vt diceret, *Illum perijſſe duco, cui perijt pudor.* In Bacchid. Verùm de eo alibi: nunc pudorem perire, vbi natatur, Sole eſt meridiano clarius: nam ob id pronunciauit Ennius apud Ciceronem, dignam illam homine Chriſtiano ſententiam, *Flagitium præcipuum eſt nudare inter ciues corpora:*

ob eandem cauſam extant ab optimis Adoleſcentiæ moderatoribus conceptæ hæ leges. Omnes id caueant, quòd coram alijs fieri honeſtus pudor diſſuadet: Nullam ſui, vel alterius corporis partem nudam oportere aſpici, vel tangi, quam tegere veſtibus naturæ iuſſu ſolemus: animumque inducant poſſe in ijs grauiter contra Deum peccare, quod ne fiat, & ne ijs inuoluantur ſceleribus, quæ dedecoris plurimùm & flagitij, & ſeri perpetuique doloris aculeos in æternum infligerent, apud ſe conſtituant nihil vnquam, aut admiſſuros ſe, aut animaduerſuros, multoque minus ſi ſibi factum ſit, diſſimulaturos, quin confeſtim primâ opportunitate, quicquid eſt, apertiſſimè ei indicent, cui conſcientiam ſuam regendam tradidêre.

Pontan.

Quæ leges vt aliæ plurimæ, ex malis primò moribus natæ ſunt, compertum enim fuit multos caſtitatis laude Angelicos Adoleſcentes, poſtquam iſtarum legum pręſcripta (quod plerunque fit in natationibus) infringere cœperint, primum turpiculos, paulo poſt turpiſſimos euaſiſſe. Non inſulsè contra perditum in aquis pudorem luſit nuper quiſpiam.

Quòd

Quòd fuit hoc philtrum? fueras qui castior ipso
Hyppolito, tactis factus es hircus aquis.

Meritò igitur tum Scholarum nostrarum, tum ferè benè moratarum Academiarum statuta natationes ob tres causas supra allatas prohibent, reosque suppliciјs coërcent, atque seuerè puniunt. At, inquies, medici lotionem suadent: scabiosus es fortasse; non deerunt alia remedia si adhibere voles, quòd si lauandum est, domi vtere calida, si opus: aut (si maius periculum abest) limpidâ, frigidâve: nihil moror. Pergis, an ergo natationem omnem ex hominum vsu planè ablegandam censes? ne hoc quidem tam crudè, & tam vniuersim: Scio incidere posse locum & tempus aliquando, quibus natandi ars prosit; vt si nauta futurus sis, aut in periculoso mari nauigaturus: verùm rarò Academico Adolescenti probabile est id euenturum: quòd si probabile sit in eas te angustias casurum, ea seruentur in modo, tempore, loco, quæ prudens conscientiæ moderator, morumque præceptor rogati præscripserint.

Atque ista quidem, quæ hactenus dicta, ad omnes pertinent, sed multò maximè ad Parthenicos Mariæ Sodales,

ne alioqui offenſam ſentiant Virginem: narrare ſoleo, cùm res fert iſtud, quòd ſequitur. E parthenico cœtu vnus natatum ierat, quo tempore alij in oratorio de more aderant, ille natando ſubmerſus eſt. Miraris miſeram illam moriendi ſortem, quòd Marianum Clientem malè perire non poſſe ſæpiùs audieris. Diluit Virgo hoc crimen.

Ne mirere meum mergi potuiſſe Sodalem:
Nam qui ſic perijt non fuit ille meus.

Scilicet.

Cinxerat induti latus optima Virgo Clientis
Vt vidit nudum fugit, & ille perit.




AD CAPELLVM.

Parùm caſtum Adoleſcentem.

LVpam, caue Capelle.
Hæc, quæ tuos amores,
Igneſque concupiſcit,
Et improbè procatur
Lenocinante vultu,
Laſciuiente geſtu,

Lupa

Lupa eſt: caue Capelle.
Lea eſt, time Capelle:
Veſtis licet niteſcat
Oſtro cruenta multo,
De cæde Amaſiorum
Cruor eſt, atroxque ſtrages:
Leam time, Capelle.
  Rex eſt; fuge ô Capelle:
Gemmatus ille crater,
Auroque totus ardens
Inuitat ad bibendum;
Merum putes meracum,
Puta pura mella iures:
Babyloniæ meretrix
Intus tegit venenum.
Necem fuge, ô Capelle.
  Caue, time, fuge iſtam
  Lupam, leam, necemque;
Iocatur: at iocando
Nocet venus, necatque.



ORATIO.

Contra Impudicitiam.

Ad Cœlites pudicitiæ Præsides.

O Virginum Virgo Maria, ô ſeminator caſti conſilij bone Angele, ô vos omnes Sancti, ac Sanctæ, Præſides & Tutelæ Caſtitatis, adeſte. Statis vos quidem ſupra montem Sion cantantes canticum nouum, quod nemo poteſt dicere, imò nec diſcere præter vos, qui verè fœlices ac beati Agnum ſequimini, quocunque ierit : at nos miſeri mortales in hac potiſſimum primæ ætatis imbecillitate, loco ſanè perdifficili ac lubrico periclitamur, quamdiu cum fortiſſimis ſæuiſſimiſque pudicitiæ hoſtibus certamus. Adeſte & nobiſcum pugnate. Adeſdum, tu maximè omnium caſtiſſime IESV Virginum ſponſe, atque noſtri huius certaminis ſupreme dux & ſpectator. Continétiam amas & iubes, da quod iubes, & iube quod vis : quantumuis aduerſarij impetum vimq;

vimque faciant: non modò admittendæ; ſed ne cogitandæ quidem turpitudini conſentiam. Mallem mori, quam fœdari, mallem ipſos mihi inferos reſerari, quàm vt flagitium admittam. Deus qui ſcis in tantis periculis conſtitutos pro humanâ fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da auxilium gratiæ tuæ, per Virginis Matris, per Angeli mei, per Sanctorum Caſtimoniæ Præſidum interceſſionem, per IESV Chriſti merita: vt in periculoſiſſima hac arena fortiter conſiſtam, vtque poſt luctam miſerrimæ huius vitæ, felicemque victoriam, reſeruata pudicis animis in cælo pręmia cum caſtis aliquando conſequar. Amen.



Ebrietatis vesania. 14.



Vesani calices quid non fecere:

SYMBOLI EXPLICATIO.


Quodnam hic rurſus portentum? Adoleſcens pampinis frõtem redimitus, thyrſo manum obarmatus, Tigride vehitur, & in ſuam miſer rapitur necem. Quodnã verò eſt iſtius inſaniæ carpentum? Dolium pro vehiculo, hem? non Adoleſcens Academicus, opinor, iſte eſt quiſpiam: ſed Bacchi monſtrum, aut certe monſtroſus Bacchi nepos.

Hoccine eſt ſtudium Academiæ, hoc philoſophi officium? euacuandis calicibus ſtudere? oleum, operam, opes perdere? atqui vt ſapiens eſſes parens te in Academiam miſe-

rat, nō vt inſanires. Quid quod domeſtici interim genium defraudant ſuum; vtque te eruditioni ac laudi nutriant, rei familiari parcunt? cum vino parentum lachrymas, imo etiam miſtum ſanguinem vno eodemque hauſtu impius bibis.

Heus tu, aliquando temet reſpice, non vinum: in vitro quidem flaueſcit: at iſte color mentitur: in calice gemmeo meretrix Babylonia pro vino virus aureum propinat: ita ſuauius bibitur: pari modo blandè ſeſe in guttur & ſtomachum inſinuat ſerpens, ſtatimque ingreditur; vt totus admiſſus eſt, necat; id cogita, atque vt rectè viuas ac valeas, gulam iugula.

CA-



CAPVT QVARTVM.

Ebrietatis vesania.

M O N I T V M.

Ne Commessator, néve pergræcator: Ebrietatem ingenij, studiorumque pestem ipsâ peste peius fugito.

S A L O M O N.



Oli esse in conuiuijs potatorum, neque in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum congerunt. Prouerb. 23.

Ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blādè, sed in nouissimis mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet. Ibid.

Cogi-

Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animam meam transferrem ad ſapientiam, deuitaremque ſtultitiam. Eccl. 2.

Quicunque his (Ebrietate & vino) delectatur; non erit ſapiens. Prou. 20.

Eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clauo. Prou. 23.

Luxurioſa res vinum. Prou. 20.

Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa. Prou. 23.


Qui diligit epulas, in egeſtate erit, qui amat vinum & pinguia non ditabitur. Prou. 25.

Vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Prouerb. 23.

Tumultuoſa ebrietas. Prouerb. 20.

Cui væ? cuius Patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Prou. 23.

MEN-



MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Quid sit Ebrietas, & quàm turpe vitium?

PRæcisè vnicuique vitio Cacodæmonem velut Principem ex ſacris literis Sanctorumque Patrum traditione accepimus. Aſmodeum appellat Tobiæ Hiſtoria eum, qui in libidinis exercitu imperat: Eum verò, qui ad Ebrietatem impellit, Clemens Alexandrinus Ventridæmonem appellauit. *His*, ait ille ſcriptor, *qui ad luxum menſarum ſunt propenſi, praeſt Dęmon, Helluo Maximus, quem non verebor Ventridæmonem appellare, omnium peſſimum ac perniciosiſſimum:* Cui ſanè appellationi fauet Dagon, celebre illud olim apud Philiſthæos Idolum, quod nihil aliud fuiſſe tradunt, quam immanem atq; tetrum ventrem, in quo latens Dæmon pro Numine celebra- In pædag.

lebrabatur: Cuius euersi Idoli hodieq; Christiani quidam (quod perpudendum est) templa restaurant, aras reparant, sacra restituunt, ij nimirum, quorum (vt loquitur Apostolus) Deus venter est. *Deus venter,* (inquit Tertullianus) *pulmo templum, aqualiculus Altare, Sacerdos Coquus, quibus tota Charitas in cacabis feruet, tota Fides in culinis calet, tota Spes in ferculis iacet.* Nihil esse posset his sacris magis sacrilegum, nihilque in hac impietate magis impium, quàm quod etiam arridere iam multis cepit hic genius: adeò vt, qui passim occurrunt offenduntque ebrij homines, fœtidissimas suas vomitiones venditent palam, atque insanissimas ineptias iactitent, perinde ac si eo vitio turpiter victi; ipsi tamen egregiam laudem, & spolia ampla reportent. Fecit illud vsus, & exemplorum frequentia, vt in Academijs patinarum magis quàm librorum Helluones, & qui maiori studio calicibus, quàm philosophorum difficultatibus euacuandis studeant, facilè reperiantur. Quare instituendus à Salomone erit meus Academicus Adolescens; ne in eam se ebriosorum hominum aut societatem, aut amentiam ab exemplorum quodam æstu, tanquam tempesta-

Contra psichicos.

te,

te, ſinat adſcribi: atque imprimis quid monſtri ſit ebrietas definiendum: vt ſtatim ex ipſa notione rei turpitudinem apprehendat. Eſt autem *Ebrietas*, vt breuiter dilucideque dicam, *Priuatio vſus rationis ad aliquod tempus, orta ex potu, causâ delectationis immoderatè ſumpto* poteſtne aliquid eſſe aut nequius, aut fœdius? Nam cum hominem Deus ratione donarit, eaque re plurimùm à beſtijs diſcrepare voluerit: Homo ipſemet, quam ab alio illatam iniuriam ęgerrimè ferret, vltrò ac volens, & quidem belluinæ voluptatis causâ ſibi per violentiam rationis vſum eripit, ſeque brutam quodammodò pecudem efficit, putà porcum, aut ſuem: imò quod teterius eſt, Cacodęmonem adeò non modo planiſſimè ineptit homo ebrius; ſed abreptitiorum ac furiarum more totus inſanit & furit. SS. Patres ſi placet, ſuis verbis iſta differentes in medium producamus: Ebrietas dicitur B. Chryſologo rabies voluntaria, inuitatus hoſtis, illecebræ honeſtatis, pudoris iniuria, Mater litium, furoris genitrix, petulantiæ Mater, quam qui habet, homo non eſt. S. Auguſtino; blandus dæmon, dulce venenum, ſuaue peccatum, quam qui habet, ſeipſum non habet, quam qui facit,

Serm. de ieiun.

Serm. 232 de temp. 2.

facit, peccatum non facit; ſed ipſe eſt
Ad ſacras Virg. totus peccatum. Rurſus eidem eſt flagitiorum Mater omnium, culparumq; materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela. Quid porrò Ebrius? Quid? Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum; animal rationale ſine ratione, viuens ſine ſenſu, & ſine vitâ ſentiens, vinum redolens, eructans, vomitans, vultu, oculis, naribus, ore, quod hauſit, exhalans, Quid Ebrius? Chimæra, Populator Cellariorum, doliorum Hirudo, Proteus varius, mutabilis Chameleon, Polypus multiplex; Omnia, prçterquam ſobrius. Hinnit vt Equus, vlulat vt Noctua: vt Aſinus rudit: vt Vulpes gannit: vt Leo furit: vt Hircus laſciuit: vt Simia ineptit. Quid iterum Ebrius? Hydra, animal vigilando dormiens ac ſomnians, cuius venter dolium, ſtomachus guttur totus gula. Bibendo vocem amittit, colorem variat, igneſcit oculis, labijs tremit, frendet dentibus, inermis militat, pocula
in

in tela vertit, nudat, labitur, errat: duplicata videt omnia, vmbras horret, comitiali morbo correptum putes: ita reluctando, calcitrando, boando inter seruorum, ancillarum, sociorum manus nec sanus corpore, nec animo liber: omnium rerum cognitione ac sensu priuatus domum ad lectum veluti ad sepulchrum viuum cadauer, postquam in saxa & ostia aliquamdiu impegerit, raptatur. His similia docent SS. Patres. Ebrius Hieronymo definitur. Homo viuens mortuus, sepultus. Basilio Idolum & simulachrum gentium, oculos habens & non videns, aures habēs, & non audiens, manus habens & non palpans. Chrysostomo, Mortuus animatus, Dæmon voluntarius, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. Denique Ambrosio, homo mente titubans, oculis lippus, linguâ balbutiens, voce cespitans, pallidus ore fœtens halitu, stertens, dormiens, clamās, dimicans, &, si quando consurrectum fuerit, stare non valens, gressu vacillans & ad terram defluens. Satin? imò plusculum, quàm oportuerat pro vestibulo. Salomonis iam monita excipiamus. *Noli esse in conuiuijs potatorum, neque in*

Epist. 83.

Hom. 14.

Hom. 1. ad pop.

Lib. de Elia & Ieiu.

commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Ita fit, celebrantur symposia, abducūnt socij omnes in commune è canistro ac penu, rem omnem exponunt, tum commessantur, pergræcanturque: perniciosa societas! nam imbibuntur quæuis vitia facilè à socijs, hoc flagitium facillimè. Caue igitur; at inquies, quid ibi cauendum? Iucundum & volupe est, vitrum vino coloratum coronamque vel intueri. *At ne intuearis vinum, quando flauescit; cùm splenduerit in vitro color eius: aut* (vt Hebræa habent) *cùm dederit in calice oculum suum: ingreditur blandè: sed in nouissimis mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet.* Ea est vini pellacia; perspicace ac viuido suo colore pertentat; tuque si vel modo splendorem eius dūtaxat aspexisti, etiam si necdum hauseris, iam perijsti miser. Aiunt enim eos, quibus oculi sunt vinacei, id est, igneè rubentes, plus virium habere ad fascinandum. Eiusmodi oculos vinum habet; suo aspectu potenter fascinat, dirè inficit. Ergo vt placuit color, accipitur vitrum præ manibus, ori apponitur, vinum ingreditur blandè, quādiu enim percolatur, palato arridet & delinit fauces. At quid sequitur? *In nouissimis*

mor-

mordebit vt coluber, venenum diffundet vt Regulus: apud Chaldæum interpretem (pro coluber) *ſicut Aſpis apud* 70. *ſicut Ceraſtes*. Regulus nocentiſſimum ſerpentis genus eſt, frutices lædit vel ſolo afflatu, herbaſque ipſas exurit, ſaxa diffringit: tanta vis malo eſt (vt Plinius obſeruauit) neque minus tamē ebrietas omnis virtutis viriditatem depaſcitur, animoſque quantumuis ab indole acres emollit & frangit. Iam vero Aſpidem alterum illud ſerpentis genus, vbi excanduerit, aiunt venenum ſcilicet diffuſuram, potiſſimum in hominis caput: vbi eſt arx iudicij, & conſilij curia; id verò etiam ebrietas facit. Hominis mentem inuadit; &, poſteaquàm hoſtiliter occupauit, toxico dementatam agit in furorem ac rabiem. Denique, quod Plinius ſcripſit de Ceraſte, huc etiam quadrat: Serpens ille duo velut cornua gerit, & vtroque ſimul virus inſpirat: ita vinum duobus quaſi ſpiculis armatur, non enim alijs modò: ſed ipſi etiam ebrio nocet; Corpus ſimul animumque inficit, conficit. Vinum (inquies) igitur venenum eſt? planiſſimè. Si enim (quod rectè pridem eſt à S. Ambroſio pronunciatum) quicquid nocet, venenum eſt: cùm vinum tollat ſenſus, viſcera exurat,

Alb. Mag.

C. 1. de El. & Ieiun.

ſomnum infeſter, caput diuexet; Etiam maiorem vim vini oportet eſſe, quàm veneni.

§. II.

Ebrietas maximè inimica Sapientiæ.

VErùm, quod idem Ambroſius aliquando dixit; nulli æque rei ebrietas venenum eſt atque Sapientiæ: id cùm aduerteret Sapiens. *Cogitaui*, inquit, *in corde meo diſtrahere à vino carnem meam: vt animam meam transferrem ad ſapientiam & deuitarem ſtultitiam. Nam quicunque hac delectatur, non erit Sapiens; ſed ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo*: neque ſanè longe à ſe abeunt vinolentia, violentia. Præterea his adagijs nil iam vulgarius, *Pinguis venter tenuem mentem minimè gignit. Sapientia non natat in humido. Anima ſicca optima atque ſapientiſſima.* Nimirum ſicut oculus humore hebeſcit, ſolemque per aërem humidum intuens non ſplendidum, ſed dubiâ luce & ſub obſcurum aſpicit: ita mens humore nimio oppreſſa aciem vimque ſuam amittit, neque veritatem ipſam aſſequitur.

Hinc

Hinc S. Auguſtinus ſobrietatem ingenuarum artium procreatricem & magiſtram appellat, ebrietatem verò ingeniorum peſtem: Optimè; nam hoc ipſum eſt ebrietas vitium tollens mentis oculos, memoriam perturbans, ingenium hebetans, iudicium peruertens: neceſſarium enim eſt corpore per immodicam potionem onuſto illam partem animi, quæ mentis & conſilij particeps, fumis atque halitibus craſſis qui è ſtomacho ſurſum in caput feruntur (vbi velut in officinâ vim omnem ſuam ratio exercet) ſopiri atque plurimùm hebetari. Sapienter igitur Salomon, cum Sapientiæ eſſet amantiſſimus, vino ſibi ipſe interdixit, alijſque ſuo exemplo ſignificatum eſſe voluit, eum, qui vino delectaretur, ſapientem eſſe non poſſe: Quin (hæc enim ipſius ſimilitudo eſt) quemadmodum in medijs oceani procellis, ſi gubernator dormiens aut ſopitus eſt, clauum elabi ſinat, nauem vectoſque omnes in ſummo diſcrimine verſari neceſſum eſt: ita ſi ſemel ratio, quam Deus homini ad corporis atque animæ pericula auertenda conceſſit, ebrietate ſopita & victa indormierit, miſerrimum neceſſariò conſequitur naufragium, non modò rationis; ſed

cæterarum quoque facultatum, quæ comparandis ſcientijs adminiculantur atque deſeruiunt. Audiantur de eadem
2. Polit. re è celebri Philoſophorum, Oratorum, Poëtarum choro viri primarij. *Sub paſſione temulentiæ*, inquit Ariſtoteles, *homo patitur iudicij detrimentum; facit ea quippe hominem ignorantem, impeditq; conſilium rationis, mentisq; oculos omninò perſtringit.* Accedit Cicero, *Nimio*, ait, *cibo ac potione diſtenti, mente vti rectè non poſſumus.* Et Horatius.

2. Sat. 2. *Corpus onuſtum*
Heſternis vitijs, animum quoque prægrauat vnà,
Atque affligit humo diuinæ particulam auræ.

Certè Boëotos ideò omnium maximè bardos ſtupidoſque omnes vituperant, quòd ſe dapibus, vinoque infarcirent. E contra Ægyptiorum ſacerdotes laudantur ab Aſtrologiæ ſcientiâ, quòd rerum cauſas, & ſyderum motus contemplaturi biduo triduóve ante nihil guſtarent. De Lacedæmoniorum verò pueris iſtud accepimus: decimò quoque die Ephoris ſanctiſſimo morum ſenatui ſe ſiſtere; eoſque, qui pinguiores viderentur plagis benè mulctari ſolitos: Adeò iſtic dedecoroſum habebatur

corpus

corpus attulisse obesum. Atqui videas nunc in Christianis Academijs ô pudor! Adolescentes non modo obesos, sed etiam deformes, immanesque amphoras, vt quod olim de Bonelo est iactatum, *Amphora est totus, vt bibat*, & apud Rhodios *Amphora est Xenagoras*, in istos sine iniuriâ iactari possit: nisi malis Claudij Tiberij Neronis nepotes appellari, quem ob bibacitatem Romani falso ioco Calidium Biberium Neronem olim vocitarunt. Non sunt Academici illi de Lycæo: sed de Lyæo, neque Philosophi omnino; sed de Epicuri harâ, quorum non hominis, sed pecudis ea est vox; *Edamus, bibamus, post mortem nulla voluptas.* Ecquid istud rei est? & quorsum tot in Academijs Gurgustia, ganeæ, popinæ, Cauponarum tabernæ? Diogenes ille Cynicus Maroneæ aliquando agens cum ganeonibus iactauit se posse certò dicere, ad quemnam locum vrbis spectaret, quantumcunque facie, atque adeò oculis velo obductis nihil videntem, in alias atque alias plateas vicosque abducerent. Illi igitur vultum primò Diogeni obuelant, tum cùm circumducere cœpissent, rogant; quonam iam spectaret? ad cauponam, inquit Diogenes: abducunt de- Canisin. in symb.

inde aliò, & quonam nunc inquirunt? Ille, etiamnum ad cauponam, ait: idque sæpius, cùm fecissent illi & hoc sæpius idem respondisset: erras, subijciunt, erras Diogenes; Cauponæ nullæ sunt vbi ais esse. Tum Diogenes, vestræ vrbis omnes domus, O Maronæi ciues, nihil sunt aliud, quàm popinæ: ita vos dies noctesque in singulis domibus licenter pergręcamini. Ridiculè dictum à Cynico: sed mordaciter, & salsè. Atque vtinã eodẽ modo non peccaremus? quot in Academijs hospitia & domus, hominum pręsertim vulgarium, tot ferè reperias caupones & coquos, coctores & decoctores, tot, inquam, caupones & potatorum tabernas, in quibus cereuisiæ & vina coquuntur, decoquuntur eo maiori temporis studiorumque dispendio; quòd domo abeundum non sit, vt madeas, & quòd heri, heræ, domestici, socij volentem nolentem in eam tempestatem abripiant, aut certè domo expellant; nisi vnà cados & cyathos exhaurias. Quippe qui simul liguriant, & ex alienis mensis ac damnis victitent. Atqui in cauponâ bibere & comesse ne frugi quidem hominem sustinere dicebat Isocrates: Areopagitæ verò vetuerunt ad Areopagum accedere, qui in

cauponâ

cauponâ pransus esset. Vbi estis secures sacræ, & senatoriæ curules? hîc opem vestram ego imploro. Romani olim creatis Ædilibus voluerunt, vt popinæ omninò totâ vrbe tollerentur: quod eæ plurimùm moribus officerent. Claudius quoque Imperator cauponarias officinas aliquando euerti iussit; quòd sub Cajo Caligulâ ciues eò ad luxum confluere consuessent: quâ ex re Resp. plurimùm nocumenti accepisset, quasi omnis nequitiæ lustra tabernæ essent. Idem vos agite legibus, pœnisque constitutis sacrosancti Academiarum Consules & Presides, quibus curæ & cordi Adolescentum non modò studia; sed fortunæ, incolumitas æternaque salus: quæ omnia cauponarum domesticarum istâ multitudine atque frequentiâ frequentissimè periclitantur.

§. III.

§. III.

Ebrietas luxuriæ parens.

NEque verò ſapientiæ tantùm hoſtis eſt ebrietas; ſed cęterarum quoque virtutum Expultrix ac vitiorum quidem omnium parens & Altrix, ſed luxuriæ atque libidinis maximè. Alphonſus Arogorum Rex rogatus, cur adeò ſæpè ac vehementer ebrietatem infeſtaretur, *Quia furorem*, ait, *& libidinẽ ebrietatis filiam eſſe, haud ignoro.* Excipe oraculum. *Luxurioſa res vinum oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa.* Vino calens cor ſoluitur in iocos primum; mox in laſciuiam; poſtremò in omnis generis obſcœnitatem.

Ephes. 5. Quare primos Chriſtianos ſanctiſſimis exemplis inſtruens Apoſtolus. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et S. Hieronymus ſacras Deo Virgines hortabatur, vt vinum pro caſtitatis peſte fugerent. *Si quid*, ait, *in me poſſet eſſe conſilij, ſi experto creditur, hoc primum moneo, hoc obteſtor, vt ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Hæc aduerſus Adoleſcentiam prima arma ſunt Dæmonum. Non ſic auaritia quatit, inflat ſuperbia, delectat ambi-*

Ad Euſtoch. Epiſt. 22.

ambitio: facilè caremus alijs vitijs: hic hostis nobis inclusus est, quocunque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum & Adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adijcimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Similia Adolescentibus vniuersim præscribit Clemens Alexandrinus in suo Pædagogio. L.2.c.2. *Feruenti*, inquit, *ætati vinum infunditur, ex quo agrestes immanesq́ appetitiones, ardentesq́ cupiditates, & mores ignei incenduntur: Excalefacti enim Adolescentes intus euadunt propensi ad libidines.* Opinor non alia causa Romanos olim, quòd Ælianus scribit, vinum quoque Adolescentibus vsque ad annum trigesimum ademisse: ne scilicet Adolescentiæ æstuantis vitio iam incalescentes aucto incendio plus nimio in lasciuiam effrænescerent. Verùm quid hic commentario longiore vtor? cantatur pridem in triuijs, *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Martial. *Non ex squilla, rosa nascitur aut Hyacinthus. Venter cibo & potu æstuans citò despumat in libidines.* Ex. Hiero. An exempla etiam fortasse ex me requiris? Agedum quid Sodomitas in nefarium crimen impulit? Quid Loth quem Sodomæ contagium minimè attigerat, duorum incœstuum turpitudine exposuit?

ſuit? Quid denique Sampſonem in perditos Dalilæ amores impulit? *Luxurioſa Ebrietas, &c.*

§. IV.

Ebrietas opes ingentes perdit.

SEd non animis modò belluinum illud vitium nocet, neque prudētiam tantùm, rationemq́ue & præcipuum adoleſcentiæ decus caſtimoniam eripit. (vt de cruditatibus, morborumq́ue cateruis, quas agminatim ductat, taceam) etiam opes ac fortunas planiſſimè euertit. Occurrit hîc rurſus Salomon. *Qui diligit epulas in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur*. Quid clarius? facem id præfert huic eiuſdem paulò obſcuriori ſententiæ. *Vacantes potibus, & dantes ſymbola, conſumentur*: redacti nimirum ad inopiam extremam, atque ita *veſtietur pannis dormitatio*: Ebrietas, inquit, quæ ſoporem ſomnum & ſomnia ebrio conciliat, tandem rediget hominem ad viles pannos, quibus vix tegatur dormiens. Ex textu Hebræo clariſſimè iſtud efferri hoc modo poſſet. *Bibax & edax pauper efficitur, & ſciſſuras faciet induere,*

duere, somnum & somnia immittens ebrietas. Imo senes æquè dilucidè ebriosorum calamitatem illam expreßsêre. *Ebrius & scortator mendicabit, & induetur disruptis ac laceris omnis somnolentus.* Posset huc ex ijsdem afferri, quòd superius allatum est, *Luxuriosa res vinum:* ita enim illi reddunt, *Res prodiga est vinum,* quippe homines prodigos opum fortunarumq; suarum, atque adeò mendiculos efficit. Quid enim aliud ex assiduâ compotatione expectes? Ridiculè more suo olim Diogenes Cynicus, qui præteriens cuiusdam vinolenti domum vendibilem pręstitutam: *Sciebam*, inquit, *domum istam vino ebriam Dominum euomituram; iam eructat.* Infinitum esset referre, quàm multi integra patrimonia cum fæce ebiberint, obliguriuerintque in popinis, eoque modo vsque ad restim deuenerint. Instar omnium est prodigus ille Euangelicus, qui non modò dissipauit omnia bona sua viuendo luxuriosè, sed ex comessationibus, scortationibusque eò tandem ærumnarum paupertatisque est adductus; vt inter porcos iacere nudus, squalere, famere cogeretur. Quo pertinent illæ benignissimi parentis plenæ commiserationis voces. *Ite citò, preferte stolam primam & vitulum*

Apud Laërt.

lum ſaginatum occidite: ſtolam enim tegendo corpori, cibos tollendæ fami apparari adferrique iubet. Prodigo huic perſimilis fuit quidam Callias apud Athenienſes, homo ita inops ac miſer; vt bonis omnibus bibendo abſumptis etiam in frigore nudus incederet: illum cum viderent ciues; *Hic* (inquiebant) *à vino deplumatus eſt, cui ne obolus quidem ſuperſit ad emendam reſtim.* Ita fit homines eiuſmodi perditos nemo ope, ſtipe, ac ne commiſerationis quidem ſolatio dignatur, fitque non rarò vt ob furta, cædes, aliaque ſcelera, quibus poſt extremam inopiam, ſe dedunt, ad malam tandem crucem deueniant.

Canif. in officin. de Gula.

Vidi ego non rarò etiam in Academijs opum paternarum eiuſmodi obliguritores, ac profuſores: familia tota famet, ſitit, depellendæque ærumnæ ſtudio ſudat dies ac noctes, & ne ſic quidem in menſa aut ſplendet ſalinum, aut caſeus ſatis ſuppetit: Allia eſitant domeſtici, frigidam bibunt. Quid filij familias in Academiam miſſi? parentes abs ſe abire permiſerunt, vt partâ eruditione ad publica munia prouecti miſellam familiam alerent, ſuſtentarent ſaltem, eaque ſpe propè victu neceſſario abſtinent: at iſti contrà, etſi mediocres

fortunas

fortunas habeant, impijſſimè agunt, conuiuantur, comeſſantur, dape & potu ſeſe ingurgitant: atque ita ſe ſuoſque funditùs perditum eunt: indignum facinus! alij verò, qui nobili genere nati atque ampliter educati, nummati locupletioreſque ſunt; ita omnem ingenuitatem ſeruilium hominum ſocietate amittunt: vt crumenis corrugatis iam atque exſiccatis ſericas veſtes auro, argento, gemmis precioſas vel apud fœneratorem deponant, vel pro nihilo diuendant; ne æra miſcendæ ebrietati deſint. Porrò horum hominum vix vllum reſipiſcere reperias, *Donec deceptus, & inops, nequicquam fundo nauis ſuſpiret in imo*, Donec fœdiſſimum, inquam, ampliſſimarum opum naufragium fecerit: cui ſi iam ad infima quæque deiecto & ad meridianum ſolem in mendicantium hominum turba apricanti Plato occurreret, aſpergeret acetum & ſalem, quod ſimili ex cauſa Athenis olim feciſſe proditur. Cum enim Iuuenem Nobilem, qui locuples patrimonium helluando abſumpſerat ante Pandochij foras cibarium panem edere, & aquam bibere conſpexiſſet: ita fertur alloquutus. *Si tali moderatione in victu fuiſſes vſus antè*, non iam præ foribus; ſed in palatio pran-

pranſitares. Diuinus ille philoſophus probris excipiendos putabat eos, qui ſe in eam tempeſtatem ſponte demergũt, ex qua vix nudi, & cum tabellâ emergant: Ego etiam plagis aut maioris ignominiæ notâ dignos cenſeo. Certè apud Græcos (credo cum apud eos pergræcationes nondum increbuiſſent) lex olim in lurcones & ganeones fuit, vt qui potatione decoxiſſet, maiorum ſuorum monumentis ſupremi honore funeris priuatus in loca, in quibus ciuitatis ſordes eſſent congeſtæ, inſepultus, inhonoruſque abijceretur. Porro etſi multa ingentiaque ſint damna, quæ ab ebrietate proficiſci docuimus, tolerabilia videri poſſent, niſi ad cumulum rixæ deinde, vulnera, cędes accederent. Accipe Salomonem.

Alex. ab Alex. l. 6. c. 18.

§. V.

Ebrietas rixas, vulnera, cædes parat,

CVi væ, cuius Patri væ, cui rixæ, cui fouea? cui ſine causâ vulnera. cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? nihil Baccho, Bacchantiumque choris, chor-

choreiſque truculentius; Taurinis cornibus horribilis Deus iſte ſæuit, furit, inſanit totus: hinc Mœnades & Orgia; hinc Thyrſi & frondoſæ haſtæ; hinc in riſu lachrymæ, & confuſus mero cruor. Id repetitum Salomonis *Væ* importat, omne ſcilicet calamitatum & infortuniorum genus, non filijs modo; ſed præterea Parentibus; quos, quia filiorum intemperantiam non coërcuerunt, luere vnà par eſt, atque calamitatum communione illachrymari. Primùm ergò *foueæ* & ſpontaneæ prolapſiones: ita ebrij nullo licet impellente paſſim vacillant atque procidunt; poſtea aliæ foueæ, *foſſæ*, inquam, ſepulchrales: in quas temulenti ſciſſis immodico potu vitæ ſtaminibus præcipites ante ætatem ruunt. Minus malum eſt *ſuffuſio oculorum* & quædam aciei hebetudo: timenda magis *vulnera*, quę nulla ex causâ ac temerè tum alijs tum ſibijpſis plerumq; ebrij cœcâ inſaniâ infligunt. *Vno die* (inquit S. Ambroſius) *bibunt multorum dierum labores, de ebrietate ad arma conſurgunt, calicibus tela ſuccedunt, pro vino ſanguis effunditur: & ipſum ſanguinem vino fuderunt.* Quid enim? furor arma miniſtrat, & pro telo eſt, quicquid primùm occurrit. Triſtiſſimæ, eæque infinitæ

De Eli. & Ieiunio. c. 12.

ſunt in hoc genere tragœdiæ: non dicam vrbes ſæpè ſæpius ciuibus ebrijs captas, exercitus ebrios relictis armis fuſos, fugatos, gentes alioqui bellicoſiſſimas vino, primum victas hoſtibus, deinde poſt terga manus vinciendas præbuiſſe; quæ res Turcas mouit: vt ſub capitali pœnâ ſibi vſum vini interdici vellent, quam eam olim legem etiam Cretenſes & Lacedæmonij ſuis militibus edixerant priuatas tantum aliquot clades hic ego recenſebo.

2. Reg. 13. Amnon, Dauidis infauſta proles, temulenti in ipſo conuiuio Abſalonis fratris parricidiali ſcelere peremptus. Holofernes quoque cùm vino & ſomno ſepultus iaceret, fœminæ ſanctiſſimæ armatâ manu fœtentem mero animam exſpuit. Alexander ille hominum opinione Magnus Clytum non ſibi fidelem minus, quàm charum inter epulas transfixit, redditiſque ſenſibus & facinore cognito, mori voluit, certè debuit Senecæ grauiſſimi Philoſophi iudicio.

Iudith. c. 13.

Epiſt. 83.

Cambyſes Rex Perſarum ebrius factus fratris ſororiſque impijſſimo fuſo cruore primùm manus infecit, moxque ne duarum cædium reus alieno enſe caderet, ſuus carnifex exſtitit. Funeſtum ſane ebrietatis exemplum, quod apud S. Au-

S. Augustinum legitur. Hipponensis ciuis filius temulentia Amens vno die matrem prægnantem oppressit, sororem vnam violare tentauit, duas lethaliter confixit, demùm ne quid in familiâ esset intactum, patrem occidit: neq; verò ebrijs ipsis parcit aut indulget ebrietas; quos enim primùm diris innumerisque morbis dilaniat atque decerpit, non rarò postea perimit, atque frequenter etiam ex improuiso ac repente iugulat. Infinita huc sunt exempla, sed quia quotidiana viluêre, minusque feriunt: diuinæ vindictæ supplicia de ebrijs sumpta, duo triave commemorabo, quę truncos aut saxa commouere atque effringere possint. Viri duo nobiles eâ pactione inter se conuenerant: vt vino adusto se eousque ingurgitarét, dum eorum alter suffocaretur: siquis prior se mensa surgeret, in eum dæmoni ius & potestas foret: hac lege bibitur, resque agitur vtrimque strenuè: hactenus comœdia; nunc in vltimo actu tragœdia. Dæmon locum ingreditur velut Thyestæus histrio in theatrum. & (vt tam breuiter dicam, quàm citò peractum est) è vestigio vtrique ceruicem frangit. Recentius est atque horribilius hoc alterum. Anno 1595. Dominica ante

Apud Pet. Thyr. p. 1. c. 19.

Micha. ab Isselt. ad an. 1589.

In Merc. gallic. l. 12.

quadragesimam in vrbe Baccharach ad Rhenum sitâ, Mulier prægnans maritum hominem perditum in popinâ more suo cum ganeonibus helluantem plurimùm conata fuerat ab improbo loco & flagitio reuocare: at ille, abi, (inquit) & mox quidem, si sapis, cum tuo viuo Dæmunculo, quem vtero gestas: proripit se illa: quid enim ageret? vix domi erat, partim mœrore, partim cruciatu obstetricante, ante tempus partum effundit monstrum horrendum, informe, ingens. Visitur humi supernè homo, ab vmbilico ad imum vsque serpens, caudam trahens tres vlnas immanè lōgam. Sub noctem Maritus inani crumenâ, pleno abdomine reuertitur, limen vix benè transilierat, homo serpēs insilit, spiris implicat, & tot morsiunculis, punctiunculisque venenatis confodit: vt perimat. Quid deinde? Puerpera eo spectaculo perterrefacta horrore simul ac luctu extinguitur. Quid postremò? Monstrum, quod ad vindictam de ebrietate sumendam in proscænium prodierat, velut personâ reque peractâ, viuere esseque desijt.

Tom. 2. disqui. Magic. l. 5. p. 1. q. 7. Tertium, quod totidem pœnè verbis ex Martino Delrio attexam, nescio an non sit vtroque illo exemplum horribilius,

lius, atque admirabilius castigatæ à Deo temulentiæ, sociæque libidinis. Tres ganeones & scortatores palmarij totidem cum scortis (suum cuique erat, nec vllus aderat pudor) simul helluabantur, libidinabantur. Quadam die vnus, qui minùs sceleratus; Sat, ait, Baccho libidinique datum, Deo gratias saltem: Ego verò, subinfert alius procacior, Cacodęmoni gratias ago, & agendas censeo, cui operamur: cum risu mensa tollitur, abitur in cubicula: singuli cum meretricula vix decubuerant; Ecce tibi ianuâ per vim reseratâ in Triclinium Dæmon Magni, atri & trucis viri specie, habitu venatorio (& cum eo coqui duo paruuli) obambulat, & lectos circumspicit toruo vultu; deinde horrendâ voce: vbi qui mihi gratias egit? adsum, referam. Lecto abstrahit pauitantem & fermè præ metu animam efflantem. Traditur coquis, iubetur infigi veru & luculento igne probè assari. Parent promptè, assatur infælix, emoritur ipse planissimè: cæteri autem ferè præ formidine: assi corporis nidore locus impletur. Demùm Tartareus venator ad superstites substragulis trepidantes, vix viuos; digni vos etiam, ait, pari supplicio, neque deest voluntas mihi, vetor vi

maiore: inuitus moneo, resipiscite, sic disparent laruæ; nec tamen his alijs animus redijt, vel vox: nisi clarâ iam luce: vbi surrexêre, socium mortuum inueniunt, & (ne visum inane putes) planè assum. Nihil posset adferri tristius aut dirius; si dum hæc legis, non sapis, depositus es.

Neque vero cuiquam difficile erit posthæc ex ijs pœnis, quæ in viuos diuinitus sunt decretæ, colligere supplicia, quæ post mortem ebrijs hominibus à Deo reseruantur. Quare lubet hic cum vate Isaiâ exclamare, vti in tragico exi-
Isai. 5. tu solet. *Væ qui potentes estis ad bibendum, qui consurgitis ad Ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam: vt vino æstuetis. Væ qui potentes estis ad bibendum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Quorsum verò væ istud repetitum? magna dubio procul ingruet calamitas.
Iob c. 21. Quænam illa? nimirum quod à Iobo viro sanctissimo dictum, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Potatur istic è ferreo poculo frigidum & calidum sulphuris, inquam cum niue stygiâ flammæ. En tibi Regij Psaltis
Psal. 10. vaticinium. *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Instar omnium sit Diues ille Epulo, qui viuens quoti-

quotidie ſplendidè epulabatur, poſt mortem ſepultus eſt in inferno æternâ ſiti inter flammas cruciandus, cui vel tantillum aquulæ ad ardores mitigandos denegatum, quantum extremi digiti intinctu propinari poſſet. Finirem hic, niſi datâ per Iſaiam paulò antè citatum occaſione, reque ipſa poſtulante, de ijs, qui ad æquales hauſtus prouocant, certantque verbum mihi faciendum eſſet, antequam caput hoc concludam, dicam verò iſtud breuiſſimè: neque ſanè multis opus, barbarum illum morem, ſacræ literæ, SS Patres, ratio & Deus prohibent, inſectantur, condemnant. Prohibet Eccleſiaſticus, *Diligentes in vino*, ait, *noli prouocare: multos enim exterminauit vinum*. Minas etiam Habacuc Propheta adiunxit. *Væ qui potum dat amico mittens fel ſuum, & inebrians*. Imò S. Hieronymus *Væ* loco prouerbiorum ſuperiùs citato repetitum exiſtimat intentari propriè ijs, qui calicibus euacuandis ſe mutuò velut ad nobile certamen prouocant aſſeritque id eſſe imprimis ipſi vitæ iniuriam inferre: deinde genus videri latrocinij crudeliſſimum ſub amicitiæ ſymbolo vitam alteri eripere, aut quod etiam ſæuius eſt, animum perimere. Audiatur

Cap. 31.
Cap. 2.

Serm. 23. de tempore. nunc S. Augustinus. *In conuiuijs suis irrident eos, qui minùs bibere possunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubescunt: vt potum amplius accipiant, quàm oportet: qui enim alterum cogit: vt se plus quàm oportet bibendo inebriet, minus malum esset ei, si carnem eius vulneraret gladio, quoniam animam eius per ebrietatem necaret.* Post multa ita concludit. *Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare vel cogere voluerit, & pro se, & pro illis in iudicio reus erit.* Verùm triumphat in hoc argumento S. Ambrosius, omnemque illam fœdissimorum certaminum infamiam graphicè depingit, atque acerrimè insectatur. De Elee. & Ieiu. c. 13. *Primò* (inquit) *minoribus poculis velut velitari pugnâ, præluditur. Vbi recalere cœperint, poscunt maioribus poculis feruor inardescit. Deinde pracedente potu longius, & contentiones diuersæ, & magna certamina quis bibendo præcellat. Nota grauis siquis se excusat, siquis temperandum fortè vinum putet; & hæc donec ad mensas perueniatur secundas. At vbi consummata fuerint epulæ; putes iam esse surgendum: tunc de integro potum restaurant suum: tunc inchoare se dicunt: tunc deferuntur phialæ: tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum.*

At

Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub Iudice. sub lege decernitur Agonotheta: illic furor est stipendium, debilitas victoria, præmium culpa. Quoniam verò isti æqualium, inæqualium hauſtuum prouocatores, & coactores nequitiæ ſuæ obtendunt amicitiæ velum, aiuntque inurbanos & parum amantes habendos: niſi, quem ad conuiuium inuitarint ad iſtam inſaniam adegerint: Araneæ exilem illam telam idem S. Ambroſius paulò poſt omnem facilè retexerit. *Nec vos*, ait, *excuſamini*, *qui vocatis vt Amicos*, *at emittitis vt inimicos: quantò melius in terram tua vina fudiſſes? quid te delectant damna ſine gratiâ? rogas ad iucunditatem, cogis ad mortem: inuitas ad prandium, efferre vis ad ſepulchrum.* Cibos promittis, tormenta irrogas, vina prætendis, venena ſuffundis. Addi etiam his poſſent ſtratagemata, fraudes, ineptiæ, quæ in iſtis certaminibus quotidie nouis artibus excogitatis adhibentur: niſi me breui finiturum ſpopondiſſem. Porro quid à ratione magis abhorrens, imò quid ab humanis moribus magis alienum, quàm regulam bibenti, non rationem ipſam, non honeſti aut decori leges proponere; ſed totam ventris, viſcerum, venarumq;

Cap. 14.


rumq; horrendã capacitatẽ; neque homines homines esse: sed vtres, & lagenas, vt S. Basilius vocat, aut tubos aut cloacas potius? ita enim illi sordes recipiunt, effundunt, euomunt. Quare peccatum est omnino, & quidem graue, alios aut prouocare, aut cogere ad eiusmodi haustus: tum quia prouocatio illa ducit ad ebrietatem, quam procurare etiam in alio grande est nefas; tum quia ea ferè habet adiuncta flagitia, quæ ebrietatem comitari atque stipare solent. Quòd si verò piaculum est prouocare, etiam flagitiosum erit respondere: neque enim tam labem absterges eâ spongiâ: Respondeo amico prouocanti, ne inimicus sim. Quid? vt homini amicus sis, Deo inimicus esse malis? At cogit, & minatur verbera, & mortem, nisi respondeam. plumbeus vmbo: neque ita te immunem à flagitijs seruas. Audi rursus S. Augustinum.
Serm. 232 *Etiamsi ad hoc veniretur, aut bibas aut morieris, melius erat, vt caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Honestum sic cadere vbi mensa pro Altari est, cælum pro coronâ.* Sunt verò etiam in Christianis Academijs, eiusmodi, quos antè dicebam, vtres, lagenæ, tubi, cloacæ, qui integra scilicet Cymbia

bia vno hauſtu epotant, vt epotando propinent ſocijs, atque demum compellant plus quàm Scythicâ hac lege, aut bibe aut hunc cantharum quantus eſt in caput impingam tuum. Mnamouenum (quæ barbara lex) iſtud fuiſſe vetus decretum, ſcribit Laërtius, additq́; ita Empedocli bilem, aut ſtomachum mouiſſe; vt poſtridie coacto concilio & inuitatores, & ſympoſiaſtas reos egerit, damnandoſque curauerit. Dici nequit quantum quotidie pecuniarum Academici iſti Bibones cum calicibus ſuis exhauriant, aut profundant: Interim condiſcipuli pauperes, etſi ingenio iudicioque polleant, aut ſua ſtudia negligere, aut omninò abijcere coguntur, quòd dum alij genio indulgent, ipſi fame ſitique elangueſcant, ac ferè præmoriuntur. quantum ſatius eſſet, quod pauci boni faciunt, quibus plus eſt opis ac facultatum, ſi pecunioſiores iſti aliquos pauperiores ſemel & iterum intra hebdomadam vocarent, exciperent; atque ita tum ipſos tum ipſorum ſtudia alerent, ſuſtentarent, ſubleuarent ſaltem. *At ô infelicitas generis humani*, exclamat S. Auguſtinus, *quàm multi inueniuntur, qui luxurioſos & ebrioſos amplius, quàm oportet cogunt bibere: & ante oſtium.*

In Vit. Emped.

pau-

pauperibus petentibus vel vnum calicem dissimulant dare? sed ad nocturnas grassationes & furias iniquasque iterū cædes, quo pridem vocor, è popinis tandem ac gaudio progrediamur; at quò rursum? mox cap. sequenti in Campum Martium, ad Lupinum Circum, in cruentam arenam, quo ebrietas ducit.



IN BACCHI STVDIOSOS.

ACademiarum mos sacer tenuit diu:
Vt qui Lycæum, vel Zenonis porticum
Subiret, acrem disceret pati sitim,
Famemq; longam, vel papyrum roderet.
At ista nunc parum valent ieiunia:
Libris terendis pauculi, multi vacant
(Natura quamuis horret) vt vacuum inuehant:
Ita vacuandis Calicibus gnaui student.
Aqualiculus his prostat, vt minimùm, pede
Vno, Alterove. Sic Scholas adeunt quasi
Cellariorum sint lebetes, aut Cadi.
Academiarum Principes dirum nefas

Pro-

Prohibete Quid enim? Prôh probrum!
& pudor! artium
Fient Magiſtri, dolia, & Bacchi Amphoræ?



ORATIO.

Contra Ebrietatem.

Ad Jeſum in ſiti & felle potatum.

MOnet Apoſtolus tuus, ô mi bone IESV, nolite inebriari vino in quo eſt luxuria: & rurſum, videte ne corpora veſtra grauentur crapulâ & ebrietate. Et velim ego vino me ingurgitare, crapulam & ebrietatem conſectari? delectare potius in Domino, anima mea, & bonum tuum quære. Eſt enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ quęrunt bonum ſuum: Deus eſt bonum tuum: pecori bonum eſt implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, geſtire, viuere, ſanum eſſe. Tale tu bonum quęris, & hæres Chriſti? quid gaudes, quia ſocia es pecorum? erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium, quod ſolum te ſatiare poteſt. Patiarne

tiarne me porcorum ſiliquis veſci, qui diuinâ dignus ſum mensâ? O ſuauiſſime mi IESV, qui ad caſtigandam gulam noſtram experiri famem & ſitim dignatus à muliere Samaritanâ aquam mendicaſti, dicens, mulier, da mihi bibere: qui in paſſione tuâ amariſſimo felle & myrrhâ poratus in cruce moriens, cum clamares ſitio nec aquam quidem: ſed acetum, neque ad extinguendam: ſed ad augendam ſitim tibi offerri voluiſti: da mihi per famem & ſitim illam tuam; vt nullas in cibo & potu delicias amem: imò ſolæ illæ ſint meæ deliciæ tui causâ penuriam pati: da, vt non aggemens iſtud Prophetæ carmen ſed lætus alacerque accinam, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus? Cæterum quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita ſemper ſitiam ad te, Deus meus, donec ſatier aſpectu tuo, & ab vbertate domus tuæ inebrier in ſęcula ſęculorum. Amen.

SYM-




Nocturnæ furiæ, et Cædes. 15.
Non ſunt hic Palladis Arma.




SYMBOLI EXPLICATIO.

Monſtroſiſſimum omnium hoc vitium ex Frebo prodijt, homo bos. Abſcede à via quiſquis occurris, iſte fœnum in cornu gerit; imò monito nemine, quemcumque reperit, ferit, caueto. Ac ne bos quidem eſt, ſed rabidus canis, ſed lupus, qui ſic inſanit; & aliquid truculentius, furuæ noctis filia quæpiam Frinnys.

Adoleſcens hic eſt Academicus, ſi ſuperis placet, pro ſchola plateas terit, pro ſtylo pugionem ſtringit, ſæpe vibrat, pro atramento erit cruor, iam Luna ſanguineum rubuit, tonitruat, fulminat, grandinat, quo vergit tam dira tempeſtas? in ſuum, vereor, caput fabam cudit, id bubones & nocturnæ ſtriges occinunt; incidit ille in aliam furiam, etiam geminus furor ſæuit, laniſtæ duo decertant, digladiantur, imo alter alterum ex inſidijs adoritur.

Auerte imprudentem casum, si quî potes sapiens: verùm timeo ne frustra: ibitur ad tragœdiæ catastrophen, vnus cædit, cadet alter; nescio vter amborum infelicior: nisi quòd de occisi salute conclamatum prope est: homicidæ tamen nullo iam loco tutum esse licebit: eum vbique suæ insequentur furiæ, & occisi manes diri, flagello & face minaces, in oculis passim inuolabunt, & laniabunt ream mentem. O cruentum Academiæ solum! neque iam Academiam, sed gladiatorum arenam! prohibete posthac prætores, & seueræ leges tam crudele,& tam inhumanum nefas.



CAPVT QVINTVM.

Nocturnæ furiæ & cædes, &c.

MONITVM.

Inter fures & grassatores nocturnos ne versator

A cruore ac cæde puras manus seruato.

SALOMON.



E sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit. Eccles. 7.

Fatuus statim indicat iram suam, quia dissimulat iram suam callidus est. Prou. 12.

Ne dicas quomodo fecit mihi, sic faciam ei, & reddam vnicuique secundum opus eius. Prou. 24.

Semper iurgia quærit malus, &c. Prouerb.17.

Sicut Carbones ad prunas, & ligna ad ignem: ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. Prou. 26.

Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os eius iurgia prouocat. Prou. 18.

Cum defecerint ligna, extinguetur ignis; & ſuſurrone ſublato, iurgia conquieſcunt. Prou.26.

Homo Apoſtota, vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Prou. 6.

Sex ſunt quæ Deus odit, & ſeptimum deteſtabitur anima eius, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem: cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. ibid.

Fili mi, ſi te lactauerint peccatores,

ne

ne acquiescas eis. Si dixerint veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus lenticulas contra insontem frustrà, deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum: omnem preciosam substantiam reperiemus, replebimus domos nostras spolijs. sortem mitte nobiscum. Marsupium vnum sit omnium nostrum. Fili mi ne ambules cum eis, probibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem, &c. Prouerb. 1.

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum homine furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ, &c. Prouerb. 22.

Sicut qui apprehendit auribus canē; sic qui transit impatiens, & commiscetur rixis alterius. Prou. 26.

Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumelijs. Prou. 20.

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab eâ, nec transeas per illam; declina, & desere eam; non enim dormiunt nisi malefecerint, & rapitur ab eis nisi supplantauerint comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. Prou. 4.

Arma & gladij in viâ peruersi. Prou. 22.

Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant. Prou. 4.

Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati quis ferre poterit? Prou. 27.

Graue est saxum, & onerosa arena; sed ira stulti vtroque grauior. Prouer. 27.

Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitiâ suâ. Prou. 17.

Ipsi contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contrà animas suas. Prou. 1.

Qui ambulat simpliciter saluus erit:


qui peruersis graditur vijs corruet semel. Prou. 28.

Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. Prou. 26.

Ei qui iurgia seminat, extemplò veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit vltra medicinam. Prouerb. 6.

Hominem qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad locum fugerit, nemo sustinet. Prou. 28.





MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Quid ſit Ira?

PHyſici iram definiunt efferueſcentiam ſanguinis circa cor, quæ affectio quędam eſt corporis de ſe ad virtutem aut vitium minimè pertinens: vt neque cæteræ paſſiones: ſed à natura tamen animali conceſſa ad ſui contra ea quæ impugnant, defenſionem, ad propulſationem incõmodorum, reſque arduas audacius ſuſcipiendas, & in humano quidem genere, ad ſtimulum virtutis. Verùm vbi immodica fuerit, frænique impatiens, in plurima ſtatim vitia præcipitat, rixas, vindicationes, pugnas, verbera, cædes, vno verbo hominem humanitate planè exutum in belluam feramque demutat. Quare primum corporis humani genuinam ſpeciem peruertit, aliamque omnino oſten-

tat.

tat: Poëtæ pridem decantatum:

Candida pax hominem, trux decet ira feras. Ouid.

Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ;
Lumina gorgoneo sæuiùs angue micant.

Neque minùs luculentè Magnus ille Gregorius: *Ira suæ stimulis cor accensum palpitat, corpus tremit, lingua sese præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. In quo itaque iste ab abreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est.* Vidisti aliquando à malo genio abreptos, furijsque agitatos? quàm frontem exasperent, oculos sibi effodiant, genas dilanient? ora ceruicesque contorqueant? bracchia, manus, pedes, membra omnia deforment atque exagitent? Quod malignus dæmon in eiusmodi hominibus, hæc iræ feritas ac rabies in irato efficit, eamque ob caussam Plutarchus iræ furoribus concitatos ad speculum remittebat vt perspectâ suâ immani illa turpitudine ad quietem se melioremque statum reduci sinerent. *Videre*, inquit, *seipsum contra naturam affecto & conturbato vultu, non parùm facit ad domandam iram. Ita cùm Minerua vidisset in flumine fœdas genas, fistulam abiecit.* Nimirum in fœdâ istâ corporis turbati effigie cognoscitur esse S. Moral. cap. 31. De Ira.

Cap.2. de Ira. longè turpior irati animi facies. *Nam qualem*, ait Seneca, *putas esse animum, cuius externa imago tam fœda est?* Si peccati labem excipias, nihil homini aut infelicius aut turpius accidere posset, quam mentis insania: 4.quæst. Tuscul. *An verò est* (inquit Orator) *quidquam similius insaniæ, quàm ira?* Plutarch. in Apoph. Eam Themistius esse aiebat insaniam breuem, & Seneca (quod idem est) breuem insaniam. Cato autem ille Priscus sentiebat iratum ab insano nonnihil discrepare: sed non nisi tempore. Nimirum nihil æque ac ira rationem perturbat, imo proturbat, iudiciumque peruertit: dum spiritus, quos ad mentis vsum placidos, tranquillosque esse oportet, vehementer commouet atque accendit: calefactis autem plus æquo humoribus, fumis caput rationis arcem opplet, atque ita occupatâ & (vt ita dicam) præfocatâ ad tempus ratione belluinum est, quicquid agitur, neque iam humanum: vnde talem hominem propriè dicimus exisse è potestate. Et, vt ipse Orator interpretatur, de consilio, de ratione, de mente: Me miserum! exclamat ille apud Menandrum non omnino malum Poëtam, *Vbi mens mea in nostro corpore fuit illo tempore? Non equidem hoc decreueram: sed*

sed ab hoc longè diuersum. Laudatur ea Archytæ Tarentini ad negligentem Vllicum oratio. Iam ego te enecaſſem, niſi eſſem iratus: quæ etiam cogitatio Platonem dicitur aliquando à verberatione ſerui continuiſſe. Celebratur præterea in hoc eodem genere factum Athenodori Philoſophi, qui ex aulâ Augusti recedens, monumenti loco id ei ita poſtulanti reliquit documentum: *vt irâ inflammatus nihil antè ſtatueret vel imperaret, quàm Alphabeti Græci literas pronunciaſſet*, quod monitum tanti fecit Cæſar, vt abeuntem Athenodorum retineret: ſcilicet dum interea per moram deferuet conceptus animo calor, mens quaſi poſtliminiò redit, redditurq; homini ratio: quæ res præſertim in Adoleſcentibus plurimùm valet: eo quòd (vt Plutarchus notat) eorum cupiditates ob copiam & calorem ſanguinis celeres, feroces, ardentes, atque rapidæ ſunt. Atq; huc tandem commodè excurrit Salomon. *Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. Fatuus ſtatim indicat iram ſuam, qui autem diſſimulat iram, callidus eſt.* Facit hoc officium Manſuetudo, virtus irarum Moderatrix: Hæc enim, ſi in mentem ira inciderit, eam ita continet: vt rationem

De Virt. Moral.

Equi

Equi ſternacis inſtar repugnantem nacta, mox habeat tanquam fræno quodam iniecto obtemperantem: alioqui non modò iam intus incenditur animus: ſed ſeſe etiam exteriùs erumpentibus flammis ira prodit, abitque ad vlciſcendam in alio iniuriam: Quæ quidem vlciſcendi libido malum eſt ipsâ etiam irâ grauius, atque contumelioſius, ideoque Salomon ab eâ dehortatur.

§. II.

Vlciſcendi amor ac ſtudium.

NE dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam & reddam vnicuique ſecundum opus eius. Inimicitiarum obliuiſci generoſi eſt hominis, vlciſci iniurias puſillanimi, atque impatientis. Idque Ethnici ipſi docent. Themiſtocles Athenienſium Dux Egregius, cùm (vt eſt apud Ciceronem) Simonides Philoſophus artem memoriæ polliceretur, *Obliuionis mallem*: (inquiebat) *nam memini eorum, quæ volo, obliuiſci non poſſum, quæ nolo*. Iniuriam, dices, licet referre, etſi inferre non licet: Seruile eſt iniuriam inultam pati: Magnanimus quiuis contumeliam ab

4. de finibus.

ab altero illatam maledicto reuincit; iniuriam pari iniuriâ propulsat; idque pulchrum esse plerique vulgò sentiunt: Immò sapientum fortè nonnulli. Nam ista seueri vox extat apud Herodotum. *Vti, si author sis iniuria, iniustus videbere: ita si nõ vlciscaris iniurias acceptas, ignauus:* Cap. 3. apud Suetonium autem istud Vespasiani pręclari Imperatoris dogma celebratur; *Non oportere maledici, remaledici ciuile fasq; esse.* Agedum, quis tu qui hoc obijcere ex Ethnicorum scholis audes? Adolescensne Christianus? atqui prima sunt ista Christianæ religionis rudimenta, supremi Numinis esse punire iniurias; diuinæque Maiestatis esse reum, qui priuatim eam sibi potestatem vsurpet: *Mihi vindictam*, inquit Dominus. Plerique aliter sentiunt inquis tu: At ego contrà: Opinio communis multorum, argumentũ est mali: pauci enim sunt, qui reuera sapiant. Apes plus sibi, quàm alijs nocent, dum stimulum figunt: aculeo enim fixo ipsæ moriuntur. Nulla insignior victoria, quàm trophęum de irâ deuictâ, repressoque vltionis studio in animo statuere: hęc summæ fortitudinis laus est, iniuriam posse pati, id est, hostem nouo pugnandi genere vincere. Possem è nostris sapien-

pientiſſimos quoſque laudare, qui non modò iſtud docuerint, quod fuit facillimum; ſed quod maximè arduum eſſe fateor, reipsâ prę̃stiterint. Verùm vt Ethnicos Ethnicis opponam, *Non tantùm* (inquit Plutarchus) *egregium eſt ſcire vincere, ſed etiam poſſe vinci pulchrum eſt, vbi victoria eſt damnoſa.* Quid Plato? ipſius eſt hoc placitum, *Quoniam mala facere, non eſt aliud facere, quàm iniuriam inferre: non oportet alicui mala inferre, etiamſi innumerabilia ab ipſo perpeſſus ſis.* Omnium diuiniſſimè Xenophon, *Natura* (ait) *Canibus, lupis, Apris dentes; Equis calces; Tauris cornua, alia alijs conceſſit: homini autem nulla arma præter rationem dedit*, quâ ſe defendat, & repellat iniurias. Neque deſunt pulcherrima huius virtutis exempla in ſenticoſo illo, licet antiquitatis, vepreto. Scribitur Socrates ictu calcis aliquando percuſſus alio hortante; vt repercuteret, dixiſſe. *Si meus me Aſinus percuſſiſſet, ſtatimne oporteret me in quadrupedem recalcitrare?* item vice aliâ, cùm alapam accepiſſet, nil reddidiſſe aliud, dicitur: niſi videri ſibi permoleſtum, quòd neſciret quandonam cum galeâ domo eſſet abeundum: quibus philoſophorum dictis factiſque nil aut fortius aut generoſius

De Educat. lib.

Dial. Critet.

Lib. 2. Cyri.pæd.

Bulgor. lib. 3.

Alexan-

Alexander ille hominum famâ Magnus vel dixit vnquam, vel fecit. Verùm quoniam Adolescentem Christianum effingo nihil ęquè hic valere debet, ac Christi tum iussio, tum exemplum, qui non modo nos inimicis condonare, iniuriasque tolerare, non reponere, voluit: sed ipse ignominiosissimæ cruci suffixus, cùm indignissima quæque pateretur, non vltus est calumnias, contumelias, iniquissimam necem: sed pro maleficijs beneficia rependens, etiam cum lachrymis veniam est hostibus à patre pacemque precatus: quam insignem sanè diuinæ cuiusdam patientiæ lauream Martyres quoque Christi vestigijs insistentes, quotquot extitere hactenus, gloriosissimè reportarunt: imitarique debent omnes, qui Christiani hominis nomen ac personam cum dignitate sustinere volunt.

§. III.

§. III.

Rixæ.

PORrò vbi non modo irasci sed etiam vlcisci libido est: tertium istud consequitur: vt etiam rixari & probris ac conuitijs veluti iniectis malleolis alienam iram incendere atque extimulare adlubeat. Ergò iam causæ quęruntur inimicitiarum: neque difficulter (nihil enim est pronius) aut inueniuntur, aut cuduntur. Ecce tibi Salomonem. *Semper iurgia quærit malus: sicut carbones & prunas & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas. Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat.* Qua posteriori sententiâ sapiens nonnullorum stultitiam, idest, insignem improbitatem nequitiamque denotat, qui vsque adeò rixarum, turbarumque amore ac studio inardescunt, vt hanc vnicam artem publicè velle profiteri videantur; pacem amicitiamque, solem (inquam) è mundo tollere, lites, rixas, iurgia proseminare, atque omnia susque deque miscere: quo hominum genere nulla est aut esse posset in vrbibus, atque Academijs pestis capitalior, aut perniciosior. Quare non solum

ſolum legibus: ſed etiam vigili animaduerſione eorum, qui res publicas curant, eijciendi à communi cæterorum cœtu, & in vltimas terrarum oras deportandi eſſent eiuſmodi boni publici, paciſque interturbatores. Nam quæ altera eſt Salomonis parœmia. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, & ſuſurrone ſublato iurgia conquieſcent.* Verùm ex eiuſmodi ſapientiſſimi viri verbis ſeditioſorum iſtorum hominum mores, flagitia, ſermonéſque, paulò exactiùs contemplemur. *Homo Apoſtata, vir Belial* (ita enim Hebræi libri habent) *iugi impatiens*; Rebellis, diſcordiarum ſator, & ne hæc nomina parũ rem explicent, homo *Diabolus*: iſta enim eſt huius loci interpretatio, ſi S. Gregorium conſulamus: qui etiam hęc addit: *Audiant iurgiorum ſeminatores, quòd ſcriptum eſt, beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: atque è diuerſo colligant quia ſi filij Dei vocabuntur, qui pacem faciunt: proculdubio Satanæ ſunt filij, qui confundunt. Vir ille Apoſtata, Belial, Diabolus, & quod caput eſt, inutilis*; à quo ſcilicet nihil vnquam bonæ frugis expectes. Quî ſe gerit? agnoſcas ex vngue: *Graditur, ille, ore peruerſo, ſimulatè procedit, ore amicitiam ſimulat:* Corde interim perniciem coquit & molitur:

neque mentem deprehendere laboriosum erit, nutus, & alia omnia studiosè contuenti. *Nam annuit oculis:* vt sceleris socijs atque administris signo dato significet, tempus videri flagitio opportunum : *terit pede :* extimulans ad audendum facinus; atque iam de certâ quasi victoriâ applaudens : *digito loquitur:* manus artificiosá quadam sermocinatione indicans, quid in rem præsentem facto opus. Cæterùm animus semper nequam est, eoque ista omnia tendunt: vt rixæ primum, deinde bella excitentur; *Prauo corde machinatur malum: & omni tempore iurgia seminat.* Quàm verò detestabile est hoc scelus? disce ex eodem Salomone. *Sex sunt, quæ odit Dominus. Oculos fastu plenos, linguam falsè criminantem, manus cruentas, cor fraudulentum, pedes ad omne nefas alacres, testem iniquum*, &, quod sequitur, septimum quidpiam longè est exosius. Quodnam verò istud est tam nefandi sceleris? *Qui seminat inter fratres discordias.* Quid hac vnâ nequitiâ nequius? Nam cum amicitia maximum sit bonum vitæ humanæ, fortunis, famæ, ac ipsi vitę nonnunquam pręferendum : profectò is, qui discordias serendo amicitiam sustulit, fortunas eripuisse, famam, ac vitam propè

propè ipſam exiſtimandus eſt. At quænam tandem vox eſt, quâ incendiarij illi, atque exitiales reipub. faces, alios quoque ſuis furijs incendunt, & inflammant? melle ſuauior eſt illa oratio: at caue: propinatur certiſſimum venenum. Habe hîc iterum iam toties ad dandā ſana conſilia intentum Salomonem. *Fili mi*, ita ille paternè te monet: *Si te lactauerint peccatores*: ſi verba quædam in ſpeciem dulcia ſuauiter inſpirent, quo incautiùs ad probitatem trahi te ſinas: ſi me audis, *ne acquieſcas* blanditijs, perniciem tandem adferent. Quare ſi dixerint (hæc enim eſt mellea iſtorum hominum oratio) *Veni nobiſcum*, nihil metue, plures ſumus: Adiunge te noſtris lateribus, oppoſitu noſtro, ſi quod eſt periculū, propulſabimus. At ne quod diſcrimen ſubſit, cuniculis & ex inſidijs rem aggrediamur, *inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas*, laqueos ad capiendum benè inſtructos componamus: ſit ille qui accurret, innocens, fruſtrà innocentiæ vanum præſidium opponet: ita eum tollemus planè de medio, vt ne vllum quidē ipſius veſtigium ſuperſit; perinde omnino ac ſi eum dehiſcens ima tellus ruinæ mole obuoluerit. Porro omnis generis opes agemus

in prædam, domumque comportabimus, experiemur verò communem fortunæ aleam, spoliaque ex æquo partiemur. Ah! fuge, Fili mi, tam nefariam societatem, imò congressum time. Turpe est cum sicarijs ac furibus, vel semel fuisse. Nullum est latrocinio crudelius flagitium: Nullum genus hominum furibus magis seruile ac dedecorosum, nullum maioribus aut periculis, aut supplicijs magis expositum. Nam quò demum putas euadere prædones istos aut sicarios? certè in malum, ad malam (inquam) crucem procurrunt festinantque: vt non tam alienum, quàm suum sanguinem profundant: cùm enim fuerint, vt fit plerumque perpetrato scelere deprehensi, tam denique cædem, quam alijs pararunt, se sibi fuisse machinatos sentient. Quare (neque enim satis inculcari res tanta potest) iterum moneris. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum homine furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Exemplo atque exhortationibus abducêris facilè, vt, si in furiosi hominis amicitiam te dederis, abeas quóque cum illo grassatorum more, & vnà per vias latrocineris, atque ita, in vitæ salutisque discrimen incidas. Istud etiam me audi, si quan-

ſi quando fortaſſe iter faciens, vt fit, incurras in quoſdam, qui ſeſe mutuò probris conuitijſque proſcindant, quaſi allatrando, mox *canum* inſtar excitatis rixis, etiam morſibus ſe impetãt, *tranſi*, imò præteruola: licet autem te prætereuntem, aut etiam præteruolantem laceſſant, elabere, neque te patiare alienis *rixis immiſceri:* periclitaberis alioquin, quàm enim difficile eſt *apprehendere canem auribus*, neque eius morſibus lædi: tam periculo affine eſt ſe aliorum iurgijs ingeſſiſſe. At turpe eſt atque ignominioſum ita ſeſe furtim ſubducere, aut nonnunquam euidenter ſubripere. Erras, bone vir, *Honor eſt homini, qui ſe ſeparat à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumelijs.* Quare iterum iterumque moneo, *Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via: fuge ab ea, ne tranſeas per illam.* Audis in vico, plateâ, angiportu tumultum aut turbas? Ah citò declina, & deſere, caue ne in tumultuoſorum ſicariorum ordinem adſcribi te ſinas. Inſcriptus es? & nunc in impietatis caſtris verſaris? iam teſſeram habes impiæ militiæ, transfuge: ſumma laus eſt hîc eſſe deſertorem. Scire amas quanta ſit facinoroſis iſtis hominibus malè agendi nocen-
 dique

dique cupiditas? quiescere nequeunt, ne profundâ quidem nocte, nisi prius quæ designarant, flagitia perpetrauerint, virusque suum effuderint in innocentem perniciem. Serpentes illos esse dicas, quorum Plinius meminit: Hi tamdiu insomnes agunt, quamdiu intus venenum viget, neque antè somnos capiunt, quàm virus aut euomuerint, aut perdiderint. Ergo illi, quod Salomon dicere pergit, *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Eo se cibo sustentant, eo meraco oblectant sese, ac mirificè reficiunt, patrando scilicet aut patrato scelere: quâ vnâ re si se affatim impleant, omnem aliam famem sitímue facilè tolerant. Quid posthæc?

L. 8. c. 29.

§. IV.

Pugnæ, & parasiti.

SVbeunt iam necessario pugnæ; paulò post funestiora. Rectè enim S. Hieronymus. *Janua vitiorum omnium est iracundia, quâ apertâ ad omne facinus armabitur animus.* Et S. Basil. *Contumeliæ, probra, verbera, & alia eiusmodi sunt iræ fructus: ob iram enses acuuntur, mors homini ex homine veniet.* Salomonis oraculum est.

est. *Arma & gladij in via peruersi.* Accidunt autem eæ pugnæ in Academijs à malè feriatis iuuenibus per cœcam noctis caliginem, non modò eâ generali causa, quod scelus præsertim nefarium lucem exosam habeat: sed ne flagitium deprehensum publico carcere ac supplicio castigetur: quo trahi posset etiam alterum istud Salomonis effatum: *Via impiorum tenebrosa:* nesciunt, vbi corruant. Certè inter opera tenebrarum Rom. 13.
Apostolus contentiones, quæ ab ira proficisci solent, accenset: & alicubi monet, ne sol super iracundiam occidat, quòd, sole extincto, irę accendi tùm potissimùm soleant, atque inter tenebras animus manusque ad audendum, contendendumque obarmari. Ita igitur nocturni isti errones inambulant, vti vespertini lupi atrâ in nebulâ:

Quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti:
Faucibus expectant siccis.

Verùm hîc mihi paulatim à via digrediendum: verbulo vt perstringam, sed obiter tamen ac leuiter, famelicam & pugnacem, seditionumque amantem nationem Parasitorum, cuiusmodi mures (ita enim semper esitant alienam dapem) plagopetidas, ac flagriones (vt

rectè Comicus appellat) quiduis enim patiuntur, dum lautè viuant, cuiusmodi Saturiones, Gelasini, Gnathones (vt alij vocant) sordidissimum, pugnacissimumque animalium genus in Academijs passim plurimos inuenies, iuuenes mendiculos, comâ horridos, fronte corneâ, oculis sæuum micantibus, inflatis buccis, obeso corpore, hircis malè olentibus, vestibus fœdè laceris: hi sese in locupletiorum, non quidem amicitiam (longè enim sunt impares conditione ac fortunis) in societatem tamen blandè insinuant, aut veriùs in coquinam, ipsumque triclinium, veri mensarum Asseclæ, Versipelles, Polypi, ijdemque veluti lyricâ arte, ad decipiendos eos, quos corpore ac viribus minùs instructos, minusque audaces viderint, affabrè instructi: operam igitur pollicentur, & artem, qua pollent, ad comportanda è cellarijs ingentia vasa. Deinde si noctu vagari, & insanire allibitum sit, siue per lunam, siue per tenebras oberrandi prurigine caleant pedes, vastorum laterum oppositionem, & gladiatorias manus adpromittunt. Horum quispiam vnus aut alter incautum Adolescentem aggreditur. Ohe (inquit) hodiéne apud te sunt Saturnalia?

Sic audio, imò ſubodoror, eſt enim genti noſtræ
Vis & par venandi ſtudium: fatebor ingenuè
Eſuriales apud me pridem ſunt feriæ,
Venter laterna eſt, adeo pellucet totus.

Non vocabis fruſtra: conferam aliquid opis ac operæ, tu mittes aut duces, quò fuerit libitum, nihil metues me aut Duce, aut Comite. ſi quis tibi malè velit, precor, mi Nicomache, iſti me appone militi: hac ego clauâ, quam chlamyde obtectam teneo, trinodique baculo Hercules mox ſiem, trifauci iſti cani Cerbero horrorem niſi incuſſero, vapulem à te probè, ſiquis, inquam, infenſus hoſtis occurrerit Germanus, Gallus, Hiſpanus, Italus fuat, nullo diſcrimine, peponis ego illum inſtar flagris emolliam, reddamque mollius vel ſpongiâ caput: id age tantùm; quoniam adhuc aridus ſum, & ſiccus vt pumex, fac vt madeam. O vafer! madeas licet aut aceto aut aquâ meliùs, quàm cereuiſiâ aut vino, vt leuius inſanias. Ita iſti Paraſiti molliter adrepunt, vt illi Cancri ſunt, & toti ventres. Verùm hîc, mi Academice Adoleſcens, quia rixarum ac pugnarum ſunt faces ac ſeditionum, ab ijs tantum caue, quantum rixas & pu-

gnas

gnas hortes, quarum isti ferè sunt Principes ac Duces; nunc ex isto breui diuerticulo in viam redeamus.

§. V.

Verbera, & Cædes.

SEquuntur post iras, rixas, pugnas, iam tandem verbera & cędes. Testor S. Basilium. *Omni,* ait, *ferâ venenatâ impudentius ruunt, nec prius desistunt, quàm aliquo malo iurgio, & intolerabili irâ intumescente æstuantem exacuant animum: neque enim ensis acies, neque ignis, neque horridum aliquid animum irâ intumescentem ac furentem satis compescere valebit: non magis, quàm à Dæmonibus detenti, à quibus irati, nihil nec formâ, nec animi affectu differunt.* Subdit posteà. *Si autem pariter aliquem ex aduerso occurrentem inueniant, iramq; mutuam inter se exercuerint ea patiuntur, quæ fascinati, qui sub tali dæmone contendunt, ac certant membrorum mutilationes, vulnera, mortes, præmium pugnæ ferunt.* Eiusdem sanctissimi viri ea quoque est æquè certa sententia. *Sæpe leues iræ in homicidia tandem desinunt; pręcedunt ferè contumeliæ: hæ sunt sagittæ, quibus velut à velitibus pręluditur; vibi contumelia omnis*

Hom. de Ira.

omnis per linguam absorpta est, ad manus venitur: & pugnam ac certamen comitantur verbera; hæc vulnera: ex quibus ferè mortes existunt. Eadem canit etiam S. Gregorius Nazianz. *Abscedat ira cautio ad eadem hæc erit: sic namque reputes, Ira sermonem parit, ictusq; sermo, vulnera ictus adferunt: tandem quod ictus vulnera accersant, liquet. Sic ira cadis horrida certa est parens.* Verbo istud totum effatus olim fuerat S. Chrysostomus cùm dixit, *radicem homicidij esse iracundiam.* Quod vtinam verum esse in ipsis Academijs minimè didicissemus! non tot funera charissimorum filiorum luxissent matres. Sed quid de eâ re Salomon? *Ira* (inquit) *non habet misericordiam, nec erumpens furor*, Et, *impetum concitati quis ferre poterit? graue est saxum & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in stultitiâ suâ.* Quanquam miser ille fabam, quod adagio dicitur, in suum cudet caput, sicque fit, quod alibi dicitur, sagitta in eum, qui iaculatur, recidit. *Ipsi*, inquit, *contrà sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes, contrà animas suas. Qui ambulat confid nter, saluus erit; qui peruersis graditur vijs, corruet semel. Semel omninò, quem enim*

In Iamb. de Ira.

Homil. 16 in Matth.

exim sępe casus transit, aliquando inuenit Cantatum pridem à Vate tragico, at perijsse semel æternum est. Itaque redit vetus prouerbium, *qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem (* fundâ aut iactu *) reuertetur in eum:* dicatur clarissimè, *qui iurgia seminat huic extemplò veniet perditiò sua, & subitò conteretur, nec habebit vltrà medicinam.* Mortuo nihil opus medico, planissimè occidit. Occîdet aliquem (inquies) occidat ipse aut occîdat alium, nescio è duobus quid aut optabilius, aut minus miserandum sit: Ecquid enim esse posset homicidâ calamitosius? omnes persequuntur, & exosum habent: ipsæ etiam mutæ res atque inanima elementa ad vindictam requirunt: imò sibi perosus est: ita vagus, exul, extorris, vel seipsum fugit; licet nemo insequatur, vbique adesse pręcorem, carnificem, crucem retur, & verò credit: opem ab hominibus implorat, nulla res aut tuetur aut saltem excipit: quam homicidæ omni supplicio diriorem pœnam nec Salomon tacuit. *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad locum fugerit, nemo sustinet.* Quam sententiam Hebræus scriptor clarius expresserat. *Homo oppressor in sanguine animę, vsque ad cisternam*

nam fugiet, ne apprehendant eum. Quorum verborum hic genuinus eſt ſenſus: qui iniuſtè hominis ſanguinem fuderit, perpetrati homicidij conſcientiâ ita atrociter percellitur: vt etiam in puteum vltrò deliteſcendi ſtudio ſeſe demittat: ne ſcilicet à ſatellitibus ad Iudicem pœnamque abripiatur. Igitur cùm nullibi ſatis ſibi cautum putet, in latebras ſeſe abdit: ſed nemo eſt qui ſuſtineat, produnt omnes: quare non in puteos modò ſe abijcit: verùm communis lucis, humanæq́ ſocietatis fugitans etiam ad ſepulchreta deuolat, ibique ſe viuum defodit. Imò verò tandem eò abripitur aut furoris, aut dementiæ, vt cum nullus adſit prætor aut lictor, primus tanquam Iudex capitalem in ſe ſententiam ferat, & necem, velut carnifex ſuus, ſibimet interitu voluntario inferat: atque ita omnibus inuiſum caput damnet orco, quod Iudam Chriſti homicidam olim feciſſe audiuimus: neque verò vllus prohibeat aut retineat, quin nouo homicidij flagitio flagitium prius cumulet: nam cùm mille ſint moriendi viæ ac modi, mori volentem ægrè prohibere quis poteſt.

Hæ ſcilicet ſunt furiæ, quæ ardentibus tædis dies noctesque ingentium ſcele-

ſcelerum conſcientiam circumerrant, & nuſquam quieſcere ſinunt, cùm è ſuis corporibus per vim eiectæ vmbræ recurſant in oculis identidem, fuſique impij ſanguinis pœnas à ſceleratis repoſcunt: quales furias fuiſſe Oreſtis in Tragœdijs; Item Pauſaniæ cuiuſdam, ante cuius oculos continuò virgo, quam pudicitiâ primùm, deinde vitâ flagitiosè ſpoliarat, vbique obuerſans, ſæuum flagitium horrendis vocibus minitabatur. Apollidorum quoque ſæpenumerò ſomniaſſe ferunt viuum excoriari, cordeque quaſi in lebetem proiecto, vmbram obiectam ac manes, qui tantorum malorũ eum cauſam eſſe occlamarent. Prodeat etiam Tragicus Nero in hoc Theatrum. Is, matre per nefarium ſcelus trucidatâ, dicebat ſe eius funeſtâ ſpecie flammis tædiſque vbique perniciem moliente ita agitari, vt nuſquam quieſceret. Sed in hoc genere nullum præſtantius exemplum Caino homicidarum Anteſignano: qui omnium primus innocentiſſimi fratris Abelis fratricidio ſceleſtas manus, puramq;ue adhuc humum funeſtauit; hunc recenti cruore madentem aſpice tantum & audi; ſpectabis deteſtabilis fratricidij horrendum ſupplicium. Adeſt

Plutarch. de Sera numinis vindicta.

ſtatim

ſtatim vindex Numen. *Vbi eſt*, ait, *Abel frater tuus?* horruit ille ad Abelis vocē ac totus animo vultu; concidit: diſſimulanter tamen, *Nunquid*, reſpondit, *Ego ſum cuſtos fratris mei?* atque vel *Sanguis* (ſubdit iratum Numen) *fratris tui de terra clamat ad me*: neque mora tonans ac fulminans, æquiſſimâ ſententiâ maledicti, vitæque vagæ ac profugæ hominem percellit, neque tamen ipſe reus eâ pœnâ tam immane patricidium ſatis puniri ratus, priuſquam diuina iſta lex ſancta fixaque eſſet, *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*: ſuus ipſemet grauioris ſupplicij iudex atque vltor factus eſt, ratione dictante, hanc ſibi pœnam indixit, *Omnis qui inuenerit me, occidet me. Verùm à quo tunc* (quærit hic S. Ambroſ.) *à quonam in iſta hominum ſolitudine Cain timebat occidi, qui ſolos parentes habebat in terris? potuit quidem & incurſus beſtiarum timere: nam qui legis diuinæ curam violauerat, nec præſumere de ſubiectis animalibus poterat, qui hominem docuerat occîdi.* At eò temporis expediebat iſtud inſolitæ crudelitatis portentum in ſignum atque oſtentationem diuinæ vltionis vagum & extorre, pudoris metuſque plenum in vltimas vſq; terrarum oras deportari. Poſtea mutæ ani-

Gen. 4.
Gen. c. 9.
In Gen.

animantes de homicidis vindictam quoque aut sumpsere, aut depoposcere. Refertur à Martino Cromerio mirabilis de hac re historia. *Popielus, cùm susceptum innocenter antè pubertatem principatum pubes factus flagitiosissimè administraret, & per vxorem, quam ei proceres viro ad frugem meliorem reducendo delegerant, dominandi libidine impotentem deterior indies euaderet: ab eâ tandem firmandi imperij causâ istud consilij cepit, vt patruos, quos gratiâ & authoritate apud populum valerescebat, è medio, die vno, omnes tolleret: necandorum hæc fuit suscepta ratio Grauem & periculosum morbum princeps simulat, patruos neci destinatos acciri eius nomine vxor iubet: Conueniunt sine morâ, circumstant mœsti, consolantur. Ille morbi magnitudinem gemitu assimulat; vxorem paruosq; liberos illorum fidei ac tutelæ sæpiùs commendat. Completur muliebribus eiulatibus, planctibus & lamentis regia, parantur funebres exequiæ, atque in his dies absumitur: Cùm iam ad occasum Sol tenderet, Princeps patruos quasi vltimùm valedicturus, nomine quemque compellat, & in signum Amoris circumferri poculum iubet, quod ad necem medicatum apparari iusserat, quasi prægustiens ipse spumam tantum à medio extantem halitu difflat potum ne extremis quidem*


dem

dem labijs attingit. Cùm bibiſſent omnes ordine, fingit ſomno ſe premi: diſceditur reuerenter ſalutato principe: at conceptum præcordijs venenum ſæuit, neque diu graſſatur: de mentis ſtatu dimoti proceres maximo cum cruciatu abeunt & exanimantur. Ibi mulier, re nunciatâ, cadauera inſepulta proijci mandat: inſidiatos eos vitæ optimi principis iuſtâ & euidenti Deorum immortalium vindictâ percuſſos repentè peryſſe diuulgat. Vidit & in vindictam mox adfuit Nemeſis: Nam ex cadaueribus putrefactis enati mures inuſitatæ magnitudinis impium patricidam cum ſcelerata vxore ac liberis fugientem quoquouerſus per aquam, flammamq́ue proſequuntur tam obſtinati: vt nec clauſtra prodeſſent, neque abigentium ſatellitum præſidia: ad extremum diffugientibus omnibus, abſumptis primo filijs, deinde vxore; poſtremus ipſe infelix Popielus contabuit. Poſt tam horrendum ſupplicium facilè omitto Pyrrhi atque Heſiodi interfectores à canibus fuiſſe proditos. Omitto & loquaculas grues Ibici Rhegini necem inuolando retexiſſe, tradiſſeque iudicibus atque carnificibus extremo malo afficiendos; ſimilique modo Baſſum quendam ab Hirundinibus reum parricidij denunciatum: vt iam minus mirum ſit poſt innatam indi-

tamque à natura sanctionem, post diuina edicta atque imperia, leges quoque humanas (vt est apud Libanium) voluisse, omnium quæ in homines perpetrantur, homicidium facinus esse deterrimum. Ideoque ita cauent. *Ne mensa cum homicida communicator, ne libatio, ne crateres, ne forum: & in iudicium si adductus sit, mortis pœnâ afficitor.* Merito: sunt enim homicidæ humani generis atque adeò naturæ hostes infensissimi. Quippe cùm omne Animal naturaliter diligat sibi simile: non modò ferinam, sed plus quàm ferinam esse oportet illam hominis rabiem, qui non nisi humano sanguine expleri possit: nulloque alio minori supplicio coërceri debet, quàm iustissimâ rei sanguinis profusione. Certè quàm homines dedeceat ista crudelitas docent bruta vniuersa, quæ vt in Zoopędia rectè colligit Author, in suo genere probè degunt: leonum enim feritas inter se non dimicat: Serpentum morsus non petit serpentes: lupi naturâ immanes, nisi extremâ cogente fame, sibi inuicem indulgent: Canes suorum etiam cadaueribus abstinent, neque vllâ vrgente fame, vt caninam carnem comedant, adduci possunt. Denique vultures, licet alioqui genus om-

ne cadauerum liguriant, sui tamen generis cadaueribus parcunt. Solus homo humanitatem exuit, imò ferinam naturam induit, fitque pro adagio ingens quoddam portentum ac monstrum: *Homo homini lupus*. Lubet finire Vatis Lyrici versu.

Quò quò scelesti ruitis, aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parúmne Campis, atque Neptuno super Lib. Epod. ode 7.
Fusum est ab Homine sanguinis?
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar, feris.



ORATIO.

Ad Sanctos vitæ Tutelares, vt contra funestos mortis casus suo præsidio tueantur.

HEu miserandam nostri generis peruersitatem! exutâ humanitate truculentiam induimus, hominesque lupi facti bestijs ipsis crudeliores in mutua vulnera, cædesque efferamur: ita vitam naturæ parcitate breuem nequitiâ etiam nostrâ contrahimus, &

ante diem aut cædimus alios, aut ipsi cadimus. Atqui à momento vno pendet æternitas, & semel cecidisse, æternum est. quis verò in horas satis sibi cauerit, si alicui in nostram cædem insanire libuerit semel, ac furere? Vos ô vitæ nostræ salutisque Diui Tutelares, qui, etsi de vestra felicitate, immortalitateque securi, adhuc de nobis solliciti estis, nosque in huius nostræ mortalitatis sanguinolentâ arenâ omnibus casibus expositos intuemini: Adeste vestro præsidio, atque ope tutamini; vt è periculosissimo difficilis pugnæ circo erepti, & in vestræ felicitatis beatam sedem admissi gratiarum actionem vobis, Triumphatorique Deo æternas laudes accinamus. Amen.



Industria, et Constantia. 16.



Hic labor est, fructusq; laboris.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Laborioſa & permoleſta eſt omnis agricolatio: proſcindédus, cõplanandus, expurgãdus ager, quanto ſtudio parandus etiam ante ſementem? prçſertim, ſi ſolũ ſit naturâ infœlix, aut ſpinis, ſaxiſque horridum. Idem, mi Adoleſcens, de te cogita: niſi diu multumq; animũ excolueris, fruſtra eruditionis ſegetem, laudis meſſem expectes: ſunt quidem etiam ab artibus ingenuis vitæ ſubſidia, ſed ſi conſtanti labore, quem ducere cœpiſti circulum abſoluas.

Nunc egredere ad camporum aperta, & iſtic tum mihi

primò formicarũ agmen conſpice; & demirare: pro colligenda condendaq́; in hiemem annona quàm deſudant? oneribus vix breues humeri ſufficiunt, tamen annituntur, & per feruentes ſemitas conuehunt, quantum per ſoles benignos poſſunt. Sapientiam ab animalculis diſcere ne te pigeat.

Habes hîc quoque Magiſtram Apem, pro ſchola apertum Aluearium: condiſce etiam in hoc ludo operis ſtudium, atque induſtriam, ex aculeatis roſetis florem apes colligunt, inde mel cõficiunt: nimirum, duri laboris fructus eſſe iucundi ſolent.



INSTITVTIONVM SALOMONICARVM

PARS QVARTA.

Virtutes Academici Adolescentis.

CAPVT PRIMVM.

Industria & Constantia.

MONITVM.

Ad messem animum complanato, expurgato, arato, serito; labore & constantia exerceto.

SALOMON.



Vi operatur terram suam, satiabitur panibus. Prouerb. 12.

Si impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet


giet à te. Prou. 6.

Qui congregat in messe filius sapiens est: qui verò stertit æstate, filius confusionis. Prou. 10.

Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Prou. 6.

Vade ad Apem, & vide quomodo operaria est, operationem quoque quàm venerabilem facit. Prouerb. 6. ex 70. in cod. vatic.

MEN-



MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Ingenium & labor ingenium pariunt, idque ex agricultura docemur.

OPtandæ quidem hæ duæ res in literarum ac Philoſophiæ pręſertim ſtudioſis, ingenium & labor: (nam qui vtroque caret ab ingenuis artibus & ſcholis ad ſeruile opificium eſt ablegandus) verùm, quia ingenium, eximium iſtud naturæ bonum, plurimi adferre ipſi non poſſunt; id ſaltem curandum, vt quod in poteſtate habent, laborem, eumq́ue induſtrium ſatis de ſe, conſtantem certè adhibeant. Ac in Philoſophia quidem quantum id deſideretur, quantumque valeat, Gręci appoſitè olim ſignificarunt. Pingebant Herculem, qui telo triſulco tricipitem illam belluam, Cerberum ex Inferis extraheret,

ret, atque ita docebant Philoſophiam, quam trifariam in Logicam, Ethicam, Phyſicam partiebantur, etſi in abſtruſiſſimis quodammodo ſpecubus latitet, laborioſi tamen, & diligentis hominis operâ, proferri in lucem poſſe. Hinc opinor factum, vt Cleanthes ille, quem tardiſſimo fuiſſe ingenio tradunt, quòd magno & forti labore inſignis Philoſophus euaſiſſet, alter ſapientię Hercules appellatus ſit. Et locus eruditioni ſacer olim Heracleum dictus eſt ab Herculis ſtatua, quę ante gymnaſia poni ſolebat: vt fortes eſſe admonerentur, quicunque ad ſcientias addiſcendas accederent: quare & ipſe Hercules à Gręcis μουσαγέτης appellatus. *Nihil autem eſt*, inquit Seneca, *quod non expugnet intenta ac diligens cura*. Auget idipſum allatis etiam exemplis Plutarchus, *Multum*, ait ipſe, *rerum contemplatione addiſcere potes, quantum ad perficiendas res efficacitatis, atque virium habeant, induſtria atque labor: nam & aqua guttatim lapſa lapidem cauat, & ferrum atque as manus contrectatione atteruntur*: atque ex hoc communi hominum ſenſu fluxere illa, quæ iam vulgatiſſima ſunt, *Muſæ in montibus habitant, Dij omnia laboribus vendunt*, quo etiam pertinet iſtud non inſulſi Poëtę nuperum carmen.

De Educ. Liberor.

Absque labore nihil, Domiti, nihil absque labore: Bahus. lib. 3. Epigram.
Vox vetus, & vera est, absque labore nihil.
Ipsi Cœlicolæ vendunt sua cuncta labore;
Nec nisi callosis, præmia dāt manibus.
Pulchra quidem virtus: sed sole & puluere fusca,
Sudatrix Diua est, otiaq́ alba fugit.
Otia tu sequeris, Domiti piger, exue pigrum,
Quid pila, quid somnus, nuxq́ue, trochusq́ dabunt?
Tolle animum vilem, vili tellure iacentem;
Atque vt magna feras præmia, magna velis.
Quid quereris, non vlla tibi, quod præmia dentur,
Et nulla in tota sit tibi palma schola?
Segnis ὄνος donec fueris, ne præmia speres:
Aspira; veniet mox tibi pulcher honos.

Verùm omnium scitissimè Salomon tum sapientiæ labores ac studium agriculturæ comparat, tum illius studiosos ad formicarum Apumq́ue disciplinam transmittit.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, si impiger fueris, veniet, vt fons messis

messis tua, & egestas longè fugiet à te. Sicut ille, ait, qui multo sudore agrum excoluerit, tam vberem ac copiosam messem inuehet, vt ad satietatem, imò ad delicias congesturus sit; ita qui animum sapientiæ culturâ quasi arârit sedulò, omnibus, quæ in vita homini optanda sint, bonis, opibus, honoribus, delicijs perfruetur. Sed non omnis æquè tempestas ad messem idonea: quare ij, qui in re rusticana versati sunt, ęstate, quòd hoc tempus sit opportunissimum, falcem maturæ segeti adhibēt, manipulos conficiunt, domumque comportant vrente licet æstu: sic tibi, Adolescens, temporì prouidendum, dum fert ętas, operam vt sapientiæ parandæ industriamque impendas: nam si te iam somno atque inertiæ dedas, studiaque differas in frigidam ac torpentem senectam, eueniet proculdubio, vt spe decidens, probrum & fabula factus queraris serò de neglecto tempore, tuique tum demum pudeat, cùm præsentissimæ occasiones præteruolarint. Quare audiendus tibi est Porcius latro, disertissimus Rhetor, cuius est vetus istud dogma templo Delphico dignum *Quære Adolescens, vtere senex*. In adolescentia inquam (quod etiam dicere solemus) para viaticum

ticum ſenectuti: certè quemadmodum apud Plautum Pater Filio loquebatur, vt in colendo agello ad laborem exacueret. *Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis: Tibi denique ipſi pariet lætitiam labor.* Atque huc tādem incidit Salomonis Formica, ad quam beſtiolam hominem pigrum ſapiens ablegat: quod ne aut mirum aut nouum eſſe putes, iſtud cohortandi genus, quod à brutis ducitur, & acre eſt, & in ſcriptura non ſemel, à Patribus verò ſæpenumerò vſurpatur En tibi aureum os Chryſoſtomum. *Non erubeſcit ſcriptura, animal rationis honore donatum, brutorum diſcipulum facere: cùm enim homo ex ſcripturis virtutem diſcere renuat, nec Doctoribus aurem accommodet, eum ad bruta ablegat. Quemadmodum patrifamilias vſu venit, qui filium aliquem ſuum natu grandiorem verbis caſtigaturus; ei filiorum ſuorum, qui eo ætate minores ſunt, exemplum proponit: vt eo perſpecto illum pudeat, pigeatq; ſe puerulis iſtis virtutum atque morum honeſtate cedere.*

In Mercat.

Homil. 12. ad pop.

Similia tradit S. Baſilius de diuino iudicio verba faciens: cùm enim docuiſſet brutorum exempla nobis dari à Deo, vt ijs doceamur & corrigamur: ſubdit fore, vt ſi diſciplinam fuerimus auerſati, id in

Homil. de Iudic Dei.

id in magno illo atque formidabili Iudicij die, ad ignominiam & condemnationem obijciatur. Sed nunc ad rem propiùs.

§. II.

Laborem industrium docent formicæ.

NIhil in agris magis obuium, quàm myrmecia & formicarum exercitus, ita facilis eſt hæc ſchola, & cuiuis patens: neque eſt quod quenquam pudeat à perparuulis hiſce animalibus mores trahere: nihil enim eſt illis non modò ingenioſiùs, ſed neque ſolertius: quæ res nonnullos impulit, vt mentem rationemque concederent, multi ſaltem memoriam, plerique omnes aliquam Reip. formam, atque adminiſtrationem. Quare Pythagoræi, qui animarum tranſmigrationem adſtruebant, Vlyſſis hominum ſuo æuo calliddiſſimi animam in formicam animalculum ſagacitatis pleniſſimum tranſiſſe tradebant: vt in deſignando corpore τὸ πρέπον ſeruare viderentur. Certè Chryſoſtomum ipſum, quem iam laudabamus, non puduit olim in eum ſe ludum diſcendi

Plin. l. 11. hiſt. c. 30.

discēdi ſtudio conferre. *Formicarum*, ait, *facti ſumus diſcipuli, formicarũ æmulationi viximus, formicarum conuerſamur exemplis.* *Vade* & tu, mi Adoleſcens Academice, *ad formicam, & conſidera vias eius:* ſemitas quidem quas peranguſtis callibus vel per duros ſilices ſibi ſternit, vias autem, rerum, inquam, ingentium molitiones, quas non modo generosè aggreditur, ſed etiam conſtanter perficit. Itineris ducem habent oues & grues, regem Apes, Præceptorem & Magiſtros boues & equi, illi enim hos inſtituunt, ſtimulant, ad opus vrgent. Formicæ ſolo naturæ inſtinctu, ac genio ſuo diligentiam præſtant, improbè laborant, & temporum oportunitatem ſecutæ in venturam hyemem recondunt, non auaritiæ aut luxus ſtudio, ſed quantum ad beſtiolæ vitam tenuiter ſuſtentandam vident fore neceſſarium. Verùm hæc quæ generatim dicimus, enucleatiùs, exactiùſq; demonſtremus: vt vim habeant, tum ad docendos, tum ad commouendos animos, vehementiorem. Serm. de Pentec.

Deſidiam adeò fugiunt, & laborem amant formicæ: vt, ſi cælum & valetudo patiantur, nullus illis otio dies vnquam pereat. Silices ipſas aſſiduo ad Formicarum labor

opus feruentium concurſu attritas videres: in plenilunijs etiam noctu operari: nam interlunijs, quòd lumen deficiat, neceſſitate magis, quàm ſponte ceſſant. Quanto autem conatu ac molimine humeris ac cruribus connixæ onera, ſe multis partibus maiora mordicus tenendo in horrea conuectant?

Induſtria. Deinde quâ in operibus induſtriâ, quâ naturæ ſolertia vtuntur? viarum compendia continuò ſectantur, quo minor ſit erratio, aut temporis iactura: cùm cibos humidos eſſe deprehendunt, foras ad ſolem exportant, ſi ſudum ſerenumque fore cælum præſagierint, (nam dicuntur etiam quandam habere temporum præſenſionem) cùm verò grana primum in penuarium conuehunt, veritæ ne humo confota repullulantiaque ſibi pereant; eroſâ eâ parte, in qua eſt germen, inferre ſolent. Portento ſimile eſt, quod S. Hieronymus grauiſſimus author ſcribit defunctorum exequias indici, & iuſtis funebribus in formicarum Repub. parentari. Ac ne quid deſit Ælianus etiam ſarcophagum, feretrum, & funebrem pompam tribuit. In Architectonica quoque præſtant, nam tripartitas cellulas, vnam maribus, alteram fœminis, tertiam annonæ ſeruan-

S. Baſil. hom 9. Hexameron.

In vita Malach.

Lib. 6. c. 49.

dæ horreum dędaleâ arte efformant, vt neque à gentis hostibus, neque à Cælorum iniurijs lędi possint: ad annonam quod attinet, eam metiuntur tam exactè: vt nec plura, nec pauciora condant, quàm satis sit, quibus in annum frugaliter viuant. Si quando aquæ tranandæ sunt, posteriores præcedentium dorsa mordent; itaque mutuo nexu fultæ sine periculo transmeant. Suas etiam collocutiones redditionesque rationum certas & statas habent: cùm enim ex diuerso conuehant altera alterius ignara (vti obseruatum) dies ad mutuam recognitionem per speciem nundinarum instituunt: *Quæ verò tunc earum conuersatio* (inquit Plinius) *quàm diligens earum cum obuijs quædam collocutio atque percunctatio?* Adhæc suas habent ferias, neque enim solùm interlunijs, ab opere vacant: sed quosdam insuper dies otio indulgent: quod non exiguum est in bestijs prudentiæ specimen. Deniq quod maximè in formicis laudat Salomon, singulari prouidentia in futurum longè prospiciunt: æstate, quo tempore oportunitas suppetit, coaceruant, atque in penuarijs comprimunt: vt in hyeme, cùm magna est raritas, caritasque annonę, & difficilior ventura, de thesauro Sup. 2.

promant, quantum opus sit: contra faciunt cicadæ more suo: æstate varijs sese cantilenis oblectant, venturæ hyemis nihil cogitantes, quæ vbi aduenerit inopiâ & fame contabescunt: quâ de re non inelegans extat Apologus: Fortè quondam accidit: vt, quod fit, formicæ grana putrescentia siccanda ad solem è terræ hiatibus sedulæ exportarent; prçteriens cicada orat, vt esurienti sibi perpauculum impertiant, cui formica senior, *Quid verò tu*, inquit, *per æstatem actitabas? cur tibi tunc, quod nunc manderes, non collegisti? subdit cicada, non eram otiosa, ô bona soror, canebam tum musicè*: hîc coorto risu formicæ, simul acutè profectò, *Si æstate*, aiunt, *cantasti, hyeme salta*: cum eo sale, vacuam, vt venerat, abire iusserunt.

Constantia. Placet nunc in illo industrio, quem dixi labore, constantiam atque assiduitatem notare, continuo tùm itu, tùm reditu ad scrobes, saxa ipsa excauant: tantum valet labor assiduus. Iter quod semel institerint, totum agmen insistit, neque vsquam à susceptis tramitibus aliorsum deflectit: ea est in proposito pertinacia. Si quando oneri impares se esse sentiant; non absistunt tamen, neque desistunt, saltem experiri conarique,

que, humeris pedibusque connitentibus: vt integra boum cadauera subinde auehere etsi irrito conatu moliantur: tanta vis aut bilis formicæ inest. Non contentam diurnis solibus, ad lunæ lumen noctibus operari superius dixi: Ea est in opere constantia.

§. III.

Apes paria formicis docent.

TRansi nunc, mi Academice Adolescens, ad celeberrimam Apum scholam, quo te pridem Salomon inuitat. *Vade*, ait, *ad Apem, & vide quomodo operaria est, operationem quoque quàm venerabilem facit.* 1. Sunt eæ non minus, haud scio an non quàm formicæ, magis laborum amantes, otij verò fugitantes supra fidem, Hyeme quidem ab occasu Pleiadum, vsque ad Æquinoctium se in aluearibus continent, frigore scilicet cogente, ne vitam amittant: verùm reliquâ anni tempestate gnauiter laborãt, nisi morbo impediantur: ac ne cælo quidem turbido planè otiantur: excrementa enim saltem, teste Plinio, vnum congesta in locum domo egerunt. Primo vere fauos construunt, tum ceras fingunt,

Apum labor.

L. 11. hist. à c. 5.

gunt, id eſt, ædium cellulas; deinde ſoboli progignendæ vacant; poſtremò mella diuinum munus conficiunt: interdiu ſunt, quæ ad portas vigilent, ventis ac imbribus expoſitæ in morem caſtrorum: ne quâ irruant veſpæ prædones: ſunt quæ noctu excubent, paruamque vrbem alijs dormientibus tuentur, indicto ſeruatoque intra muros religioſo ſilentio: cùm diluxerit, vna excitat reliquas gemino triplicique bombo quaſi buccinâ: ad eiuſmodi autem tum vigilias, tum excubias, ferè eæ deputantur, quæ mellis conficiendi, condendique induſtriâ carent; ne nihil agant, eædemque ob eandem cauſam ore, totoque corpuſculo collectam deferunt vetulis apibus, quæ honoris causâ Regem ſtipant, aut mortuos ex alueis ad ſepulturam efferunt. Denique ita ignauiam deteſtantur, & caſtigant apes, vt fucos iners pecus primo mane ad opera è domicilijs extrudant; tardiores ex ijs ſeuerè puniunt, aut exilio (quòd fit plerumque) aut nonnunquam, ad exemplum, extremo ſupplicio, Draconis lege, qui eandem otioſis hominibus olim pœnam ſanciuit: quæ mortis pœna cum Demadi oratori videretur crudelior, declamauit legiſlatorem illum

leges

leges ſuas ſcripſiſſe ſanguine, non atramento. Athenis Areopagi Iudices, etſi mitius, tamen graui mulctâ in deſidioſos ciues animaduertebant. Sinæ verò etiamnum otioſos apud ſe minimè viuere patiuntur, ſine inſigni notâ ac dedecore.

P. de Iarric. t. 2. l. 4. c. 20.

Induſtria in Apibus

Porrò non ſunt laborioſiores apes quàm ſolertes, atque induſtriæ. quantum artis habent fauorum crates, in quibus minutæ illæ ac rotundæ ędiculæ connexione ſui inuicem fulciuntur? Ecquis eas docuit hexagonica illa laterum indiſcretâ ęqualitate componere, tenues intra ſepta ceras ſuſpendere, ſtipare mella, idque in caliginoſis aluearibus, & ſub obſcuris tectis, intra cœcos parietes; perinde atque ad ſolem exactè & quodam pulcherrimo ordine? Mel verò ipſum, quod Plinius cæli ſudorem, aut quandam ſyderum ſaliuam appellat, quantâ ſolertiâ elaborant? quantâ deinde curâ, ne inquinetur, cauent, nam ea cauſa tantam munditiem ſeruant; vt neque rei grauiter olenti, aut immundæ vnquam inſiſtant, neque vllas in alueolis ſordes, ac ne ſociarum quidem cadauera patiantur: ex eodem puritatis ſtudio fit, quod mirere magis, vt caſtos homines ament, & ſectentur. Verùm nihil

Apum industriam prudentiamque tam commendat, quàm quòd domi Reipub. formam, foris ordinem militarem tam delineatè exprimant: vt ab ijs primi Vrbium, armorumq; moderatores tum administrandæ Reip. tum gerendæ militiæ exempla duxerint: quæ duæ res etsi prestantissimæ sint, consultò tamen celeriter pretereo, ne in re satis vulgatâ sim longè, quàm interpretem deceat, prolixior; id tantum addam ex Plinio, propter istam præsertim regendi, agendique normam nonnullos homines tanto apum amore captos, vt in ijs alendis ætatem suam contriuerint, atque ex eorum numero Aristomachum quendam duo de sexaginta annis aliud nihil, nisi apibus contemplandis egisse, quo de Philosophandi studio, vitreorum opinor aluearium vsum iam celebrem esse cœpisse.

L. 11. c. 9.

Apes indefessæ.

Restat apum in laborando constantia, de qua id generatim breuiterque dici potest. Quamdiu tempus suppetit, nulla quies, nulla intermissio; semper sectantur, quod omnes moliantur.

Virg. l. 4. Georg.

Mane ruunt portis, nusquam mora.
At fessæ multâ referunt se nocte minores
Crura thymo plenæ.
Labor omnibus vnus:
Sæpe

Sæpe etiam duris errando in cotibus, alas.
Attriuêre, vltroq́ animam sub fasce dedêre.
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Habes igitur, Academice Adolescés, in duabus exiguis animantibus præclarissima laboris, industriæ, constantiæ exempla, quæ ęterna mens idcirco mutis animalculis indidit: vt tu, grandius scilicet animal atque diuinius, imitareris. Heu! ne istam tuo nomini aut generi nostro labem inuras: vt te patiaris brutis esse peiorem; esse autem te oportebit, si in disciplinis capessendis laborem, industriam, assiduitatemque refugias.

Et ecce reuolant huc Ambrosianæ apes, neque se taceri sinunt. Infans Ambrosius in area Prætorij, inque cunis positus aperto ore cùm dormiret, subitò apum examen adueniens, ingrediendique in os & egrediendi vices frequentans, diu lusit. Quo portento intellectum, eum assiduo ac peruicaci, simulque industrio labore, eruditionem tantam olim comparaturum, quantam posteriores ętates senserunt, eam verò tam melleam ac suauem; vt, qui Ambrosium legunt, Ambrosiam sibi degustare videantur. In vita.

deantur. At tu laborem auersaris: & vti olim Florus Poëta, flores amas, sed odoriferos, non amara thyma; vmbram sequeris, non solem, aut puluerem Quid inde? ergo, nihil vmquam amplum consequêris; Sa i ne rectè Philosophor? audi rem oppidò lepidam.

Florus in Adrianum Cæsarem, satis acutè, vt arbitrabatur, ita scripserat.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Cui mordacius Cæsar rescripsit hos versiculos.

Ego nolo Florus eße,
Ambulare per popinas,
Latitare per tabernas,
Culices pati rotundos.

Pungant nonnihil te, isti culices; sed tamen totus repugnas, multaque in promptu habes, quæ obijcias. Primùm meus Magister nimis est homo durus, valeant literæ, istam Dionysij Syracusani tyrannidem diutiùs non patior. Siste, & antequam te perditum abeas; paucos boni monitoris versus, excipe, fortè frenos fugæ inijcient, reducentq; ad saniorem mentem. Eydil. 5. Ausonium dabo non malum, vt nosti, Poëtam.

Disce

Disce lubens tetrici nec Præceptoris habenas
Detestere nepos; nunquam horrida forma magistri
(Ille licet tristis sen'o nec voce serenus
Aspera contracta minitetur iurgia frontis)
Nunquam immanis erit, placida assuetudine vultus.
Qui semel imbuerit, rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem, pappos, auiasque tre-mentes
Anteferunt Patribus seri, noua cura, nepotes.
Sed neque Pelidem terrebat Achillea Chiron
Tessalico permixtus equo, nec pinifer Atlas
Amphitrioniadem puerũ. Sed blandus vterq;
Mitibus alloquijs teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque, ne metuas, quamuis schola verbere multo
Increpet, & truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit: at tibi cõsta
Intrepidus, nec te clamor, plagæq; sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis,
Quod sceptrum vibret ferula, quod multa supellex
Virgea, quòd molli scuticam prætexat aluta,
Quod ferueant trepido subsellia vestra tumultu
Pompa loci, & vani fugiatur scena timoris.

Quan-

Quanquam nihil ita tragicum viderim in altioribus illis Sophiæ pulpitis: vt tantopere Magiſtrorum frontem, ora, manus pertimeſcas: nam ij oratione & ratione cum Philoſophis agere contenti ferè à verberatione abſtinent. Ferrem, ais, equidem iſta fortaſſe: verùm pro re deridicula habeor, & à condiſcipulis paſſim Arcadiæ pecus, apertè aſinus, inter olores anſer, audio. Ita pręter magiſtri iſtam ſeueritatem, ſociorum pręterea moleſtijs excarnificor. Expedio me hiſce omnibus cruciamentis, hincque properè auolo. Noli, obſecro, nam quo te amens proripis? Verbulum ſaltem ex Plutarcho. *Cleanthes & Xenocrates vterque patiebantur ſe rideri ab ingenioſis, quòd ipſi tardiores eſſent, nec tamen profugerunt à diſcendo, nec animos deſponderunt: ſed vltrò in ſeipſos dicteria iactabant, ſe vaſis anguſti orificij & tabulis aneis ſimiles dicentes: vt qui ęgrè Doctorem perciperent; percepta tamen fortiter conſtanterque retinerent.* Quia Cleanthem loquimur, iſtud etiam accipe ex eodem Plutarcho, eodem enim pertinet. *Cleanthem Antigenus Rex, cùm longo intercepto tempore vidiſſet Athenis, interrogauit, etiamne molis Cleanthe? Ego verò,* reſpondit ille, *ô Rex, idque vita tolerandæ facio, facturus quiduis*

De Audit.

De vit. ære alieno

quiduis aliud, dum ne à Philoſophia auellar. Quàm placido ille vultu ſannas & iocos tulit? *En tibi ingentem viri animum* (exclamat idem ſcriptor) *qui à piſtrino & alueolo piſtorio digreſſus ipsâ manu, quâ molam verſauerat, aut farinam coquendo pani ſubegerat, de Dijs, Lunâ, Sole ſideribus ſcriberet.* Molis me, inquis, iſtâ Philoſophi molâ, & ferè animum emollires, niſi adeſſet aliud incommodum, quod me potiſſimum premit: nam vt ad ſtudia animus ſit; deſunt opes, quibus me in literarum otio alam, ac ſuſtentem. Pergamus igitur ferrum tundere, dum calet. Ego verò opes ſtudijs obeſſe magis, quàm inopiam arbitror. Pauper ſanè ad Philoſophiam expeditum iter habet, diuitem multa præpediunt. Non equidem inficior auream, quam Salomon à Deo contendebat, mediocritatem ſapientiæ ſtudijs plus commodare, quam ſummam aut egeſtatem, aut opulentiam: ſed nego, aut opes requiri, aut inopiam omninò obſtare. Vt Philoſopharetur Anaxagoras ſua in amicos diſpertijt, Socrates in mare abiecit, Xenocrates ab Alexandro miſſa munera repudiauit, Ariſtippus quoque, cùm partim offerrentur, partim præſtò eſſent, generoſo faſtidio contempſit. Iam Demo-

Demosthenis Pater cultellos vendidit, Euripidis mater olufcula. Nulli eorum paupertas eruditionis, honorisque templum clausit. Vis alia? Zeno è naufragio Athenas venit inuestis vt anguilla, tumque primùm philosophari cœpit. Menedemus Princeps inter Socraticos fuit: is Patrem sortitus est pauperem Architectum, & cum interdiu Philosophiæ operam daret, noctu pinsebat, idemque de Asclepiade Philosophiæ studioso memorant, Plautum omitto, quem molam quoque in pistrino versasse constat. Sed huc iterum redit Cleanthes, neque omittendus est. Ille Athenas venit quatuor drachmis instructus, ibi cùm à Zenone erudiretur, cogente inopia noctu in hortis aquam hauriebat, vnde nomen accepit, interdiu autem Philosophiæ operam dabat. Coactam aliquando stipem plenus animi magnitudine in medium familiarium cum his verbis coniecit, *Cleanthes iam alium Cleanthem alere possit, si velit.* Adrianus Sextus Pontifex Max. fuit, idem à studijs Carolo V. Imperatori fuerat. Is cum Louanij literas tractaret, adeò ab opibus nudus fuisse proditur: vt ad publicam lucernam noctu lectitare cogeretur, quòd ad candelas, oleúmve emendum,

mendum, nihil haberet. Nemo igitur, ne is quidem, cui, vt loquitur Catullus, nec seruus est, nec arca, nec cimex, nec araneus, modò animus adsit, non modò à consequenda scientiâ, sed ne à summis quidem honoribus adipiscendis desperet. Das iam mihi, vt apparet, manum, teque in scholis retineri pateris: sed alius nescio quis obmurmuret, & telum istud alterum obiectet. Quorsum mihi ego ita hostis, atque infensus sim, vt his me illætabilibus, imò lethalibus studijs enecem? nam (vt de librorum expensis nihil conquerar) ita iam nunc totus chartis impallui, breui vt futurum sit, vt immoriar, si hîc diutius immorer. Hîc verò planissimè erras, mi bone vir, quisquis es: studia si ordine methodoq; instituantur, nihil, aut parum de vita absumunt: luxus, delitiæ, otium potiùs hominem necant, tandemq; perimunt. Excusas inualetudinem, insomnia, librorum pretia, taces quòd noctes totas aleæ lusibus poculisque impendis, qua ex re, præter sumptus, febrim contrahis, podagram, hydropem, lippitudinem: ex luxu præterea paralysim, tabemque infamiæ plenissimam: quorum similia incommoda à moderatis studijs nulla existunt. Isocrates librum, qui Panathe-
naicus

naicus inſcribitur, quatuor & nonaginta annos natus ſcripſiſſe dicitur. Eius Magiſter Leontius Gorgias centum complerat. Democritus centenario quatuor addidit. Hyppocrates totidem, neque Galenus annis multò fuit minor, traditur enim perueniſſe ad grauiſſimam ætatem. Plato diuinus ille Philoſophus vno & octuageſimo anno ſcribens ereptus eſt. Cicero in Catone eiuſmodi plures adducit longæuos, eoſdemq́ue eruditos, Sophoclem, Homerum, Heſiodum, Pythagoram, Socratem, Zenonem, Diogenem: in quibus omnibus ſtudiorum cogitatio æqualis vitæ extitit. Quid tu ad hæc? placent ſic ſatis: ſed tamen: age quid iſtud? ingenium, cęteræq́ue naturæ dotes, quia deſunt, à ſtudijs auocant. Salutaui iam Philoſophiam à limine, adeò triſtes & moroſos vultus illa intranti oſtendit: vt pedem efferre lubeat: enimuerò in primo Logices aditu atque adſpectu, quàm gordianæ tricæ, quàm Cimmeriæ tenebrę: feliciter luſit, qui literis ſolo ſitu mutatis iſto anagrammatiſmo riſit, *Logica, Caligo*: demus tamen importunitati: vt mihi exiſtimem frangendam eſſe eam nucem, eſitandumq́ue, quem intriui, panem, atrum licet, atque tetrum, quid

verò

verò ad me Iuriſprudentiæ inhianti quęſtiones Phyſicæ? aut (vt plurimum concedam) Phyſicus fiam, præſertim ſi Medicus poſtea fieri velim; quid verò cum Metaphyſicis calliditatibus mihi eſt negotij? nam futuro Theologo fortaſſis omnem illam totius Philoſophiæ moleſtiam eſſe exſorbendam, non perpugnaciter diſſenſerim. Iam, Academice Adoleſcens, quiſquis es, Philoſophari, id eſt, ratione agere videri poſſis: eſt tamen in tuo illo diſcurſu, quem ipſi Philoſophiæ debes, error quidam ex rei ignoratione profectus, quem vbi veluti nubem vmbramve diſſipauero, abire te ſinam; ſi inſanire & perire omnino decreuiſti. Atque in primis, quod ad ingenij, iudicij cęterarumque rerum ſupellectilem, quam ais tibi à natura curtam, attinet, dabo duos ex veteri Philoſophia Poëtas, qui pręter exempla, quæ ſuperius allata ſunt, ſimilitudinibus appoſitis demonſtrent animi tarditatem, non omnem ad ingenuas diſciplinas viam intercludere, ſi modò obſtinatâ conſtantia perrumpere conſtitutum ſit. En tibi primò Lucretium. Lib. 4.

Nam leniter quamuis, quod crebro tunditur ictu

Vincitur in longo spatio tamen, atque labascit.

Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes

Humoris, longo in spatio pertundere saxa?

Accinit his Hesiodus.

Nam si vel paruum, ait, *pergas superaddere paruo*

Vt crebrò id facias, ingens existet aceruus.

Vsus prȩterea apte & magister rerum tempus, aliquid, imò plurimum conferent. Fateor in primo ad sapientiam ingressu difficilia, atque implicata quȩdam occurrere: quæ vlteriora nihil perspicientem deterreant: sed istud cogitandum, quod in cȩteris rebus omnibus, nihil est, quod assuetudine non atteratur, reddaturque facilius. S. Bern. vir ille, cuius instar mellis suauiter fluit oratio, istud Prophetæ Iob, *Quæ prius nolebat tangere anima mea, præ angustia cibi mei sunt*, diuinè explanans. *Primum*, ait, *impatibile videbitur aliquid, quòd ipso tempore, si assuescas, iudicabis non adeò graue; paulo pòst, & leue senties; paulò pòst nec senties; paulo pòst idem delectabit.* In rem prȩsentem accommodatè Aulus Gellius. *Huius disciplinæ studium atque cogitatio, in principijs quidem tetra & aspernabilis, insuauisq; esse, & inciuilis videri solet:*

De consid. ad Eugen. Cap. 6.

sed

ſed vbi aliquantulum proceſſeris, tum deni-que & emolumentum in animo tuo, & ſe-quetur quędam diſcendi voluptas inſatiabi-lis. Aptiſſimè Plutarchus. *Auditor ſic ſta-tuat, ſe Philoſophiæ tanquam myſterijs qui-buſdam magnis initiatum: Primas luſtra-tiones, atque tumultus vbi pertulerit, ſpem habere iucundi ſplendidiq; fructus præſentem moleſtiam & conturbationem ſecuturi.* Nihil adderem, neque enim video, quid neruoſius, aut efficacius adferri poſſit; niſi magni ſanè momenti quęſtionem, quam digito tetigiſti, paulo explicatius tractandam hoc loco eſſe iudicarem. Lib. 2. de Audit.

Eſt autem illa eiuſmodi. *An vniuer-ſæ Philoſophiæ ſtudium, non modò ad Theo-logiam neceſſarium ſit*, ſed vtile ſaltem & percommodum ijs, qui ad Iuriſprudentiam vel Medicinam animum applicant: qui enim hoc conſilij cœperint, ferè ex minimâ causâ relicto, quem tenere cœperant, Philoſophiæ curſu, facile ad iſta alia conuolant, quòd fruſtra inutilibus ſtudijs ętatem ſibi impendendam eſſe exiſtiment: verum in principijs errant, ideoque male concludūt. Bene Plutarchus: *Ut Tragœdi in Thea-tris: ita Philoſophus audiendus eſt ad finm vſque.* Non eſt exiſtimandum, ſicut Lernę dentes Iouis ſatu (vt eſt in fa- In Moralib.

 bulis)

bulis) in terram ſparſis, repente die ipsâ gigantes proceri, & armis inſtructiſſimi prodierunt: ita ſubito breui tempore Philoſophos, aut omnino Eruditos euadere: dum nimium procurris, caue, ne impingas. Nota iſta in triuijs, *Canis properans cæcos parit catulos*, & *feſtina lente*, grauiter dixit Alexander, *Feſtinatio multorum malorum cauſa:* rectè etiam Sophocles, *Periculoſa eſt præpropera prudentia:* rectiſſimè Publius Syrus, *Omnis mora odioſa eſt: ſed facit ſapientiam.* Núc quod ad rem ipſam ſpectat paucis ſic ſtatuo, primùm Logicam tam eſſe ad omnes ſcientias neceſſariam, quàm ſit ipſa ratiocinatio: cùm enim ea ars rationem dirigat, & veluti prętensâ face ducat, ne in errorum abrupta præcipitet, tam ſine Logicâ perueniri nequit ad cæteras diſciplinas, quam ſine oculo iri aliquò non poteſt. Deinde aſſero Phyſicam quæ rerum naturas, vireſque explicat, ei ſaltem qui Medicinam meditetur eſſe oppido neceſſariam, Phyſica corpus naturale conſiderat, Medicina in eodem ſanando ſeruandove occupatur: an ſanabit aut ſeruabit Medicus, ſi corporis humani conſtitutionem, ſi Elementorum, Cælorumque proprietates, ſi gemmarum, lapidum, herbarum, florum,

rum, medicarumque rerum occultas vires, quæ Physicæ sunt tractationis, ignoret? Verum est istud, quod est vulgò iactatissimum. *Incipit Medicus, vbi desinit Physicus.* In Iurisprudentiæ studioso rerum naturalium cognitionem requiri non æque liquet: requiri tamen censeo, nam quî pro reo aut contra reum dicet, quâ ratione iudici, atque populo fidem faciet, quibus argumentis ad persuadendum dissuadendumve vtetur, nisi ex Philosophiæ armamentario hastas, & clypeos expromere, è rerum natura sumptis amplificationibus orationem illustrare atque exaggerare cognorit? Metaphysica saltem Medico, aut Iurisconsulto erit superuacanea; ne id quidem admisero: si modò excellens in vtraque illa arte euadere velis: nam vt Logicam ad scientias necessariam, ita Metaphysicā ad scientiarum perfectionem, absolutionemq; desiderari, existimandum est: cùm enim præstare in nulla disciplina possit, qui non entis ac veri notiones habeat perfectissimas; Metaphysicæ autem sit munus eas conceptiones in animo proprias genuinasque efformare, hac vnâ scientiâ si carueris, nusquam Magister esse possis: Atque ex ijs istud postremò conficitur, ei qui ad

Rempublicam ſit acceſſurus vniuerſæ Philoſophiæ quoq; ſupellectilem prius eſſe comparandam. Quid enim?an prudenter & tutò ad clauum ſedebit, qui conceptiones rerum proprias, dicendi perſuadendique vim præſtantem, quæ ſine ſapientiæ cognitione haberi non poſſunt, non ſibi prius conquiſiuerit? alioqui configatur celeberrima illa Platonis viri ſapientiſſimi ſententia, qui docebat beatas tum demum fore Reſpublicas, in quibus aut Philoſophi regerent aut Reges philoſopharentur. Dicam, quod minus probari poſſe videatur, ne Ciuem præclarum quidem eſſe, aut cum laude inter contribules poſſe verſari, qui ex Logicis ſaltem ſcholis rectè ratiocinari, ac propriè loqui nunquam didicerit. Nam ſi Phyſicæ ſit ignarus, quàm ſæpe erit ei in circulis ac conſeſſibus turpiter contiſcendum? quid enim eo homine fiet, vbi de maris fluxu & refluxu, de gemmarum plantarumque natura, de terræ ſuccuſſionibus, de ventis, de niue, de grandine, de tonitru, de fulmine, de ſtellis, de Ecclypſibus ſermones, vt fit plerumq;, inter ſuos inciderint? Sapienter igitur Diogenes cuidam garrienti ſe Philoſophiam parum curare, reſpondit, *Ad quid*

quid viuis, si, vt rectè viuas, tibi cura non est? Meritò Romanus Orator Matrem omnium bonarum rerum dicebat esse sapientiam, quâ nihil à Dijs immortalibus vtilius, nihil salubrius, nihil præstabilius hominum vitæ mortalibus datum esset. Sępe alias idem Philosophiam appellabat vitæ ducem, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, Vrbium, Legum, societatis denique humanæ procreatricem. Quæ cùm cogitaret Seneca, vir ille acerrimi iudicij, iure quoque sentiebat Philosophiæ nullum satis tempus magnum esse, etsi à pueritia vsque ad longissimos humani æui terminos vita protenderetur. Verùm contra Philosophiæ tum osores, tum vituperatores ista hîc satis. Ex illa Ludicra pugnâ, quasi dato classico, quia à parte nostra stat victoria, reuocari nos in vmbram non ægrè patiamur.




ORATIO.


Pro industrio & constanti labore in excolendæ mentis studio.

OMnipotens & ſapientiſſime Deus, qui in rebus minimis æquè, vt in maximis, te mirabilem oſtendis, & qui nos homulos rationi minùs auſcultantes ad Formicarum Apumque ſcholam remittis: vt ab ijs ad virtutum diſciplinam informemur; da mihi per gratiam tuam: vt talem in virtutum, literarumque ſtudio diligentiam, induſtriam conſtantiamque adferam, qualem à me requiris. Et quia animum tanquam agrum excolendum mihi tradidiſti; fac ita fideliter ſerioque rem agere; vt in die iudicij, quando vnuſquiſque metet prout ſeminauerit, de corruptione metam incorruptionem, deterſiſque ſudoribus labores manuum mearum in menſâ tuâ manducare valeam, quando momentaneum & breue hoc tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

SYM-




Ingens Peccati Horror. 17.
ME
MO
RA
RE
Herculis hic summus labor est.



SYMBOLI EXPLICATIO.


Hercule hic magno opus, qui ferro & igne ſeptemplicem belluam domet: capitale iſtud monſtrum peccatum eſt, quam multicipitem Hydram edomuiſſe, erit ſupra duodecim Herculis labores, ac victorias.

Sta in arena, Adoleſcens, & pede preſſo cum hoſte non vno manum conſere. Quid fugis? ad peccati fœditatem & truculentiam horres, opinor, timeſq; ne tam exitialis peſtis vel afflet venenum, vel tactu noceat, imo necet: nihil remoror; ah cito fuge.

Præit Dux & monet, memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Mortem, Iudicium, Inferos, Cælum adſpice, & diu, multumque cogita. His armis non tantum declinari Monſtri furor, ſed ſi ſtare malis, etiam domari, & vinci poteſt.



CA-




CAPVT SECVNDVM.

Ingens peccati horror.

M O N I T V M.

Deum time; peccatum peste, morte peius fugito.

S A L O M O N.



Rincipium Sapientiæ, timor Domini. Prou.9.

Timor Domini odit malum. Prou.8.

In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Sap. I.

Pecca-

Peccatores prosequitur malum. Prouerb. 13.

Fugit impius, nemine persequente. Prou. 28.


Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia. Sap. 17.

Stultus illudet peccatum. Prouerb. 14.

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur. Prou. 5.

Deum time & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit. Eccles. 12.

MEN-



MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Timor Domini principium Sapientiæ.

MEminiſſe hic te imprimis oportet, Adoleſcens Academice, quod alias monui, Chriſtianam ſapientiam nec eſſe nudam ſolùm, atque inanem veri inquiſitionem aut ſcientiam, quam nonnulli conſectantur: ſed honeſti probitatiſque ſtudium atque comprehenſionem: rectè enim & ex virtutis normâ mores ſuos componere; hoc demum ſapere eſt, hoc eſſe veri nominis Philoſophum, imo ſapientem. Atque hæc ipſa eſt ſapientia, cuius principium eſſe Domini timorem dixit Salomon. Verùm Diuini timoris non vna eſt indoles. Vnus enim eſt ingenuus & nobilis timor, ab eo amore profectus, quo liberi bene nati, atque educati Parentes ſuos

ſuos ſyncerè diligunt, eâque causâ grauiſſimè deteſtantur, quæ illi oderint. Alius eſt in nonnullis timor, abiectæ & ſeruilis conditionis, quem pœnæ infamiæque horror, aut cauſæ ſimiles pariunt; cuiuſmodi in ſeruis eſſe ſolet, qui etſi vitio ducendus non ſit, priori tamen longè eſt dignitate, meritoque inferior. Principium quoque non vno modo dicitur: iam, initium eſt rei cuiuſuis, & quaſi radix, vnde illa exiſtat; iam, primus anni fructus, pręcox adhuc neque ſatis maturus; poſtremò, quod in quaque re præcipuum eſt, & veluti caput. Ex quibus qua ratione Sapiens dixerit principium ſapientiæ eſſe timorem Domini intelligi poteſt. Imprimis enim diuinæ offenſæ timorem, ſi ex horrore & metu ſupplicij concipiatur, cùm ſeruilis ſit atque imperfectus, conſtat primam duntaxat radicem eſſe, & inchoationem quandam ſapientiæ, neque aliter, quàm pro fructu necdum ſatis cocto à ſapientia præmitti. Verùm ſi timor is ſit, qui eſſe debet, diuini Amoris genuinus partus, certum eſt non modo pręcipuam fore ſapientię partem; ſed ſingulare quoddam decus atq; ornamentum. Porrò quoniam qui aliquem amat, ideoque timet ne offendat,
id

id etiam odio habet ac fugit, quòd alterum nouit odisse atque auersari: necessariò, quòd alterum est Salomonis oraculum, *Timor Domini odit malum:* peccatum, inquam, dirissimam illam animorum pestem horrorificumque monstrum: quod simpliciter atque omnino ita malum est; vt cætera quæcumque cum eo collata, ne mali quidem nomen mereantur. Verùm, priusquam illius aut fœditatem, aut malitiam persequamur (quod proprium est huius loci) conceptum ex sacro offendendi Numinis timore, peccati admittendi metum atque horrorem, viam, gradumque esse ad sapientiam demonstremus. En tibi oraculum.

§. II.

Peccatum pugnat cum Sapientiæ studio.

IN *maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Spiritus enim sanctus effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Nimirum, cùm eximium quoddam istud sit Spiritus sancti do-

num, nefas ſit ſuſpicari concedendum ijs, qui ſe ipſius Numinis hoſtes infenſiſſimos profitentur: ſtulti verò, & amentis hominis eſt, ſtudio & labore quantumuis improbo ſperare conſequi, quod, niſi pacato propitioque Deo, impetrari non poteſt: accedit, eſſe peccati grauioris, ſi foueat cor vim ſapientiæ ita hoſtiliter infenſam, atque aduerſariam, vt ſibi cum illa nullam retineri ſocietatem patiatur.

Vt ſapiens ſis, aut vt omnino euadas, cōpoſitas eſſe oportet animi appetitiones, apprehenſiones rerum veras, valere memoriam, ingenij aciem, iudicijque vim adeſſe maximam: mentem denique ne quid ſerijs ſtudijs obſtrepat, ſibi ſemper præſentem: atqui flagitijs dediti homines, appetitiones habent efferatas, bellis cupiditatum inteſtinis exagitantur continuò, imaginationes verò fœdas, ac plerumque rerum falſiſſimarum idola ſibi ipſis effingunt, memoriæ officinam confuſiſſimarū imaginum iſtarum tumultibus perturbant, ingenij ſui neruos animi mollitie debilitant, mentis oculos aut eruunt, aut obcœcant: ita denique deuaſtant commiſcentq; omnia, vt inter tot motus audiri Muſæ pacis, & odij amantes neque velint, neque

que verò possint. Itaque quàm fieri nequit, vt nube densâ, solem intercipiente, aut in cœnoso fonte oculus cœlestes radios aspiciat, si ipse præsertim noxio humore sit impeditus: ita abstrusarum rerum reconditas veritates vitiosus animus assequi non potest: & vt ista non sint, quæ diximus; tantæ tamen sunt in flagitiosis hominibus procellæ, quæstiones, tormenta, honores, metus, trepidationes, fugæ, examinationes: vt viuere, nedum philosophari neque libeat, neque vacet. Audiamus super ea re grauissimos scriptores. *Ipsas*, inquit Seneca, *nequitia tenebras timet: prima & maxima peccati pœna est, peccasse: nec vllum scelus impunitum est: scelus in scelere supplicium est, proprium est nocentium trepidare.* Paria habet S. Augustinus. *Quisquis malus est, male secum est, torqueatur necessum est, sibi ipsi tormentum est, ipse enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua, fugit ab inimico quò potuerit, à se quò fugiet? Quocunque fugerit se talem trahit post se, & quocunque talem traxerit se, cruciat se.* Iam Chrysostomus. *Explica mihi* (ait) *istius epulonis conscientiam, & videbis nimis grauem peccatorum tumultum, ingem metum, tempestatem, turbationem. Videbis, velut in curia, mentem ad thronum conscientiæ consedisse*

Ad Luc. epist. 97.

In Psalm. 36. & 45.

Conc. de Lazaro.

sedisse, regalem & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraq; conscientiæ radentem vngulis, pro commissis; Rem deinceps oculis subijcit. *Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit diues, etiamsi nullum habeat accusatorem: non desinit tamen intus seipsum accusare: & voluptas quidem temporaria est dolor verò perpetuus, timor vndiq; ac tremor, suspicio & anxietas; angulos metuit, vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit: Virum, quem affecit contumeliâ: obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cùm sit sui-ipsius iudicio condemnatus, nec ad breue tempus possit respirare. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt: hoc & ebriosi: in summa, quotquot in peccatis viuunt.* S. verò Ambrosius tres producit scelerum carnificinæ testes, Adamum, Cainum, Dauidem: quorum primus cum Dei in paradiso ad auram inambulantis, propiusque aduentantis strepitum inaudisset, & necdum ad supplicium deposceretur, tamen fugit sui malè conscius atq; in latebras se abdidit. Alter veritus, ne ob fraternum parricidium, à quocunque obuio necaretur, in se

In Apolog. Dauid c. 9.

ſe tulit ſententiam, quòd dignus eſſet cui nemo ignoſceret: itaque cùm nullibi conſiſtere poſſet, vagabatur, & oberrabat. Dauid denique idem de ſe fatebatur, *Peccatum meum contra me eſt ſemper*, id eſt, vt S. Ambroſius eſt interpretatus, ſine interuallo aliquo recordatio & ſpecies ipſa mei me erroris impugnant: diceres militem armatum continuò ei obuerſari ante oculos, vbique occurrere, incurrere, extrema minitari. Artemonem facilè prætereo, ne profana ſacris immiſceam: ille tamen ob inſignem improbitatem atque nequitiam, adeò fuit meticuloſus: vt cùm foris continuò in lectis portaretur, domi tranquillè deſidenti duo famuli ſcutum æreum ſupra caput ſuſtinere iuberentur, ne, neſcio quâ re ex alto decidente, aut improuiſo aliunde telo feriretur. Pſalm. 50. Cauſſin. in ſymb.

At ne vetera magnopere requiramus, res ipſa quotidie loquitur. Vide tu mihi pauculos ex iſto hominum flagitioſorum grege, Deus bone vt erubeſcunt, vt pallent, vt palpitant, vt dies ac noctes diris modis lancinantur? Pręторem, lictorem, carnificem, vbique inſtare, adeſſe ſuſpicantur: tonat, fulminat, grandinat? peti ſe, iam iamque feriendos arbitrantur. Hinc fuga & late-

bræ: verùm frustra: vt enim ij, qui ad mortem ducuntur, furcam & laqueos suos; ita illi excarnificantem conscientiam secum ferunt: quocunque enim se proripiant; incurrunt in Deum improbitatis testem, iudicem, vindicem. Neque verò ista tantùm, quæ reuera horrenda sunt, isti timent; sed vmbras ipsas, exanguia spectra, inquietæ mentis inania somnia, strepitus foliorũ, pedũ strepitus, insidias omnium, etiam amicorum perhorrescunt. Agedum: vt res, quæ tanti est ad horrorem peccati cõcipiendum sapientiamque comparandam momenti, sit testatior; è sacris ipsis literis idipsum comprobemus.

Cunctis diebus suis (verba sunt sacra
Iob 15. apud Iobum) *impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod de tenebris possit redire ad lucem, circumspectans vndique gladium. Cùm se mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Tenebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem qui præparatur ad prælium.* Legunt alij, *ad rotam.* Quid grauius dici potuit ad exponendam improborum calamitatem? succinctè Salomon, *Peccatores*

catores persequitur malum, fugitque impius nemine persequente; rationem adfert Sapiens, *cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia. Siue enim spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.* Quid esse potest calamitosius? si ea, quæ fere cæteros oblectare solent, lenis auræ sibila, garrientium volucrum suauitates, lene labentis aquulæ rythmi, bonæ mentis oblectamenta, improbis timori sint, horrori, dolori? quis verò in tot, tantorumque malorum equuleo atq; catastâ distentus, vt in Ixionis axe, aut Sysiphio saxo, aut in ipso Phalaridis candente Tauro distractus, commolitus atque immugiens, satis tamen habeat aut animi, aut virium, vt ei etiam tum liceat, libeatve philosophari? Sap. c. 17.

§. III.

Sapientes id vident, & curant; ſtulti illudunt.

AT ſapientes quidem id vident ſcilicet, & apprimè curant, atque adeò cauent; ne quod grauius animo flagitium deſignent, aut admittant: alijs perſuadere etiam ſtudent: vt peccati tanquam fœdiſſimæ peſtis odium concipiant. Hinc iſtud Iehu filij Naue monitum, *Quaſi à facie colubri fuge peccatum, dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas.* Hinc Tobiæ quoque ſenioris ad filiolum iſta, cùm teſtamentum conderet, adhortatio. *Omnibus diebus, vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue aliquando ne peccato conſentias.* Extat & inter ſanctiſſimi Ludòuici Francorum Regis diuiniſſima pręcepta, quæ Philippo primogenito ſuo in Tunetana obſidione dedit, hoc documentum. *Caue ne vnquam admittas peccatum mortiferum: ſed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam.* Quam legem procul dubio ipſe

Eccleſ.c. 21.

Tob.c.4.

à te-

à teneris annis Ludouicus à Blanca Matre ſanctiſſima hauſerat : imò aure altè imbiberat, cuius iſtæ fuerant ad aures pueri continuæ næniæ *mori potiùs, quàm fœdari*, quæ & muris Alpini natura eſt, & eorum, qui martyrium ſubiere, optimum ſemper factum extitit. Omitto Edmundum & Anſelmum ſummos Cantuarienſium & ſanctitate celeberrimos Antiſtites : quorum prior dicebat, malle ſe in ardentiſſimum rogum, alter etiam in ipſa inferorum incendia conijci, quàm vt vel in vnum mortale peccatum conſentirent. Omittere tamen non poſſum acerrimũ opportuniſſimũque hoc in negotio magni Thomæ Aquinatis iudicium : is ad quendam qui de modo acquirendi ſcientiam quæſierat, epiſtolam conſcripſit, quâ innocentiam, peccati præcipuè horrorem commendat. Totam hic ijſdem verbis addo. *Quia quæſiuiſti à me in Chriſto mi chariſſime N. qualiter te ſtudere oporteat, &c. tardiloquum te eſſe iubeo, conſcientiæ puritatem amplectere: orationi vacare non deſinas, nihilq; penitus de factis aliorum intromittas, nemini te multum familiarem oſtendas, diſcurſus ſuper omnia fugias, ſanctorum & bonorum veſtigia imitari non deſinas, & quæ legis & audis, fac, vt intelligas: altiora te ve*

te ne quæsieris : ita frondes ac fructus in vinea domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam habebis, proferes ac produces : hæc si sectatus fueris ad id attingere poteris, quod affectas. Verùm ista viri illi sapiunt, vident, sentiunt: peccator cùm peccati leprâ infectus sit, miserrimeq́ue cœcus, atque amens, neque sentit, neque videt, nec sapit: quo deploratissimo statu nihil fingi potest infelicius : frustra verò aurem vellices, acrius pungas, expergefacere coneris: ferreo somno ille sepultus iacet, quo sopore nullus esse queat, aut profundior, aut lethalior. S. Augustinum testor, quem in flagitiorum cœno semel altè decumbentem tam brutus sopor obligarat, vt res eum nulla excitare potuerit, donec vis maior è cælo adamantinas compedes effregisset : si diu multumq́ue percusseris, eriget fortassis nonnihil palpebras graues, osq́ue plumbeum resoluet in somnolentas, voces, imperfectasq́ue, nescio quas murmurillationes, quibus sana monentem pro deridiculo habeat, & quæ de peccati dedecore, turpitudine, damnis proponuntur, exsibilet, atque pro inanibus nænijs, fabulis, anicularum terriculis illudat. Salomonis istud est: *Stultus illudet peccatum.* Quid vero isto homine pecude

In lib. Confess.

pecude agas? igitur relabitur mox in exitialẽ sõnum, obſtinatiuſq; cõſtringitur, atque arctius ſuo ſe vinculo implicat, quanquã non iam ſomnus futile mortis ſimulacrũ, ſed atra, tetraq; mors dicendus eſt, ita ſine ſenſu & animo peccator iſte obduruit, lapiduit, denique mortuiſſimus eſt. Hoc etiam docuit Salomon, *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.* Tundenda tamen peccatoris mens licet ferrea; nam crebris fortaſſis ictibus perfringetur, emolleſcet ſaltem: Ipſis, inquam, ſi fieri poteſt oculis, peccati dedecus, infamia, turpido ſubijcienda; pudor fortaſſis aliquis ſuborietur, mox etiam horror: & quoniam ſuis commodis omnia metiri ſolent improbi, enumeranda damna atque naufragia, quæ peccatum in vitam noſtram inuehit, & poſt mortem infert grauiſſima incommoda, vt ſua acerbitate nonnihil commoueant, inſanumque hominem, ad ſaniora conſilia deducant.

§.IV.

§. IV.

Peccati grauitas & damna.

SI virtutis diuina ſpecies, quod Platonem dixiſſe accepimus, oculis corporis cerni poſſet, mirabiles ſui amores in hominum animis excitaret: ita ſi peccati turpitudo è contra ſeſe, quæ & quanta ſit in aſpectum daret; ſuſpicor ego fore omnino neminem, qui non exhorreſceret, atque refugeret; verùm ea fœditas aureo & gemmeo gypſo adhibitiſque boni cuiuſdam coloribus obducitur, mentitur, fallit. Agedum omnem iſtam laruam, fucumque detegamus: vt qualis demum ſit res ipſa, cognoſcatur.

Grauitas ex inobedientia & rebellione contra Deum diuinaſque leges.

Peccatum præſertim ſi mortiferum ſit nefaria quædam eſt perduellio, qua refractarius homo ac cęlo rebellis diuinarum legum iugum excutit, & ab ipſo Deo infinito bono, bonorumque omnium inexhauſto fonte auerſus eius ſupremæ maieſtati ac poſſeſſioni, in qua ſita eſt vera felicitas, rem quampiam vilem vnius oboli, nulliuſque momenti amplectitur, honoris, inquam, fumos, opum quiſquilias, voluptatum cœnum, vaniſ-

vanissima idola vero Numini anteponit; desertis legitimi ducis signis, atque castris, idē impius transfuga ad capitalissimi tum Dei, tum hominum hostis partes, infami proditione transuolat, hunc deinceps dominum agnoscit, huius nutus obseruat, imperijsque indignissime paret; igitur peccatum immane sacrilegium est, quo anima de veri domini potestate, cui iure mancipij atque emptionis, alijsque sexcentis nominibus reuincta erat, detestabili rapina subducitur, vt impurissimo prædoni diabolo tradatur: spirituale adulterium est, quo eadem illa, quam sanctè nouit, fidem confringit & violat: vexillum est dæmonis, quo Reprobi omnes constricti tenentur, atque mortis, æternorumque ignium stipendia merent, militant, pugnāt: vinculū est, quo hominem Cacodæmones arctissimè obstrictum captumque detinent tam durâ tyrannide; vt nodos soluere, aut omninò frangere vis creata nulla possit, ac ne diuina quidem effringat, nisi valido fortique conatu: reluctatur enim diu multumque ferus animus; siue quia iam seruitutem suam demens amat; siue quia Circæâ potione ebrius miserabili metamorphosi bestiam induens, humanitatem

propè

propè omnem rationemque ipsam exuit. Ex quibus rebus omnibus facile quiuis sanæ mentis intelligit peccatum, cùm ex se & sua natura nihil sit, aut tenue quidpiam, idemque ementitum bonum; reuera tamen infinitum quoddam malum esse, atque in sinu tegere malitiam infinitam, amentiam singularem, summam infirmitatem, atque iniuriam in Deum incredibilem, impugnat enim, atque si fieri posset, de medio tollere nititur bonitatem Dei immensam, sapientiam inexhaustam, potentiam iustitiamque omnimodo, ac fine ęternùm carituram. Cogita hic tu mihi (vt quod est in eo, quod tractamus, indignissimum & totius nequitiæ caput, oculis obijciatur) cogita, inquam, Deum, naturam infinitæ dignitatis, tum verte animum in hominem, quem verò? lutum ex miserijs omnibus confictum, rem abiectissimam, proiectissimam, hunc in illum insurgere, imminuere velle diuinam maiestatem, leges sanctissimas pessundare, pleno ore, fronte impudentissima, palam, eius imperijs obluctari, & dicere, *non parebo, non seruiam:* demùm ad Dei hostem teterrimum confugere, & perduellem agere. Quid dici potest in Numen

men iniuriosius? præsertim cum huius tantæ perfidiæ causa fuerit nulla, nisi impurus reculæ nescio cuius amor, contempto ipso Creatore; quo? scilicet eo, qui in hominem ingratissimum tot beneficia contulit, & quidem immerentem, vt vel multitudinem, vel magnitudinem æstimare, nulla ingenij vis possit: quid si adhæc adiungamus insignem quoque illam in Christum Seruatorem contumeliam, cædem, barbariem? si dicamus peccato, quod Apostoli Pauli testimonio certissimum est, sanguinem testamenti pollutum duci, filium Dei cōculcari, contemptui haberi, iterum cruci suffigi, an non exclamare & ingemiscere lubebit? O crudelitatem atrocissimam aduersus nostræ vindicem libertatis! ô infandam diuino sanguini illatam iniuriam! ô mentem sceleratissimam, quæ tantum facinus vel cogitare, ô linguam, ô manus, ô pedes omni supplicio perdendos, qui perpetrare atque exequi audeant! Et ô benignitatem Numinis, in hominis tam improbi, ac perditi scelere tolerando, in beneficijs etiam cumulandis planè admirabilem, summisque laudibus efferendam! Deum immortalem! quænam hæc est quorundam hominum tanta

per-

peruersitas, aut quæ humanæ mentis infirmitas, aut cupiditas tam effrænis, vt tam facilè peccato, cui tantum nequitiæ inest, sponte succumbant? nimirum ista, quę à sensibus paulo remotiora reconditioraque sunt, homines isti hebetes ac stupidi minimè percipiunt.

Damna peccati.

Conijciamus igitur nunc quasi in cumulum damna & supplicia, quæ à peccato proueniunt: vt quos amor diuinus, nec in officio continet, neque abductos reuocat; incõmodorum grauissimorum, acerbissimarumque pœnarum metus refrænet atque deterreat; atque vt hæc ratio altiùs fodiat fortiusque vulneret; peccatorem vnum aliquem (ita enim ista certius ferient) alloquamur. Ergo Dei gratiâ iam excidisti, infœlicissime homuncio, diuinumque illud esse, quod in filium adoptatus cælique hæres scriptus acceperas, perdidisti? ita nunc detractâ nobilitate, diuinâ illâ ingenuitate, Deique familiâ atque vitæ hæreditate deturbatus iuberis exulare aulâ, & solum turpiter vertere, diuinæ maiestatis desertor & hostis. Neque verò ista simplex est gratiæ, amicitiæque diuinæ iactura: quam indueras, prætextam charitatis reliquarumque eius comitum, & Christiani hominis

hominis virtutum ampliſſima ornamenta offenſum numen ſummo cum dedecore abſtulit: ita cum filio prodigo paternâ domo exul & vagus, regiâ dignus mensâ inter porcos iaces fame prope enectus, neque à veſtibus modo & delicijs nudus & egens: ſed ſpoliatus præterea (qui alius eſt funeſtiſſimus caſus) ab omni illo meritorum pręmiorumque cumulo, quem aut eleemoſynis, aut multis ad Deum fuſis precibus, aut alijs aliarum virtutum pretijs, tibi compararas, in eam te miſeriam conieciſti, vt quamdiu in eo, in quo es, ſtatu verſabere, quantumuis multa benè laudabiliterque geſſeris, ad mercandam cœleſtis gloriæ felicitatem, nihil vnquam valitura ſint. Perge miſera atque miſerabilis Animula, & ſaltem te aſpice, & quæ nunc ſis, vide: quæ? diuinæ maieſtatis perduellis; nam auſa es ſanctiſſima decreta impudentiſſimè perfringere: quæ? tuijpſius viliſſimum mancipium; ſeruire enim fœdiſſimarũ & efferatarum appetitionum, quam Dei perhonorificam ſeruitutem vecors maluiſti; illi iam te voluntarij carnifices ac tyranni torquent, dilaniant, excarnificant ijs conſtrictam loris ac vinculis, quæ tute tibi innexuiſti: Iniquitates iam illæ tuæ

Seruitus peccati & turpitudo.

te cœperunt, & funibus peccatorum tuorum constringeris. Quasi verò hoc satis miserum non sit, tartarei quoque Cacodæmones, in quorum potestatem volens te dedisti, tyrannidem in te suam exercent, te summo aditæ possessionis iure exagitant, quo iugo non video, quid esse possit sæuius. Iterum te contuere, tuamque, ô peccans Anima,
Thren.c. 4. turpitudinem: *Denigrata est facies tua super carbones*, itaque stygio tenebrione facta es iam terrior: nam quæ peccati labes eum fœdissimè turpauit, eadem te nunc macula dehonestat. O si videres! ô si fœtorem saltem, profluentemque è peccati vlcere graueolentiam, pestiferamque mephitim, sentires saltem:
Iob c.1. *Computruisti enim, vt iumentum, in stercore tuo*: ô si sentires! exhorresceres fortassis: verùm æquè naribus atque oculis captus, bis homo miser, neque vides tuorum flagitiorum deformitatem, neque fœtorem percipis; an communi etiam sensu cares? obbrutuisti. Fuge, fuge, Angeli diuinæ iustitiæ administri ac vindices, diutius te Principis sui charissimam olim sponsam, Christi cruore emptam, elutam, exornatam, ad insanos vilissimarum rerum amores abiectam, in eoque cœno volutari non ferunt; sceleris

leris atrocitate, odio, vindictæque facibus accensi, iam iamque gladios, quos pro officio gerunt, etiamnum tot impiorum hominum repetitâ cæde cruentatos, adhucque calentes in te distringunt, te vnum quærunt ad cędem, & ecce inuolant: Tutelaris Genius recessit à te longiusculè, & propè nudum iam ictibus latus deseruit, certè mœret, & malè metuit, quid enim? Deus ipse, qui cum vitijs immortale bellum semper indixit, intulit, gessit, in tuam perniciem arma iam sumpsit, vnum te ore, oculis, manu, deposcit: Audire, videre eum videor; micant ex irati vultu irarum, flammarumque globi, *Vbi est?* inquit, *iuxta est dies perditionis, viuo ego in æternum, si acuero, vt fulgur gladium meum, reddam vltionem, inebriabo sagittas meas sanguine.* Tonat, fulminat, exeruntur iam lacerti, in certum vulnus fugit sagitta, & ferit. *Nisi conuersus fueris arcum tetendit. & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Mors arcus sonitum expectat, & nutum iaculatoris; crispisulcans fulmineumq; telum iam intentat, quo minimè reris tempore per insidias necatura. Sequetur deinde iudicium: hîc horrida sunt formidabiliaque omnia, exactissimum

Deuter. 32.

Psal. 7.

tribunal; Accusatores importunissimi atque acerbissimi dæmones, ijdem lictores & carnifices, aspectu clamoribusque perterrefacientes; subscribent testes omni exceptione maiores: quanquam his nihil opus erit, ipsa pro mille aduersarijs aderit, sufficietque scelerum conscientia accusatrix & testis. Iudex verò quis? sapientissimus, acerrimus, & iam implacatus atque inexorabilis, qui vbi plagas, crucemque tui causâ illatas fortiterque perpessas exprobrarit, totiesque, quoties lethale crimen perpetrasti, inflicta quodammodo denuò vulnera, exulceratasque iterum cicatrices, conculcatum pedibus sanguinem, cæli terræque pretium obiectarit: capitalem sententiam tandem proferet horribili ista formulâ. *I, maledicte, in ignẽ æternum*, quod fulmen vbi contorserit, peractum est, illicò dehiscet terra, patescent inferi, dęmones pertrahent, proque momentaneâ voluptate, ęterna supplicia repetent; trutinare, expende, ardendum est quamdiu Deus erit Deus; cælum erit cælum, inferi erunt inferi: ista verò duo verba diu metire, *momentum, æternitatem*. Bene est, nonnihil ista te, miser peccator, concutiunt atque commouent: igitur dum ferrum calet, pertundamus,

damus, & partim ex ijs quæ verbo tetigimus, partim ex alijs quibuſdam capitibus producamus remedia, quibus peccati tam graui malo medicinam aliquam faciamus, ſiue ad curationem, cum incideris; ſiue ad cautelam, ne vnquam tantis te periculis exponas, ſtatim illud ex ſacris literis alexipharmacum occurrit.

§. V.

Peccati remedia.

Memorare nouiſſima tua & in æternum non peccabis; tum illud, *Deum time & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato ſiue bonum, ſiue malum illud ſit.* Verùm recentem ſemper viuamque eſſe oportet iſtarum rerum memoriam, tumque præſertim viuere debet: cùm tentator dæmon acrius inſiſtit, & vehementius inſultat: quem in vſum ſi ſapere velis, efformabis frequenti exercitio in mentis tabellâ, nouiſſimorum expreſſas imagines: id eſt, definies tibi in ſingulos dies tempus, quo ſolus tecum attentè & ſeriò mediteris, mortem, Iudicium, Inferos,

Eccl. 7.
Eccl. 12.

quo de argumento quædam dixi in lilio Mariano, vnde huc punctula adducam exiguis ad tristitiam tetrarumq; rerum horrorem mitigandum adiectis luminibus. Occurrit prima mors in cuius frequenti meditatione quantum virium insit ad peccati fugam, docuit olim S. Augustinus, *Si diem*, inquit, *mortis suæ homines cogitare vellent, animam suam ab omni cupiditate & malitia cohiberent*, addo è mundo ipso longissimè ab omni peccandi occasione diffugerent. Ita Adolescens quidam non ita pridem, cùm Nobilis alterius iuuenis sepulchrum apertum vidisset, introque adspectasset horridis ossibus perterrefactus. *En*, ait, *quod hic fuit, ego sum, & breui ero, quod hic est:* nec plura: mox secessit in solitudinem, sibi Deoque posthac victurus: tantumque profuit; vt non virtutibus modo, sed etiam miraculis inclaresceret. Rectè monet Poëta ille:

Serm. 3. de Innoc.

Horat. *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

Quid ex eo boni speres? S. Basilium accipe. *Semper ante oculos tuos versetur vltimus dies: cùm enim diluculo surrexeris, ad vesperam te ambigas peruenturum, & cùm in lectulum membra tua posueris ad quiescendum,*

cendum, noli confidere de lucis aduentu: vt facilius possis te refranare ab omnibus vitijs. At dæmon scilicet, quia istud quantum valeat, nouit, mortalium oculos configit, ne mortem cogitent; quid enim aliud est causæ; cur, (quod miratur S. Eutherius) cùm nihil ita quotidie homines vt mortem videant, nihil ita obliuiscantur, vt mortem? Quid istud quęso, quid istud est? Horreo, ais; quid horres, & refugis? siste tantisper, & osseum istud mortis cadauer fixis oculis contuere: puerilis est iste timor, insolito spectro commoueris, assuesce, etiam ridebis: in cælum minacem Rhodium olim illum Colossum peregrini, cùm primùm adspectarent, quasi ceruicibus suis iam iam impendentem atque deciduum reformidabant: ciues, qui eo ostento assueuerant etiam cum voluptate contuebantur: tanti est rebus quantumcunque horrificis assuescere. Refert Ortelius scriptor grauis nonnullis populis in more positum fuisse: vt mortuorum ossibus pro nummis vterentur, neque illis (quod forte arbitrere) auro, argento vel ære incisis imaginibus; sed reipsa mortuorum reliquijs: opinor vt emendo vendendoque, nundinando, alteri alteris

In paræ-net.

Apud Caussin. in symbol.

quasi istud sibi sapiens monimentum obtruderent. *Viue memor lethi.* Omitto Ægyptiorum mensas, in quibus ossea mortis simulacra circumducebantur: vt conuiuæ eo tempore quo mollis obliuio facilius obrepit, mortales se esse meminissent: & sanè tum præsertim expedit, ne cùm potu vt fit, flagitia primùm imbibantur, deinde euomantur. Insolens magis hoc admirandum Domitiani Romani Imperatoris factum, si factum, vti refert in suo Domitiano Xiphilinus. Ille Imperator primoribus Senatorum, equestrisque ordinis conuiuium in hunc modum apparasse scribitur. Instruxit ædem omni ex parte nigerrimam; intus atra laquearia, parietes pauimentum; in eaque sedes nudæ collocatæ; quibus paratis rebus, in eas de more introduci iubet absque comitibus: horridum istud, etsi nihil præterea sequeretur: quid porrò? primùm omnium iuxta vnumquemque columnam collocat factam instar sepulchri, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque lychnuchus paruus, vt assolet in monumentis; satisne? tum nudi pueri atramentoque obliti tanquam spectra ingrediuntur, eosque horribili saltatione circumdant: ad extremum

mum, omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi ſolent in vaſis eodem modo eis appoſita fuerunt: cœna interim peragebatur, ingens ſilentium, vt qui timore pœnè extincti eſſent; Domitiano inſuper ſermonem de re, quæ ad mortem & funera pertinent, ſuper menſam ingerente. Vtinam tyrannus iſte in ea funeſtâ Lybitinę cœna, aut tragica potius humanæ vitæ ſcenâ ſapere didiciſſet. Tu ſaltem, Academice Adoleſcẽs, ita Philoſophare: Philoſophare omnino, dicere enim Platonem ſolitum ferunt, Mundum Academiam quandam eſſe, in qua ſtulti de vita, ſapientes de morte cogitarent, nihilque eſſe aliud philoſophiam, quàm ſtudioſam mortis meditationẽ. Quod ſi à Domitiani illo funebris epuli apparatu adhuc abhorres, neque opiparas eiuſmodi menſas, aut inſtruere licet, aut non libet: accipe aliud probi Adoleſcentis bonum factũ, quod ſine ſumptu nulloque negotio imitabere. Hic libidinum facibus vehementer inflammatus abijt ad cœmeterium; nares faciemque lotam in putrefacti corporis cœnum immergit, tam diu in eo tabo hæret, dum præ fœtóre tantùm non exanimis concideret; atque ita facile libidinem omnem abiecit. Cantiprat. l. 3. c. 3.
Quidni

Quidni tu eo exemplo exiguam ſoli ſepulchralis particulam auferre, ſtrophiolo includere, tecum geſtare, & cùm ad flagitium pertentari te ſenſeris, applicare ad oculos, aut etiam ad nares poſſis? Neque iſtud placet? cùm eius facultate, penes quem ea eſt poteſtas, demortui hominis cranium tolle, & colloca ad cubiculi menſam, aut lectuli ſpondam: at ne hoc quidem ſpectrum arridet. Igitur pictam ſaltem, aut ſculptam habe penes te mortis effigiem, in eamq; obtutum ſæpe fige, tum verò pręſertim tibi obijce, cùm ad peccatum concipiendum perpetrandúmve ſtimularis, nihil ea re expeditius: atque ita fecit Adoleſcens ille, de quo Pontanus noſter in ſuis Atticis bellarijs, per cubiculi latera mortis effigiem affixerat: vt quamcunque in partem adſpiceret ea ſibi occurreret, ac mentem finiendæ aliquando huius vitæ memoriâ fodicaret. Inſcripſerat autem varijs illis imaginibus varios verſus: Vni quidem *Viuens ſemper morere: vt mortuus ſemper viuas*, alteri verò: *Vt moriare, opus eſt mortem præuertere morte:* Tertiæ etiam cuidam mortis imagini hoc carmen adſcripſerat.

Semina nequitiæ languidiora facit.

Tu-

Tu etiam his verbis mentem altè vulnerato, ſtatim atque videris te ad ſcelus impelli: *Egone vt conſentiam mox putridum cadauer, vermiumque vile pabulum futurus? tam ſim amens? at neſcio diem, neque horam. Forte hac die, hac hora, hoc momento moriar.* Quid tum verò? Iam tibi hic ſtatim in animum recurrat exactiſſimum illud ſupremi Iudicij tribunal: ita præcipitantem in flagitium temet refrænabis, *Si quando* (ait S. Baſilius) *ad vnum aliquod cieri aut proſilire peccatum te videris, mihi ad mentem reuoca, formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Chriſti Iudicium.* Ac deinde poſtquam iudicij iſtius formam omnem deſcripſit, hæc ſubiungit. *Hæc tu time, & eiuſmodi timore eruditus, quaſi fræno quopiam ab arce animam & inhibe ad vitioſam concupiſcentiam propendentem.* Porro quãtum ille diuini iudicij terror valeat, in Bogore Bulgarorum Principe olim intellectum: is ſupra modum venationibus delectabatur, quâ voluptate cùm cuperet frui, non tantùm cùm venatum iret, ſed etiam in otio; atque eam in rem domum nouam ędificaſſet, Methodio Monacho Româ oriundo pictori non ineleganti negotium dedit, eam vt totam hiſtorijs exornaret; diuino autem numine

In Pſalm. 33.

Cauſſin. in ſymb.

numine accidit, vt non nominaret animalia qualia depingi vellet; sed ex mero suo arbitrio ei totam sineret, modò terribilis pictura exhiberetur. Monachus secundum Christi Iudicis aduentum depingit, quod eo nihil terribilius haberet. Princeps hinc spectans piorum beatos cœtus, inde impiorum expressas effigies, extrema quæque perpetientium: edoctus ab artifice, quid sibi ista vellent, extemplo abnunciatâ superstitione suâ, religionem Catholicam est amplexatus. Si vmbra sic terruit, si muta pictura tantum habuit ad persuadendum eloquentiæ: quid ipsum corpus, quid res ipsa efficere in te deberet? hæc cogita quoties dæmon impugnaturus, & ad peccatum lacessiturus accedit. Ne ista quidem efferatam tuam peccandi licentiam, aut libidinem satis cohibent, Academice Adolescens? iam restat illud vltimum: *vt viuus descendas ad inferos*; viuus inquam, ne mortuus in istud barathrum abripiare.

Caussin. supra.

Refert Athenæus glacie confectos pisces nonnullos, non sentire, nec moueri, priusquam in patinas coniecti elixentur: is est improborum quorundam stupor, nihil percipiunt antequam Inferorum flammas experiantur: ne tu, quæso,

quæſo, ex eo hominnm, piſcium, inquam, inſulſo genere eſſe velis, ſed nunc potius dum vacat, ſeriò, diu multumque cogita (quæ ſtudiosè olim B. Proſper expendebat) *Quale malum ſit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatiſſimâ ſanctorum omnium ſocietate priuari, fieri patriæ cœleſtis extorrem, mori vitæ beatæ, morti viuere ſempiternæ, in æternum ignem cum Diabolo & Angelis eius pelli, vbi ſit mors ſecunda, damnatis exilium, vita ſupplicium: non ſentire in illo igne, quod illuminat, ſentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles crepitus pati, barathri fumantis amarâ caligine oculos obcœcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, in æternum dilaniari vermibus, nec finiri, hæc & ſimilia multa* (ſubdit idem vir ſanctiſſimus) *cogitare nihil eſt aliud, quàm vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnis refrænare.* Eſt autem in cruciatuum iſtorum calamitoſiſſima acerbitate maximè expendenda pœnarum æternitas: nam malum quoduis, & ſi fortaſſe graue, tamen tolerabile videri poſſit, ſi aliquando finem habeat; ſi verò æternum eſt, etſi aliqui leue, infinitum quoddam eſt malum, & longè acerbiſſimum: iam verò, *Tam diu durabit* (Bellarminum audi diuinum illum hominem) *tamdiu*

L. 3. de vita contemplat. c. 12.

L. 2. de arte morien-di c. 3.

tamdiu, ait, *durabit habitatio impiorum, in tormentis gehennæ, quamdiu durabit æternitas Dei, quę sicut principio caret, ita carebit & fine. Tamdiu torquebuntur damnati, quamdiu lætabuntur beati, denique reprobi tamdiu morientur, quamdiu Deus ipse viuet, & nisi desinat esse Deus, quod est, non desinent improbi esse in pœnis, in quibus sunt. O vita mortifera! ô mors immortalis? si vita es, quomodo occidis? si mors es, quomodo duras? neque igitur mors, neque vita ducenda est, quoniam vtrumq; horum boni aliquid habet; tu vero neque quietem, neque finem habes. Quid igitur te esse dicemus, nisi id totum mali, quod & vita & mors habet?* tum subdit, *hæc sola cogitatio tanquam frænum quoddam omnes hominũ libidines coërceret, & ita nostram vitam temperaret, vt non Christiani modò, sed etiam Anachoretæ sanctissimi omnes esse videremur.* Sequebatur, vt de contritionis sanctæque Confessionis frequenti vsu (quæ duo sunt potentissimę ad peccati Babylonicam aciem destruendam machinæ) nonnulla edissererem: verùm, quia commodius alibi de ijs dicendi locus suppetit; & fui, quàm cogitaram, in hoc capite longior, in præsens supersedebo.

ORA-



ORATIO.

Pro horrore peccati concipiendo.

MOnes, imò iubes Domine, vt tanquam à facie colubri peccatum fugiam, velle iſtud mihi adiacet, ſed perficere non valeo: niſi hanc meam imbecillitatem, Deus meus, ſpeciali tua gratia, ſuſtentes, ſentio enim aliam legem in membris meis contradicentem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: nimirum coluber ille blando cultu verſicoloribuſque ſquammis oblectat, & ſibilo mendaci blanditur, tumque primùm, cùm iam animo infuſum eſt virus, vulnus ſentitur, ſimulque perimit. Ne vnquam lethalibus blanditijs illis allectus à diuina legis tuæ obſeruatione abſtrahar, confige, bone IESV, timore tuo carnes meas, vt à iudicijs tuis timeam. Ecquis verò non timeat, conſiderans huius vitæ breuitatem, certiſſimæ mortis ſummam incertitudinem, vltimi iudicij acerbitatem, tartarearum pœnarum æter-

æternitatem? ſed tamen donum tuum eſt ſalutaris hic timor: eo confige non tantùm carnes meas: ſed etiam cor ipſum transfige; vt concipiam & parturiam, & pariam ſpiritum ſalutis. Initium enim ſapientiæ timor Domini. Timendum igitur mihi eſt, ſi ſapere velim, ſi æternum perire nolim; heu ęternum ne pereat ſeruus tuus, bone IESV, pro quo ſanguinem tuum fundere pro meis omniumque hominum peccatis crucifixus dignatus es. Amen.



SYM-

Ardens Castitatis studium. 18.



Fortior est qui se, quam qui fortissima Vincit.

M. baes. f.



SYMBOLI EXPLICATIO.


Dente timendum hoc mõſtrum Luxuria eſt, cui lupatos, frænumq́ue inijcere tam arduum eſt, vt pulcherrimum victoriæ genus haberi debeat, quia difficillimum. Inter omnia certamina Chriſtianorum, ait S. Auguſtinus, ſola dura ſunt prælia Caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria: grauem namque ſortita eſt Caſtitas inimicum: cui quotidie reſiſtitur, & ſemper timetur.

Armatus igitur ſit oportet Caſtitatis púgil, qualem Mineruam Caſtitatis præſidem poëtæ finxerunt: neque enim ſoli pugnant in Eccleſiæ Circo Martyres: ſed etiam armatæ Virgines bellant: ita (quod venerabilis Beda olim dixit) Eccleſiæ floribus nec roſæ, nec lilia deſunt; accipereq́ue poſſunt in cælo ſinguli

coronas vel de passione purpureas, vel de virginitate candidas: quanquam & ipsum tuendæ pudicitiæ studium genus etiam est Martyrij, grauitate fortè tolerabilius, sed diuturnitate molestius.

Quare vires humanæ hic minores sunt, quàm vt ijs sperari possit victoria, subsidium è cælo exquirendum: id verò fecit Sapiens: *Vt sciui*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset hoc donum: adij dominum & deprecatus sum illum*. Idem age, Academice Adolescens, aliorum quoque castissimorum Athletarum exemplo. Et ecce non modò spectatores Angeli Laureas, coronas, palmas prætendunt, sed adest ipse è cælo pugnanti Deus, vires domando hosti pares submittit, & victoriam spondet; generosè pugna.

CA-



CAPVT TERTIVM.

Ardens Castitatis studium.

M O N I T V M.

Corporis insolentiam reprimito, Castitatem colito, eidem tuendæ, & retinendæ studeto.

S A L O M O N.



X studijs suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius. Prouerb. 20.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. Prou. 22.


Purus sermo pulcherrimus, firmabitur à Domino. Prou. 15.

Quæ nesciuit thorum in delicto, habebit

bebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ. Sap. 3.

O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines: cùm præsens est, imitantur illam: & desiderant eam, cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Sap. 4.

MEN-



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Adolescentis pudicitia facit spem rerum magnarum.

QVod in plantis accidit, & herbis quibusdam: vt ex earum, dum adhuc teneriores sunt, quadam quasi externâ specie aut viriditatis aut floris, aut rei cuiuspiam alterius, liceat peritis diuinare de eo, quod postea secuturum sit; atque ipsi presertim Agricolæ plerumque è prima fuge coniectant, quàm opimam messem sint habituri: ita in hominum moribus euenit plerumque: vt antequam ad res magnas, vt ita dicam, decocti matutitatem suam assequantur, præferant ex primæuâ indole, quam sint Reip. ac Religioni frugem allaturi: quod & communis vsus docet, & è communi hominum sensu Salomonis Prouerbium. *Ex studijs suis*, ait, *intel-*

intelligitur puer; Atque adeò etiam Adolescens, vt 70. senes sunt interpretati: nam in istius ętatis mores si quis vel leuissimè animaduertere voluerit, mox intelliget, quid illi & quantum in reliquam vitam polliceantur. Etsi verò neque pauca, neque obscura sint eiusmodi indicia, ex quibus de secuturo fructu præsagire liceat: duæ tamen hæ res, facilitas & pudicitia, esse solent maxima, clarissimaqué signa optimę tum indolis, tum spei. *Si munda & recta sint opera eius.* Primùm si mores habeat rectos, id est faciles, non obliquos, non asperos: deinde si mundos, id est, vt ex voce Hebræâ est clarius, nitidos ab ea luce, qualem in puro auro videmus, cui neque impurioris metalli, neque aliarum sordium scoriæ vllæ adhęrescant. In aliquem eo nitore purum Adolescentem si aliquando incideris, latere puta intus auream indolem, spemqúe crede istic ali, nisi quid interciderit, rerum præclarissimarum. Metallicarum venarum indagatores præscribunt montem, qui auri argentiúe diuitias suis visceribus includit, sterilem esse, neque vllam, ne herbarum quidem luxuriem è solo suo profundere: ita docet Sapiens, (vt de asperitate ingeniorum nihil hîc dicam)
exterio-

exteriorem munditiem morum, quam pudicitiam appellare possumus, indicio esse latentis optimæ mentis, opumque futurarum in Reipub. bonum. Sicut è contrà nullum est vitę posterioris improbæ omen certius, quàm si in prima ætate mores impudentes exstiterint, atque impudici: impudicitia enim & libido omnes virtutum igniculos suffocat, vitiosisque ignibus bonarum rerum initia excoquit, vt propterea meritò inde nihil bonæ sementis, bonæve frugis exspectes.

Iam verò mundi illi Adolescentes, quales Academicos optamus, ignoti aut obscuri esse nemini possunt: studium enim statim produnt suum, tum vultu, tum ore, tum corporis habitu vniuerso: verecundiâ, inquam, atque ingenuo pudore: qui pudor, licet (vt est quædam exterior corporis affectio ex quadam appetitus sensitiui passione prouenienς, quod Philosophis Theologisque placuit) pro virtute minimè habendus sit: eo tamen nomine plurimam laudem meretur, quòd casti animi indicium sit; imò animo ipsi (quod S. Bernard. dixit) vt faciei pulcher color, venustatem ingerat, augeatque mirificè eius gratiam. Ser. 40. in Cant.
Est (ait S. Ambrosius) *verecundia pudicitia* Lib. 1. de offic. c. 18.

citiæ comes, cuius societate Castitas ipsa tutior est: bonus enim regendæ Castitatis pudor est comes; qui sese prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Addit præterea verecundiam omnibus quidem ætatibus, personis, vti temporibus ac locis aptam; sed Adolescentum maximè, Iuuenumque animos decere. Nullus pudoris orator Bernardo aut mellitior, aut facundior adferri potest, ita ille eloquitur. *Quid amabilius verecundo Adolescente, quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma in vita & vultu Adolescentis! quàm vera, & quàm minimè dubia bonæ nuncia spei, bonæ indolis index! virga disciplinę est illi, qui pudendis aspectibus imminens lubricæ ætatis motus, actusq́ leues coërceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquij & omnis deinceps turpitudinis fugitans? soror continentiæ est. Nullum ęquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis: & ideò etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis iugiter lucens: vt nihil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illicò prodat. Ita expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatę, specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte inue-*

Ser. 86. in Cant.

innexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet? vsque adeo genuinum animi bonum verecundia est, vt & qui malè agere non verentur videri tamen verecundantur. Neque his absimilia Ethnici tradiderunt: qui eam Adolescentiæ propriam esse virtutem, & veluti Regiam istius ætatis purpuram censuere. *Non ad quamuis* (ait Philosophus) *ætatem affectus verecundia; sed ad iuuenilem accommodatur. Censemus enim eos, qui huius ætatis sunt, veerecundos esse oportere: vt cùm non sine perturbatione viuant, multumq; ob hoc peccent, à verecundia prohibeantur.* Et Seneca, *Locutus est mecum amicus tuus bonæ indolis: vbi se collegit, verecundiam (bonum in Adolescente signum) vix potuit excutere, adeò illi ex alto suffusus est rubor.* Et mox. *Magis ille in Iuuenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons.* Idemque monet nutriendum esse adolescentis pudorem, quia, *quamdiu* (ait) *in animo eius durauerit, aliquis erit bonæ spei locus.* Ita Diogenes cùm vidisset aliquando Adolescentem inhonesto dicto erubescentem, *Confide* (dixit) *fili, ecce virtutis color est.* Quid Romanus Orator? sine verecundia nihil rectum, nihilve honestum esse posse; denique eam virtutem omnium reliquarum cu-

4. Eth. 15.
Epist. 11. ad Luc.
Epist. 25.
Apud Laërt. in vit.
Lib. 1. de offic.
In partit.

stodem

ſtodem eſſe, dedecus fugientem, & laudem maximam conſequentem.

Verùm iſtud hîc erit obſeruandum, non in ſolo frontis rubore, genarum igneo quodam colore omnem verecundiæ laudem contineri: nam etiam in capitis, ac ſupercilij demiſſione, in modeſtia oculorum, in oris cuſtodia, in toto reliqui corporis geſtu, atque habitu, atque adeò in ipſa quoque veſtiendi, incedendique ratione pudor, verecundiaque cernitur. Iam verò erga ſuperiores quidem, inferiores, pares ſemper pudens ac verecundus ſit Adoleſcens oportet, ac nunquam & nuſquam, magis, quàm erga fœminas, imò erga ſe ipſum; idque etiam ipſi Ethnici non obſcurè, noſtri autem ſcriptores diuinè præſcribunt. Pythagoras ita præcipiebat. Facies autem turpe vnquam nihil neque cum alio, neque ſolus: omnium maximè verecūdare teipſum. Idem monebant Democritus, Muſonius, Theophraſtus. Democriti hæc fuit digna cedro gnome. *Malum, etiamſi ſolus fueris neque dixeris neque feceris. Diſce autem teipſum multò magis, quàm alios vereri.* Muſonius ita monebat. *Verecundiâ apud omnes dignus habeberis, ſi primum teipſum vereri incœperis.* Denique Theophraſtus.

Apud Stobæ.

ius. *Reuerere* (inquit) *teipsum, & non rubesces coram alijs.* Nostri nunc super eadem re audiantur Tertullianus & Basilius ambo magni. *Vera, & tota, & tuta virginitas* (ait ille) *nihil magis timet, quàm semetipsam.* Basil. verò præstantius, *Virgo* (inquit) *sola quoque nullo prorsus hominum teste, nihil quod Sponso suo indignum sit, agere vllâ ratione patitur: etsi enim adsit nemo, ipsa tamen sibi virgo adest, debetque præ omnibus seipsam reuereri suamque conscientiam.* Li. de Rel. Virg. Lib. de Virgin.

Hæc scilicet legerant, aut diuinitus didicerant ex optimorum grege Adolescentes illi, quos accepimus pro more habuisse, vt cum se vesperi exuerent, aut induerent mane, talari veste sibi seipsos suffurarentur: ne qua pars nuda oculos vulneraret: quam exactam tuendæ Castimoniæ curam Deus ipse olim visus est, in Ammone viro sanctissimo, quodam prodigio approbasse: cùm enim is flumen esset transmissurus, & vestem ponere vehementissime vereretur, quòd se nudum vidisset nunquam, precatus elicitur, sibi vt vestito transuadare concederetur: moxque commendatus est insigni portento virgineus ille pudor: nam Angelus hominem Angelicè pudicum [in vlteriorem fluminis ripam, vt Rufin. l. 2. c. 30. Pallad. l. 8. c. 8.

erat indutus, tutò transuexit.

§. II.

Castitas iuuat ad sapientiam comparandam.

PORRO Castitatem plurimùm facere ad philosophiam comparandam, ex ijs, quæ suprà de vitio contrario diximus, facile colligi potest, idque disertè asserit S. August. *Gloriosum* (ait) *& insignem inter cæteras virtutes Castitas & Munditia locum tenet, quia ipsa sola est, quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum*. Tum in eodem pergens argumento. *Castitas cum humilitate Spiritus sancti meretur habitationem, quam expellit immunditia libidinum, dicente scripturâ corpus peccatis subditum Spiritus sanctus effugiet.* Demùm ita concludit, *Assuescat Iuuenis ad Castitatem: vt sit dignus sapientiâ.* Resque ipsa, vt cæteri taceant, loquitur. Castitatis enim proprium est vim imaginatricem, internosque sensus impudicitiarum stabula expurgare, mentem animæ oculum illustrare, appetitionum tumultuarios motus reprimere, efficere vitales spiritus limpidos, cerebrum attemperare, ac denique ex homine

Serm. 249. de Temp.

mine

mine efformare Angelum; id eſt, ad philoſophandum acutum & acrem. Certè videmus vnumquemque vt alios Caſtitate anteuertit, ita ferè ſemper ſcientiâ præſtitiſſe: in prophetarum choro Iſaias & Daniel excellunt: vterque virginitatem coluit. Inter patriarchas Ioſeph in diuinando habitus eſt diuiniſſimus: at tum maximè vaticiniorum laude claruit, cùm innuptus vixit, poſt nuptias conticuiſſe dicitur. Inter Euangeliſtas Ioannes Aquila, inter Apoſtolos Paulus Lynceos oculos habuit: inter Doctores Thomas de Aquino Angelus extitit: ijdem Virgines perſtitêre. Denique, quod aliàs à me eſt quoque notatum, Antonius in Syluis, in cellula Bernardus, in Oratorio Brigitta alijque vtriuſque ſexus plurimi ad ſummum ſcientiarum apicem pertigêre non alia ſtudiorum Magiſtrâ ac Præſide, quàm Caſtimoniâ: atque de Sybillis ipſis ſcripſit ipſe Hieronymus Virginitatis ſeruatæ præmium eis diuinitus datam diuinationem. L. 1. cont. Iouinian.

Verùm nihil ad hanc rem probandam plus habet momenti, quàm id, quod S. Greg. Nazianzeno olim acci-diſſe legimus.

Is enim Adoleſcens incredibili ſciendi

di cupiditate incensus cùm de rectâ ad sapientiam viâ, secum diu multumque cogitaret: duæ ei Virgines humanâ specie maiores spectandas se per quietē dedere: posteaquā præsentiâ suâ eum mirificè recreassent, & ecce, inquiunt, huc è cælo venimus à Deo missæ, vt tecum hospitemur: quia mundum tu nobis domicilium in animo parasti gratissimam nobis Cœlitibus Virginibus sedem. Altera è nobis sapientia, altera Castitas nominamur: ita perge porro non minorem morum puritati, quàm literarum studio operam locare. Quæ cùm dicere cessassent geminæ sorores, totam simul Nazianzeni mētē subiere, simul ex oculis euanuere. Cum ergo res ita sit, quod pridem te, mi Academice Adolescens moneo, castus sis, si sapiens esse volueris: Sororiantur scilicet duæ illæ virtutes, amantque & deposcunt eiusdem Hospitij societatem.

Iam ad Castitatis commendationem audiendam, quo eius consequendæ maiori studio teneamur, aures propius Salomoni commodemus.

§. III.

§. III.

Deus castos amat.

QVi diligit cordis munditiem propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem. Magni id homines ducunt, principum gratiam ac fauorem sibi conciliasse; cùm enim amicus, vt dici solet, sit alter Ego, ad regiam dignitatem conscendisse ij sibi videntur, qui Regum amicitiam, promeruerint. Sed tamen, quia & regna instabilia sunt, & dubiæ magnatũ voluntates, & ita incertissimæ sunt amicitiæ : is gloriari iure pœnè solus poterit, qui diuinam sibi gratiam, Regumque Regis amicitiam fuerit consecutus. Atqui Salomonis ille locus, si 70. interpretibus credimus, quos spiritu diuino afflatos fuisse constat, mundis corde, castisque istud tantum aut beneficij, aut laudis tribuit: ita enim 70. illi reddidere. Diligit Deus sancta corda, & accepti sunt ei omnes immaculati. Et Chaldęus interpres eodem spectans breuissimâ clarissimâque parœmiâ, Diligit Deus mundos corde; neque Hebręus textus longè abludit: quæ enim istic vox munditiem significat,

cat, à metallis desumpta est puris atque planè excoctis, quæ res ita vni castitati conuenit, vt castitas non sit, si quæ libidinum fæces aut maculæ animo adhæserint. Atque ita Salomonem hoc loco grauissimi scriptores accepere, Beda, Hugo, Diogenes: quos inter ipse Theologorum phœnix S. Thomas: ex quorum mente sententiam sic exponit Salazar noster. *Qui corde, animoq; purus est, ob pudicitiæ meritum id assequetur, vt cum Deo colloqui, & ipsius familiaritate vti possit.* Mox id ad S. Ioannem Euangelistam castitatis coryphęum transferens, censet eum, quod S. quoque Hieronymo, pridem visum fuerat, ob eximiæ pudicitiæ meritum obtinuisse: vt se intimiùs, quàm cæteri Apostoli, in Christi Domini amicitiam insinuarit. Certe ei vnum Ioannem & amores & delicias fuisse omnes scimus. Age verò quid ad castitatis laudem præstantius adferre potuit Sapiens, quàm vt pronunciaret Deum Opt. Max. in cuius femore scriptum est Rex Regum, Dominus Dominantium, tam vnicè, tamq; tenerè hominibus castis affici; vt eorum etiam collocutionem, amicitiam, familiaritatem desideret, atque (si fas est dicere) exambiat? nam eodem istud

In 22. Prou.

quoque

quoque Salomonis pertinet.

Sermo pulcherrimus firmabitur à Domino. Dixerat paulò ante nihil æquè Deum auerſari atque odiſſe, quàm cogitationum obſcœnitatem, ſubdit igitur è contra nihil ita ei probari atque arridere, quàm ſermonem pudicum ac caſtum, qui ſcilicet è mundo corde tanquam ex ſincero limpidoque fonte pulcherrimus, vtpote purus, illimiſque emanet. Eum Deus ipſe aſſerit profiteturque vt pulcherrimum, ita gratiſſimum eſſe, neque ſe minus eo homine caſto oblectari, quàm homines ſoleant puro auri conſpectu affici, cuius ſplendor intuentium oculos animoſque, mirificè recreare ſolet. Hanc vim eſſe Salomonicæ iſtius ſententiæ euidens eſt Hebraicam & Græcam vocem expendenti; prior enim, quod etiam ſuperius obſeruabamus, à metallis hîc etiam deſumpta, ſermonem ſignificat ab omni ſcoriâ ac fæce immunem. Græcum verò *ἁγνός*, quæ vox apud 70. hoc loco legitur, agninum ſermonem loquitur, id eſt, nitidum ac caſtum, & qualis Agnetis, & Agnetianarum mentium ſemper extitit, & num etiam eſſe debet.

Sanè ſi quis animum aduertat in id, quod communi ſermone circumfertur,

morum àc humorum ſimilitudine amorem præcipuè conciliari, neque eos conſentire, aut animis ac voluntate cohærere poſſe, quos ab inuicem mores humoreſque diſiunxerint: is facilè aſſequetur, vti Deo, qui idem caſtiſſimus, caſtimonięque omnis ſtudioſiſſimus eſt, impudici homines nauſeæ ſunt, atque odio: ita caſtos in amoribus eſſe, imò in delicijs.

Rurſum, ſi quis mentis oculos conijciat in caſtitatis pulchritudinem atque præſtantiam, libidinum verò fœditatem atque infamiam, nullo negotio intelliget nihil eſſe mirum, ſi Deus ac ſuperi eos exoſos habeant, qui tantâ turpitudine mores, linguam, mentem dehoneſtarint; eos verò gratiſſimos atque gratioſiſſimos iiſdem cœlitibus Deoque ipſi eſſe oportere, qui caſtimoniæ decus animo impreſſerint, ore profiteantur caſtiſſimis facinoribus exprimant. Quæ ratiocinationes, ſi necdum id conficiunt, quod volo; caſtos homines à Deo diligi, imò verò vnicè amari, quod ad id probandum efficaciſſimum eſt, conſideremus, quęſo, obiter, quàm horrenda impuris hominibus ſupplicia tum hîc tum poſteà reſeruata ſint: tum ſingularia atque eximia à Deo caſtis non modò

modò in his castris, vbi casti adhuc militant, sed in cælo potissimùm, quæ castorum triumphantium patria est, præmia, opes, honores, oblectationes esse decreta eâ tum multitudine, tum magnitudine: vt coronæ istius amplitudinem (Aureolam Theologi appellant, lauream auream dicere possemus) pro dignitate explicare nemo possit. In re difficili assequendâ præeuntem cum face in manu Salomonem, si placet, pedetentim insequamur.

Quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Refutat Sapiens cum insigni castitatis laude, insanientium quorumdam hominum stultam opinionem, qui miserrimè agi existimant cum ijs, qui à se corporis voluptates brutas illas, atque per se satis fædas, procul castioris vitæ studio abdicarint.

Non est, inquit diuinissimus Salomon, non est vilis, aut etiàm (vt nonnulli amentissimo errore existimant & loquuntur) misera atque infœlix hominum conditio, qui ab omni impudicitię genere animum corpusque auocarint. Nam etsi istius virtutis splendor debiliores animos ita obcæcat: vt eum, per se licet eximium, minimè contueri pos-

ſint: erit tamen tempus aliquando, cùm Deo ipſo demonſtrante inſpicietur; tum ſcilicet cùm ad ipſius tribunal qui caſtè qui inceſtè vixerint, quæ iſtorum erunt prçmia, quæ horum ſupplicia iudice ac vindice numine diſquiretur, atque tum demum mundus ſpectabit vniuerſus, quàm non fuerit caſtitas infæcunda, quę tantam, quanta iſtic erit, caſtis animis mercedem fructumque pepererit. Eo tempore hominibus, Angeliſque ſpectantibus.

Spadoni, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit aduerſus Deum nequiſſima, qui, inquam, etſi vacare ſuæ cupiditati poterat, ita tamen caſtitatis retinendæ ſtudio vitam inſtituit, ac ſi ad voluptates ne quidem natus eſſet; qui non modò manus ab omni fœditate abſtinuit, ſed mentem quoque quæ Deum latere non poteſt, pudicã habuit: *dabitur* illi ſcilicet à Deo cui gratior eſſe voluerat, datæ atque ſeruatę caſtitatis *donũ electũ* lemniſcata aliqua corona, munus palmare, *ſors*, ſcilicet, *in templo Dei acceptiſſima*, palma & corona ſingularis, quam ob inſignem de carne Triumphatâ victoriam egregius pugil reportabit. Etſi laborioſum ſit nunc caſtorum cum infectiſſimis luxuriæ caſtris armiſq;

armiſque certamen, iuuerit tamen meminiſſe aliquando glorioſiſſimæ pugnæ.

Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ. Omnino ſapientiæ iſtud fuit, & quidem profundiſſimæ, proſpexiſſe in futurum, mortaliſque vitæ vanas atque euanidas voluptates vel contempſiſſe, vel etiam vltrò abieciſſe ſpe iucundiſſimæ immortalitatis.

Hæc, quæ profectò & veriſſima ſunt, & ad laudem caſtitatis ampliſſima, cùm deprædicaſſet caſtior tum, quàm poſtea, Salomon, continere ſe diutius non potuit, quin maximâ vocis animique contentione, admirationis amoriſque, quo tum quidem inarſerat, pleniſſimus exclamaret.

O quàm pulchra eſt caſta generatio, caſtorum, inquam hominum natio *cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines: cum præſens eſt mirantur illam, & deſiderant eam, cùm ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorũ certaminum præmium vincens.* Placet, ſi vnquam placuit, Salomonicæ huius ſententiæ nunc agere interpretem, ve-

rùm & clarum, & breuem: ſatis enim
Cap. 14. eſt hunc locum intelligi: vt quæ S. Ioannes in Apocalypſi de caſtitatis aureolâ quaſi præſens ſpectauit, tanto ante præuidiſſe Salomonem, atque prædixiſſe cognoſcatur. Quis ſatis, inquit Sapiens, caſtæ vitæ pulchritudinem, atque claritudinem deprædicet? digniſſima ſanè illa eſt, quam omnes ament. Nam illorum ſatis mirari non poſſum amentiam, qui eos exiſtimant inglorios atque inhonoros vixiſſe, neque vllam deinde conſecutos eſſe poſt vitam immortalitatem, qui caſtè viuendo nullam poſt ſe reliquerunt ſobolem quaſi ſui ſuorumque facinorum viuam effigiem, quam ad poſteros tranſmitterent: quaſi verò, iſti, qui liberis procreandis minimè vacare voluerint, pudiceque vitam exegerint ſuam, ſine nomine, & famâ toti demoriantur, ac planè pereant. Atqui omninò contrarium eueniet: tales enim immortalem ſui memoriam tranſcribent ad poſteros, neque apud Deum ſuperoſque dumtaxat inclareſcent, ſed toto etiam orbe erunt notiſſimi atque laudatiſſimi; ſiquidem tantam virtutem nulla vnquam aut ætas, aut tempus conticeſcet: cuius virtutis ea eſt propè præ cæteris diuinitas: vt qui
illam


illam pręſentem vſpiam in terris aſpexerint, demirentur: cùm verò ij, qui coluerunt, ſeruaruntque viui, mortui in cælum, vnde caſtitas nata eſt, immundam humum exoſi euolarint; omnes votis eos, precibuſque repetant, reuidendæque virtutis iſtius deſiderio quodam incredibili teneantur. Et fruſtra. Rapuit illos ex oculis vnà in cælum reuolans caſtitas, extulitque ex hoc ſudore, puluere, arenâ, in amicum patriumque ſolum, in quo inter palmas & lauros hoſtibus omnibus ſuperior, coronata triumphat præmio potiens & maiori & digniori, quàm eorum olim erat, qui in certaminibus Olympicis vicerant: nam cum hi coronam marceſſibilem corruptibilemque retulerint, illa cum ſuis cælo recepta palmam habet laurumque nullo vnquam fulmine, aut tempore intermorituram.

Hactenus Salomon, quæ efferri, & exaggerari hîc à me poſſent fuſiſſimè: niſi in lilio Mariano id aliàs cùm de caſtitatis dignitate ſcriberem, abundè perfeciſſem: quare ne actum agam, non ero in hoc capite prolixior. Nequeo tamen prætermittere quin partim ex eo libello, partim ex hîc ſuperiuſque explicatis, continuâ Antitheſi breuiter inter

inter se hinc castitatem, inde inimicum ei vitium committam: vt contraria hæc, quod maximi esse momenti arbitror, iuxta se pressim posita, magis, vt fit, elucescant; quo fiet, vt Academicus meus Adolescens clarè perspectam virtutem amet, in eiusque se partes conferat; vitium verò oppositum detestetur, atque fugiat.



ANTI-



ANTITHESIS

CASTITATIS ET LVXVRIÆ

EX SCRIPTVRA ET SS. PATRIBVS.

Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: si secundum carnem vixeritis moriemini. Rom. 8.

O pulcherrima, Cœlestis, Angelica, plusquam Angelica, diuina Castitas!

O turpissima, Tartarea, Diabolica, plusquam Diabolica, Deo exosa luxuria!

O Pulcherrima Castitas! quis enim cum Salomone non exclamet? O quàm pulchra est castorum generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota

nota eſt, & apud homines; inceſti ipſi ad caſtitatis lucem ſtupent. *Pudicitia*, ait S. Cyprian. *nos commendat Deo, connectit Christo, Beata ipſa, & Beatos efficiens, apud quoſcumque habitare dignatur: quam nunquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent, venerabilis eſt enim hoſtibus ſuis, dũ illam multò magis mirantur, qui expugnare non poſſunt.*

Lib. de pudic.

At tu turpiſſima Luxuria!

Neque enim humanum: ſed planè belluinum es vitium: tu hominem veluti circęo dementatum poculo in fædam ſuem porcumque conuertis. Quis igitur ſapiens non meritò occlamet? O quàm turpis eſt inceſtorum hominum natio, quàm obſcura, & vilis: quoniam execrabilis eſt eius memoria & apud Deum, & apud homines. *Impudicitia*, ait S. Cyprianus, *ſemper eſt deteſtanda, obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corporibus parcens, nec animis: debellatis enim proprijs motibus totum hominem ſuum, ſub triumphum libidinis mittit.*

Lib. de pudic.

O Cœ-

O Cœleſtis Caſtitas!

Nam vbi eſt niſi in Cælo patria caſtitatis? hîc aduena, ibi innata, eodemque hinc aufugiens veluti ad natiuum ſolum reuolat: aut certè ſi hic hoſpitatur, è terra cælum facit. *Sola enim eſt caſtitas* (ait S. Bern.) *quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat*, & S. Hieronym. *In carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis.*

In epiſt. 42.

In epiſtolis.

At tu, ô Tartarea Luxuria!

Tu namq; immundorum ſpirituum, aut parens aut ſoboles, ex ipſis Tartari faucibus egreſſa omnem libidinum Camarinam huc euomuiſti, ſordeſque illas, in quibus Tartarei homines, quos propè Diabolos effeciſti, computreſcunt, vt iumenta in ſtercore ſuo, quę Prophetæ Ioëlis ſimilitudo eſt, atque S. Gregorio interprete, in fœtore luxuriæ vitam finiunt, poſt mortem ſcilicet, niſi reſipuerint in Tartareas cloacas abijciendi.

Cap. 1. 24. Mor. c. 8.

O An-

O Angelica Castitas!

Quid (enim) *Castitate decorius, quæ Angelum de homine facit? differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed fœlicitate, non virtute*. Bernardum Lactcum Virginis Alumnum audis. S. verò Cyprianus castitatem non dubitat Angelicæ qualitatis statum appellare: an ideò semper cum Virginibus tam familiares Angeli? breuissimè S. Ambrosius. *Castitas Angelos facit, qui eam seruat Angelus est*. An non igitur Castitas Angelica?

Epist. 42. ad Henric. sen.

L. de Virg. Cler.

Lib. 1. de Virg.

At tu ô Diabolica Luxuria!

Quippe, qui Luxuriæ pręest Asmodęus Diabolus est: amant Cacodęmones libidinem, eoque in cœno cupidissime volutantur. Hinc Magos, Sagas, aliaque Diabolicarum fœditatum horrenda seruitia ad nefandas turpitudines concitant, & cogunt. Meritò S. Ambrosius, Castitas Angelos facit, *Qui eam seruat Angelus est*, mox subdit, *qui perdidit, Diabolus est.*

Lib. 1. de Virg.

O pluſ-

O plusquam Angelica Castitas!

Angelicæ enim mentes, cum corporibus careant, castitatem (cuius laus in reprimendis corporeis voluptatibus cernitur) propriè non habent: *Supergreditur Virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Maior tamen est Victoria Virginum, quàm Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt, Virgines verò in carne triumphant.*

At tu, ô plusquam Diabolica Luxuria!

Namque etsi Dæmones humanas libidines prouocent, ijsque vehementer oblectentur, in se tamen non excitant, imò cùm alios ad eas excitarint, abhorrent ipsi præsens flagitium, atque interim refugiunt. Scribit enim Lanspergius Diabolum postquam hominem ad peccatum infame pertraxerit, propter horrorem ipsi naturalem tantæ turpitudinis tantisper loco cedere, donec scelus

In serm. Dom. 24. post Trin.

ſcelus fuerit perpetratum. Quid iam reſtat, niſi vt ſummum iſtud exclamem,

O verè diuina Caſtitas!

Propè Deam dixi, ita ad Deum ipſum accedis. *Incorruptio certè facit proximum Deo*, ait Sapiens. Et S. Baſil. *Magnum quoddam, ac præclarum Virginitas eſt, quæ (vt totum ſimul explicem) hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit.* Rectè S. Grego. Nazianz. cecinit. *Sancta Trias Virgo eſt.* Et in Pſal. 2. pro *Apprehendite diſciplinam* in Hebræo legitur *Adorate Virginitatem*, an Numen eſt Virginitas? diuinum certè quidpiam, quod Deus in cælo diuinioribus præmijs beat.

Sap. c. 6. Li. de vera Virg.

Apoc. 14.

At tu caue exoſiſſima Deo Luxuria!

Namque cætera ferè flagitia cælum tolerat, luxuriam ferre non poteſt: ita Deo ſtomachum iramque commoúet. Quare nihil æquè grauibus ſupplicijs vindicat. Cataractis Cæli apertis generali cataclismo mundum propè vniuerſum

uersum obruit. Disiectæ posteà etiam è cælo vltrices flammæ Sodomam, Gomorrham, aliasque æquè à libidine detestandas vrbes inuoluerunt. Dauid propter Adulterium quot cladibus affectus? mitto cætera. Denique S. Paulo præcone ac teste, *Molles regnum Dei non possidebunt.* Satisne? tum verò *Pars eorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* Apocalypsim S. Ioannis testor. I, & peri miser, imò redi, & vitam corrige. 1. Corint. 6. Apoc. 21.

O castos! ó pudicos!

Sinite enim vt vos hîc verbulo alloquar,

O millies beatos!

Si modò beatitatem vestram nostis, si quo par est in pretio habetis, si quo par est studio seruabitis hunc castitatis florem integrum, hanc illibatam gemmam, incorruptam coronam, balsamum purum, intactum Thesaurum, hoc denique certissimum æternæ felicitatis pignus. *Florete flores, sicut lilium, & date odorem.* Eccles. 39

At vos, ô incestos! ô impudicos! ô vos, quantum satis dici nequit miseros, & infelices!

O si! si miseriam atque infelicitatem vestram videretis, si quo par est momento æstimaretis! Opes, honores, famam, valetudinem, vitam corporis & animæ Diabolo venditis pro momentaneâ voluptate. Pro momentaneâ voluptate æternum Deo priuari, æternùm ardere! metimini momentum, Æternitatem. *Momentaneum delectat, Æternum cruciat.*


Octo castitatis præsidia.


1. Singularis cultus B. V. 2. Amor ardens castitatis. 3. Ingens Luxuriæ horror. 4. Occasionum fuga. 5 Mortificatio corporis. 6. Sacramentorum frequens vsus. 7. Memoria Dei præsentis, Christi crucifixi, Angeli custodis. 8. Recordatio nouissimorum.

Octo

Octo castitatis hostes.

1. Otium. 2. Oculi. 3. Libri Turpes. 4. Comœdiæ & imagines obscœnæ. 5. Turpiloquium. 6. Gula, & reliquus corporis luxus. 7. Socij improbi. 8. Fœminarum familiaritas.





LAVS CASTITATIS

AD PARTHENICVM IVVENEM.

Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem &c. Apoc. 14.

ODE.

AN dormientem ſomnia faſcinant,
Vmbriſque complent pectus inanibus?
Vigilne, vel ſopitus axes
Ætheris intueor reuulſos?
Vatem quis ardor numinis entheat?
Valuæ recedunt quadrifores poli, &
Arcana Diuorum pateſcunt,
Eſte procul, procul hinc profani;
Hæc ſacra puris Virginibus paro.
Vides, vt altis nubibus altior
Immanè mons ſurgit, minaxque
Igniuomis caput abdit aſtris?
Non ille canâ ſtat niue candidus,
Nec ſtrictus horret Sarmatico gelu,
Hîc nullus atrox pręliatur
Africus, aut pluuialis Auſter:
Sed ęuiternæ ſuaue rubent roſæ,
Viuaxq;

Viuaxque odorum perpetuat nemus:
Cui non hybla, aut florens hymettus,
Non Arabum pia thura certent.
Has Agnus ædes ſcilicet incolit,
Agnus recenti candidior niue,
Quem turba circum multa plaudens,
Magnificos celebrat triumphos.
Inuſitatæ frondibus implicant
Comas coronæ, ſcriptaque nomina
Agni, patriſq; frontem honeſtam
Multicolore notant lapillo.
Mox omnis Agnum pone ſubit cohors,
Quo dux pudicum cumq; tulit pedem,
Seu per reductas ire valles,
Seu per agros iuuat, atque lucos,
Vbi hoſpitalem conſociant comis
Vmbram peregrinæ indolis arbores,
Argenteoque collaborat
Lympha fugax trepidare riuo.
Quis ille mentem rurſum agitat calor!
Audire feſtum iam videor melos,
Teſtudinemque, barbitonque,
Atque tubę, lituique cantus.
At pręter Agni militiæ ſacram
Phalanga, doctas tangere vel fides,
Vel ſacra plectra, nemo diuum
Dicere nobile carmen auſit;
Quamuis laboret ambitioſior.

Quis iſta vinclis plexa adamantinis
    Enodet, explicetve? non ſi
    Nuncius adfuerit Deorum.
Erro, an ſtupenti ſe genius mihi
Alatus offert? vera vides, ait,
    Audiſque, quod miraris agmen,
    Tot teneri pueri, & puellæ,
Vixere, Chriſto quos Comites dare
Sponſoſque, caſtus promeruit pudor.
    Hæc nempe laurus caſtitatem
    Sanctior hicq; manet triumphus.
Non illa pubes Cælicolum bibit
Vulgare nectar, deliciæ iuuant
    Sinceriores, grandiuſque
    Hoſtibus edomitis trophęum.
Quo tendis audax prodere Cęlitum
Arcana Clio? deſine rem metro
    Dignam cothurnato eleuare,
    Sacra modis tenuans prophanis.

AD



AD EVNDEM

LVDVS ANACREONTICVS.

MARIA lac propinat
Purum, putum, ſuaue,
Liquidumq́ue melleumq́ue,
Quod reris eſſe nectar
Epulas ſacras Deorum.
Veni, veni, puelle
Maria lac propinat.
At heus, Maria virgo eſt,
De Virginis papilla
Age, bibe lac pudicum,
Sed vber iſtud vber
Caſto premas labello.
Caſtum niſi huc labellum,
Corq́ue adferas pudicum,
Abi procul, puelle.
Quid, impudens catelle,
Labrum adferes lutoſum
Porciq́ue, apriq́ue dentem?
Ah ſiſte, ſiſte, ſiſte.
Nam Ieſulus Mariæ
Matris ſinu implicatus

Magnus puer tonabit
Castæ parentis vltor.
Quòd si tonet, peribis
Ab ense crispisulco:
Abi procul puelle.
Passercule impudice,
Venerisque pupa fœdæ,
Cupidinisque frater,
Tu Virginis pudicæ
Vis mordicare mammas
Vis sordidare mammas?
Deus puer tonabit,
Abi procul, puelle.
Veni, veni, puelle:
Puer iste non tonabit,
Sed mille, mille, mille
Dabit osculationes,
Cantusque tot, iocosque
Quot æthere astra splendent,
Littore iacent arenæ,
Modò vber istud vber
Casto premas labello.
Maria lac propinat
Exuge lac, puelle.



ORATIO.

S. Elzearij Comitis pro Castitatis conseruatione.


DOmine IESV CHRISTE, qui es seminator casti consilij, & cui cordium arcana patent: scio quia sine tuo speciali dono non possum castè & continenter viuere, quandoquidem nemo continens esse potest, nisi tu des: & idcirco rogo tuam gratiam, quæ omni humiliter petenti liberaliter se communicat: vt carnis voluptates fugare, & quod te inspirante in animo concepi, ad finem vsque complere, & seruare possim. Deus, qui habenti bonam voluntatem etiam facultatem dare pollicitus es: affectum mihi, quæso, perseuerantem tribue, vt addatur gratia gratiæ, & iugo contagionis excusso, suscipiam iugum sanctitatis, ambulemque corde sincero coram te, quoad immarcessibilem tandem percipiam in Cælis coronam, & cantem laudes bonitatis tuæ in sæcula. Amen.

Ad-


Adoptatio B. V. in Matrem, certissimum Castitatis Amuletum.

O Regina Virginum Maria, amantissima Mater mea, Ecce Iesus benignissimus filius tuus, Virgo Ioannem Virginem, & me indignissimum tibi Virgini in filium adoptauit. Obsecro te igitur, per amorem, sanguinem, & mortem eius suscipe me in filium, quia filium tuum & te toto corde diligo, atque eligo in matrem, & sumo, si placet tibi, cum Bernardino & Edmundo tuo in sponsam animæ meæ. Malo siquidem mori, quàm cogitatione, verbo, vel opere alicuius amore inquinari. Sequi te cupio, & Iesum Agnum, quocumque ierit in Æternum, & cum Angelo custode puritatem seruare Angelicam iuxta statum meum in Æternum. Accipe & serua, ô dulcissima Mater, cor & animum & corpus meum, tibi toto corde dicata in Æternum. Amen.

SYM-




Religio in Deum. 19.
ARA
PIETATIS
Vt viuam, morior.
Mart. Baes. f.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Religionis in Deum hoc Emblema. Mons pro theatro eſt, actor Phœnix. Spectapium hoc ſpectaculum eſt. auis illa in montis vertice ad aram pietatis, thure, caſiâ, cinnamomo, alijſque odoris ſtramentis inſtructa, ſoliſque ardentioribus radijs exceptis vitam Deo Naturæ authori immolat, ſacrificula & victima.

Non caret ſuâ laude & præmio tam inſignis pietas: enimverò è cinere quaſi è tumulo nouus, meliorque phœnix exſurgit, qui tantam erga Deum Religionem hominibus ipſis commendet, ſpondeatque pari

ri virtuti gloriam apud omnes posteros immortalem.

Agedum, nam & te decet, mi Adoleſcens, in iſto præſertim florido ætatis vere, Numini offerre hoſtiam Abelis, id eſt, quod in tuo grege præſtãs eſt atq; eximium, Cor, inquã, nam hanc Deus à te victimam depoſcit; Fili, ait, præbe mihi Cor tuum. Ei debes, & cui potius? Neomyſtam te eſſe volo, thus adole, teq́; tui, rerumque omnium authori immola.



CAPVT QVARTVM.

Religio in Deum.

M O N I T V M.

A primis Annis Religiosè Deum colito.

S A L O M O N.



V verò Deum time. Eccl.5.

Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Eccleſ. 12.


In omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipſe diriget greſſus tuos. Prouerb. 3.

Custodi

Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias. Eccles. 4.

Iustus, prior est accusator sui. Prouerb. 18.

Sapientia immolauit victimas suas. miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Prou. c. 9.



MENTIS SALOMONICÆ

INTERPRETATIO.

§. I.

Quid Religio, & quæ eius laus.

EAm virtutem quæ hominem efficit pium Numinis cultorem, nos Religionem, θεοσέβειαν Græci appellant, quasi Dei obseruantiam ac cultum: Religionis verò nomen docent Lactant. & S. Hieronymus sumptum esse ab eo vin-

L. 4. c. 28. Institut. Hier. in c. 3. Amos.

vinculo, quo arctissimè Deo religati obstringimur: cuius vinculi tam gordiani sunt nodi: vt exsoluere nunquam possimus. Licet autem habeat illa causas obligationum plurimas: tamen ad duo summatim capita videntur reuocari posse. Nam primùm cùm à Deo Opt. Max. acceperimus, vt homines essemus, omnia ea officia ei debemus, quæ benè instituti filij debent carissimis parentibus: deinde quòd ab eiusdem potentissimâ manu ita pendeamus: vt neque ea quæ in nos profudit beneficia, neque nos ipsi omnino ad momentum temporis sine ipso consistere possimus: ea prętęrea debemus, quæ obsequentissimi serui suis dominis debent. Atque hinc, quæ quantaque sit huius virtutis laus atque præstantia, elucet: versatur enim circa cultum Numinis, eique suum honorem defert, cuius ipse Deus est vnicè amans & studiosus: ecquid, obsecro, excellentius agant homines in vita, quàm vt verum Deum norint, & quibus decet religionibus colant? Religionem S. Hieronym. viam regiam. S. Ambrosius initium intellectus, fundamentum omnium virtutum, S. Gregorius Nazianzen. pios homines non tam homines, quàm Angelos. S. Hieronym. præ-

L 6. in If.
L. 1. de offic. c. 27.
Carmine de hom.
externi visitate Epiph. paulæ.

terea propè Martyres appellauit. Denique Theologorum Phœnix S. Thomas,
2.2. q.8. in virtutum choro secundum Theologicas vni Religioni principatum tribuit: idque iure meritissimo: quòd cùm illa Deum propiùs spectet, qui supremus est omnium finis, moralium virtutum censeri facile princeps debeat, quarum dux sit atque quodammodo parens.

Porro ad Religionem seruandam tum sacræ literæ aliàs sæpe, tum Salomon ipse hortantur; imò eius studium præcipiunt. Nam ex Salomonis oraculo effatum est istud *Deum time:* quanquã & eam legẽ iam antè rationi insculptam, cùm primùm nasceremur, à natura ipsa accepimus, videmusque adhuc ita hominum generi altè impressam: vt nulla fuerit sitque natio, quæ non aliquod Numen ritibus, ac sacris coluerit: tractauit hoc argumentum ex oratoris Ro-
L. 3. diuin. instit. c. 10. mani sensu diuinè Lactantius. *Hoc*, ait, *eximium facit hominem, quòd sibi datum est nosse diuina*, cùmque subiecisset ex Ciceronis sententia nullum esse animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei, atque in ipsis hominibus nullam esse gentem tam feram, quę non (etiamsi ignoret qualem Deum haberi deceat)

deceat) tamen habendum ſciat, hæc deinde adiungit. *Quid eſt cur Philoſophi diſputent eò dirigendam eſſe mentem quò vultus erectus eſt? Si enim nobis in cælum ſpectandum eſt: ad nihil aliud vtique, quàm ob Religionem: ſi Religio tollitur nulla nobis ratio cum cælo. Itaque aut eo eſt ſpectandum, aut procumbendum in terram, quò nimirum videmus eſſe proiectas reliquas animantes.* Quod ibi diuinè Lactantius, alibi haud ſcio an non etiam diuiniùs proſequatur. *Homo*, inquit, *ideò ſolus præter cæteras animantes rectus corpore ac ſtatu factus eſt: vt ad contemplationem parentis ſui exarſurus eſſe videatur: ideò ſermonem ſolus accepit ac linguam cogitationis interpretem: vt enarrare maieſtatem Domini ſui poſſit, poſtremò ei cuncta ſubiecta ſunt, vt factori artifici Deo ipſe eſſet ſubiectus. Si ergo Deus, hominem ſuum voluit eſſe cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit: vt rerum omnium dominaretur; Vtique & iuſtiſſimum eſt Deum colere, qui tanta præſtiterit.* Romæ olim ſuperſtitiosè quidem: ſed tamen ad commendationem Religionis appoſitè fontinalia celebrabantur. Erant ij dies feſti, quibus ſerta in fontes proijciebant Romani, puteoſque coronabant: vt, quia ab illis perlucidos liquores ad reſtinguendam ſitim acceperant

De Ira Dei c. 13.

Cauſſin. in ſymb.

rant, ijſdem gratiam aliquam referre velle viderentur: Commendabant eo facto grati animi ſaltem ſignificationem, in eos, qui erga nos benefici extiterint: ac ſi clarè dicerent, Aquam hauſiſti, puteum corona. Quanta verò ſint numero & magnitudine ea beneficia, quæ à Dei Opt. Max. munificâ manu accepiſti, vt intelligas, mi Academice Adoleſcens, atque faciliùs memoriâ teneas, En tibi diuinorum beneficiorum breue, ſed locuples Alphabetum. Beneficia Dei ſunt,

Anima ratione alijſque omnibus potentijs apprimè inſtructa.

Bonus Angelus vitæ ac morum cuſtos, doctor, tutelaris.

Corpus ſenſibus ſuis, organiſq; bellè ornatum.

Diuitiæ, certè quantum tibi ſint ſatis.

Eucharistia: quàm verò diuinus ille animæ tuæ cibus?

Fides, quâ in Chriſtianorum numerum es adlectus.

Gratiâ quâ etiam in Dei filium, hæredemq; adoptaris.

Habitus ſupernaturales, quibus ad bene agendum vtaris.

Incarnatio filij Dei, quo munere nihil diuinius dari potuit.

Libri tum ſacri, tum pij, quibus inſtruereris.

Maria

Maria Virgo & Mater, quæ tibi Ianua cæli esset.

Naturæ dona, Ingenium, Iudicium, memoria, forma, vires.

Occasiones tot ac tantæ rei tuæ benè gerendæ.

Parentes, Præceptores, Pædagogi à quibus vitam & amores acciperes.

Quæstus meritorum, ad gratiæ & gloriæ cumulum.

Redemptio tui à seruitute tyrannicâ Peccati, Mortis, Dæmonis.

Sacramenta quibus Deo nascereris, armarerisq́; ad luctam.

Tempus, quâ re vna nihil aut rarius est, aut carius.

Vita æterna, si modò cum Dei gratia eam consequi velis.

§. II.

Religio maximè decet Adolescentiam, & literarum studiosos.

QVòd si verò in omnem vitæ humanæ partem, quæ de Religionis vinculo disserimus, aptè cadunt: multo maxime in Adolescentiam: ideò enim Iuuenes præsertim ita monet Salomon: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis;*

& appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Scilicet vt verecundia, ita Religio maximum quoddam est istius ętatis ornamentum: Adolescentem enim plurimùm commendare solemus cui non modò genæ honesto pudore purpurascant; sed oculi prætereà, ora, totusque corporis habitus pietatis florem quendam atque odorem intuenti inspirent. Deinde si statim atque sensus infundi cœpere (quod à S. Ambrosio est obseruatum) naturæ inductione vitam amamus tanquam creatoris singulare munus homini datum; par est profectò, vt ab ipsis vnguiculis cultum honoremque ei deferre incipiamus, à quo esse & viuere cœperimus. Denique est istud primævæ vitæ tempus (quod Salomon quoque significauit) ad officia pietatis factum maximè, atque oportunum: dum scilicet vegetus est animus, & ad ea omnia, ad quæ se se applicuerit, impensus atque ardens: nam cum anni tristiores, & displicentis tetritæque senectutis incommoda successerint, neque diuina meditari, neque orare, neque alijs Religionum partibus vacare licet: multis certè parum lubet. Quare fit plerumque, vt qui in prima ætate minus pij ac Religiosi aduersus Deum extiterint,

Lib. 1. de Offic. c. 17

rint,

rint, ſenes effecti, in pietatis etiam exercitationibus frigidi qui, animique torpentis, vltrò elangueſcant: cùm è contra qui in Adoleſcentia in pietatis ſtudia exarſerint, aut ſemel conceptum ardorem transferant in ſenectutem, aut aliquando ſopitos illos ignes facilè quaſi cineribus decuſſis excitẽt. Quamobrem, matres & nutrices imprimis curare iſtud ſtudiosè debent, vt ipſæ primas pietatis (vt ita dicam) guttas cum lacte pueris inſtillent, atque vt pueri quoque exſugere, atque imbibere vel in ipſis cunis aſſueſcant. Addi iſtud hoc quoque debet, præ cæteris eos Adoleſcentes plus pietati operam ac ſtudij collocare oportere, qui ad ſapientiæ diſciplinam animum iam conatumque applicuerint, ſiue quia impijs atque irreligioſis tam diuinum munus concedi nefas eſt, neque decet: ſiue quia ſapientia non modò ad pietatem pertinet; ſed etiam ipſa pietatis quoddam genus eſt. S. Auguſtinum huius rei authorem habeo. *Sicut* In Enchiridio c.2. *nemo* (ipſius verba ſunt) *à ſe ipſo eſſe poteſt: ita nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt: ſed ab illo illuſtrante, de quo ſcriptum eſt. Omnis ſapientia à Deo eſt, hominis autem ſapientia pietas eſt: habes hoc in libro S. Iob. Nam* C.8. iuxta 7°. *ibi legitur, quòd ipſa ſapientia dixerit homini.*

ni Ecce pietas est sapientia Si autem quæras, quam dixerit eo loco pietatem, distinctiùs in Græco reperies θεοδέσειαν, qui est cultus Dei. Quam S. Augustini sententiam verissimam esse multorum locorum temporumque vsus luculenter comprobauit. Obseruatum siquidem est, eos ferè Iuuenes in scholis primas obtinere, qui singulari in Deum pietate præstiterint, plurimos mediocriter tantùm à naturæ donis instructos emergere tamen, atque per pietatis Templum, ad Sapientiæ aram, honorumque summos Apices grassari. Ingenia verò excelsa atque viuacia, etsi reliquæ Animi Dotes adsint, flaccescere plerumque, aut etiam humi iacere, nisi Pietas & Deuotio accesserint.

§. III.

Partes Religionis quæ sint.

SEd nunc quæ tandem partes actionesque sint pij Adolescentis (Academici præsertim) expresse & sigillatim persequamur. Verùm pręcepta ad Salomonis mentem accommodatè trado, non libellum precatorium: itaque precandi formulas hîc non inseram, quòd

quòd ſit iſtud ab inſtituto meo alienum: eas meus Academicus aut alibi facilè reperiet, aut habebit ſeparatim ad huius tractationis calcem ſi quid huiuſmodi precationum viſum erit, attexere. Nunc præcipere pietatis officia aggrediamur.

Manè primitiui fructus, imò rerum omnium primitiæ, Deo rerum omnium Authori iure olim diuino debebantur: parque foret illi eadem, vti ſanctè debentur, ita religioſe exſolui: nihil verò ipſe tam impensè, vel optat vel depoſcit, quàm vt primas ſaltem cuiuſque diei cogitationes, affectioneſq; offeramus, quæ negare ſine grandi piaculo minimè poſſumus. Quare ſtatim atque expergiſcetur Academicus Adoleſcens, mentem ab omni aliarum rerum curâ deuocatam tranſmittet in Deum; Signoque Crucis munitâ fronte abire in diuinas laudes incipiet. Verùm ſcio neque feret iſtud malus Dæmon; vtque Diuinitatis eſt ambitioſiſſimus, cordis primitias præripere ſataget: ſperat enim ſi prior partem ſibi vindicarit, facilè ſe reliquum totius diei decerpturum. Audi quid hac de re B. Climachus ſenſerit. *Eſt è ſpiritibus vnus, qui præcurſor dicitur, qui nos è ſomno ſurgentes protinus excipit, primuſq; noſtrum*

noſtrum cogitatum inquinare nititur: Tum ſubijcit, quod te iam monere cœperam. *Da Domino primitias diei tuæ: erit enim tota eius, qui prior occuparit.* Iam vbi è ſtrato te proripueris, aqua luſtrali tinctus, rectà ad Oratoriolum te conferes, flexiſque genibus, manibus iunctis, animo in Deum præſentem, oculis in piam aliquam imaginem defixis precabere. Deo Opt. Max. gratias ages pro beneficijs, præſertim noctis fœliciter tranſactæ: te, tuaque omnia ei offeres, propones virtutis ſtudium ſectari, vitij grauioris, cui es addictus, fugam. Opem in id diuinam implorabis. Subijcies deinde aliàs precationes, tum ſi pluſculum indulgere pietati voles, aliquantulum præterea temporis tribues diuinarũ rerum meditationi, *Quem in finem Deus te crearit? quibus vijs eò contendas? quàm viles ſint res humanæ? quàm certa mors? quàm dies incertus? quæ ratio reddenda? quid Cælum? quid Inferi? quid Æternitas? quæ, & quanta Christus egerit & paſſus ſit tui causâ: quàm propè Beata Virgo, reliquiq; Cælites ſint inſequuti: quàm tu longè abſis; aliaque eiuſdem generis.* Poſtremò oratione S. Thomæ Aquinatis, aut aliâ quapiam aduocabis è cælo increatam ſapientiam: atque tum tandem promptus atque alacer

cer in literarium negotium incumbes. Occurrent loci difficiles atque implicati: figes in imaginem piam oculos, mentem in Deum, è Cælo lucem implorabis. Tum cubiculo egrediens Cruce te prius & aquâ lustrali munies, breuissimâque ad Deum, Angelum, aliosque Diuos Tutelares oratione, rursus opem diuinam implorabis, idemque ages, cùm regredieris, neque studia resumes, quin precatiunculâ S. Spiritus gratiam efflagitaueris: imò, si me audis, quoties Horologium ad horam vitæ tuæ fortassis vltimam insonuerit, horæ malè tibi delapsæ veniam, secuturæ vsum meliorem à Deo petes: mentis citissimâ agitatione fieri istud potest, præsertim postquam assuêris: quid ni & semel salutationem Angelicam recites? cui pietati in Virginem Leo X. & Paulus V. mille dierum Indulgentiam concesserê.e. quid ni & subinde per interualla quasi ad quandam animi respirationem, orationes quasdam & ardentissimas & breuissimas, è paratâ ad eum finem pharetrâ depromas, & eiaculeris? *Religiosum*, inquies, *non Academicum Iuuenem videris instruere, quem continuò orare, non Philosophari velis:* Atqui ego saltem Christianum me instruere existimabam. An

rerum

rerum fidei Christianæ tam ignarus es, vt nescias te in Cælum contendere oportere viâ non lubricâ modò, sed ita etiam Tartareis prædonibus infestâ, vt nullo tempore, nullo loco, nisi diuinâ ope fultus consistere queas? quid agat homo, & imbecillis & inermis in tanto salutis discrimine, in quo perijsse semel æternum est? Quid agat? nimirum quod iam monebam & ipse hortatur Salomon: *In omnibus vijs tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.* Verùm quia non tam Religiosus, quàm Philosophus esse amas, velim istud tibi persuadeas te in literarum otio tantum consecuturum quantum orando precandoq; Deo diuinisque rebus indulseris. Quis Magno Aquinate aut in Philosophicis disciplinis doctior, aut in Theologicis quęstionibus sublimior? Quis vnquam eodem orationi addictior? Nunquam ille se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem: in difficultatibus locorum scripturæ ad orationem ieiunium quoque adhibebat; quin etiam Sodali suo Fratri Reginaldo dicere solebat: quicquid sciret non tam studio aut labore suo peperisse, quàm diuinitus traditum per orationem accepisse. Ita igitur, cùm in precandi studio Thomas singu-

In vita Sur. 7. Mart.

ſingularis Phœnix eſſet, in eruditionis laude ſublimis Aquila euaſit. Cùm Thomæ iſtius memini, venit quoque in mentem Thomæ alterius, qui non ita pridem Romæ Philoſophus pius ſanè extitit: Pietati enim ſe ita dederat, vt omnes ipſius actiones diuinum quidpiam ſaperent; Inter Schedulas, quibus Logicus in ſyllogiſmorum ſe formulis exercebat, reperta eſt vna, quæ hoc Paradigma, ſummæ Pietatis exemplar referebat. *Omnis ſempiterna vita, ſi fieri poſſet, ſempiterno eſſet labore emenda: ſed cœleſtis gloria eſt vita ſempiterna: labore igitur, ſi fieri poſſet, eſſet emenda ſempiterno:* ita non magis Philoſophię Thomas, quàm pietati ſtudebat. Et placuit ſuperis iſta Philoſophandi ratio: nam Cœleſtem Iuuenem Angelus, & Apoſtolus Thomas, Diui ipſius Tutelares ſuauiſſimo ſuo aſpectu, iucundiſſimaque per pratorum amœnitates inambulatione mirificè aliquando à ſtudijs grauioribus recrearunt.

In Alph. Chriſti ex lite. ſoc.

Tempus eſt vt domo egreſſi Templum, Religionis propriam ędem ingrediamur. Verùm retinet in primò ſtatim limine pientiſſimus Salomon. *Cuſtodi,* inquit, *pedem tuum ingrediens domum Dei & appropinqua, vt audias.* Moyſi propiùs

Templum.

ad

ad montem accedenti: vt rubum prodigiosè nullo ſui damno ardentem cominus contueretur, à præſente Numine
Exodi c. 3 oraculum emiſſum. *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Nefas igitur & piaculum videbatur calceatum aſſiſtere eò loci, vbi præſens Numen, videndum ſe mortali homini prębere. Quid quod etiamnum Mahumetani, nudis pedibus, venerationis ergo ſacrilega ſua delubra ingrediuntur? & ex Idololatris nonnulli, nonniſi excalceati ad res ſacras accedunt? & necdum intelligunt Chriſtiani maiorem à ſe reuerentiam in Templis præſenti Deo deferri oportere? Igitur modeſtè primùm, corpore, animoque ad pietatem compoſitis, religioſo metu plenus Templum ingredere: nam ſi cui in Aulam Principum conceſſus eſt aditus, vt primum limen attigerit, colligit ſe ſe, ſibi rebuſque tractandis ſolùm intentus: vt verò Regis Principumque vultus atque ora conſpexerit, mox ita impalleſcit, ita omnibus cohorreſcit artubus, vt ſi fulmine repentino percelleretur: atqui ædes ſacræ Baſilicæ ſunt, & auguſtiſſima Palatia: Vbi Deus eſt modo ſingulari; vbi Chriſtus in Euchariſtiæ Sacramento cum ampliſſimo Angelorum

gelorum comitatu ac famulitio ſiſtitur: quâ par eſt ibi reuerentia aſſiſtere? Sed pręter decentiam corporis animique ſibi præſentis attentionem, id maximè faciendum: vt pedem nudes, calceumque abijcias, id eſt, adferas cor à prauis affectionibus nudum ac liberum, alioqui ſolenne iſtud carmen occinetur. *Procul hinc, procul eſto prophane*; etiam flagellis arcendi canes ab aditų adytiſque Templorum. Heu me! quis enim ſine bile & lachrimis ferat eos, qui ad Templa veniunt ſuperbo pede, impudenti vultu, luxurianti veſtium pompâ comptuli, polituli, animo etiam ſubinde inſolenti, & laſciuo: vt aut ſpectent, aut ſpectentur: id eſt, vt dicata Diuino cultui loca pro foris aut proſtibulis habeant, nundinentur pudicitiam, lenocinentur, libidinentur? Heus tu! quid hæres ad valuas, ad Templi limen? aut ingredere, & aræ appropinqua, vt rem Diuinam audias; vel omnino egredere. Oculis hunc, illum, illam, hancque improbe ſagittas, & alios teque nefandè vulneras. Sacrilegus es, abi; aut ab irato Numine non è funiculis flagellum; ſed pice ardentem facem time. Paulò leuius ſed tamen ſatis grauiter peccat nonnemo alius toto corpore bos, aut ad Columnam

lumnam cornutus aſtat, aut in ſcamna procumbit: iam vno cubito innititur, iam altero: iam hunc flectit poplitem, iam illum, vtroque rarò ſupplicat: diceres vnum eſſe aliquem ex ijs ſatellitibus, qui in Caypha Domo flexo vno genu quaſi venerabundi, Chriſtum non adorarunt, ſed irriſerunt; aut ex ſodalitio eorum veteranum quempiam, qui ad geniculantes atque inclinantes arcubaliſtâ eiaculantur. Res non modo ridicula in Templis: ſed etiam impia. Sunt qui oculos hinc inde euibrant, atque ceruices fœdum in modum contorquent; res minimas cenſore ſupercilio, etiam muſcas, atque atomos obſeruant. Quid cætera enarrem? orant perparum, & iſtud, quidquid eſt, obſcurè obmurmurando ita corrugatâ fronte & malè diuaricato ore: plane ac ſi ſpinas eſitét, aut crudas ficus. Alij libros interim voluunt à loco & tempore alieniſſimos, turpiculos enim dicere puduit. Plurimis diſtrahitur in alia omnia animus, non dicam ad fœda & obſcœna: ſed tamen in nugas de Sphæriſterio, de pilis, de luſu, de nuncio, de pecunia, de popina mens conſilia aut ſuſpiciones agitat: nec deſunt qui cum alijs nugas tractent, &, ne quid ſceleratius nominem,

nem, fabulas. At domus iſta Dei eſt & orationis; non forenſium cauſarum, non nundinarum. Academicus meus Adoleſcens non ita aget, ſi mihi & Salomoni auſcultat. In primo ingreſſu, ſancti Bernardi exemplo alienas cogitationes iubebit conſiſtere, dum redeat; veſtem mentemque componet ad pietatem, aquâ ſacrâ ſe religiosè leuiter tinget: vtroque genu poſito, manibus iunctis, oculis ad Aram aut piam ad Imaginem, aut pium librum deflexis ſupplicabit. Accedet, ſi commodè poteſt, ad ſacris operantem propiùs, vt audiat. Vbi hæc paucis præſcribenda: Peccatorum primò veniam enixè à Deo petes, quamdiu ad pedem Altaris conſiſtet Sacerdos. tum certum finem ſacrificio præſtitues, vel Hæreticorum Conuerſionem, vel bonum quoduis aliud Reipub. aut Catholicæ Religionis, aut priuatum ſiue tuum, ſiue eorum, qui ad te pertinent. Cùm ſacra Hoſtia adoranda proponetur Chriſtum iſtic recognoſces tam dira, duraque pro te olim paſſum, & demiſſiſſimè adorabis: te, tuaque ei omnia commendabis. Sacerdote verò hoſtiam conſumente, Sacramenti fidem veram, eius ſumendi ardens deſiderium, ſeruatoris tui in te

vehementiſſimum amorem excitabis. Atque ita communicabis de ſacrificio ſaltem ſpiritualiter. Reliquo tempore dum res diuina agetur, alia pietatis penſa exſolues, vt volueris: Satis mihi eſt iſta vel digito vno attigiſſe.

Menſa. Iam ne communis quidem menſa, religione apud Chriſtianos vacare debet. Inſigne huius officij eſt apud S. Baſilium documentum. *Antequam,* inquit, *corpus cibo reficiamus, preces concipiendæ ſunt pro dignitate diuinorum munerum tum eorum, quæ in præſens nobis tribuit, tum eorum, quę in poſterum tribuentur. Curatis corporibus rurſum preces fiant: quibus & ob accepta beneficia gratias agamus, & promiſſa nobis à Deo efflagitemus.* Hunc benedicendi gratiaſque agendi morem antiquiſſimum eſſe, conſtat ex S. Iuſtino Philoſophorum Chriſtianorum Coryphæo inſigni & pręnobili Martyre, qui iſtarum precationum formulas ad nos vſque tranſmiſit. Superuacaneum eſt igitur iſtud pluribus monere: ac ne monuiſſem quidem, niſi compertum haberem à leuiculis græculiſque ſubinde Adoleſcentibus, cùm præſertim extra domum paternam in Academijs verſantur, illam Religionis partem negligi, graui ſane reprehenſione omnium

Epiſt. 1. ad Greg. Theol.

prope

prope animantium, etiam ferarum: quę ijs à quibus cibos acceperunt, gratiam quo possunt ritu, referunt. Soli enim sunt Porci (verè Porci) quos videas, nullâ aut prece, aut redhibitione gratiæ accedere ad epulas, & æquè inofficiosos recedere.

Abit iam dies in altam noctem, & tu diurnis curis studijsque fessus, ad quietem properas. Placet; tamen hic etiam mihi monendus es, mi Academice Adolescens, è trito quidem, sed planè Christiano documento. Vesper.

Non priùs in dulcē declinent lumina somnū
Quàm priùs exactæ reputaueris acta diei.

Ne diu in modo hæsites, facile erit ad manum amussis, ad quam id exigas.

Solue Deo grates, pete lumen, discute mentē.
Delicti veniam posce, recîde malum.

Hoc facies efficacissimè actu contritionis ex amore Dei super omnia. Subijcies alias quoque precatiunculas, pro vt opportunum iudicabis: ita denique signum Crucis, aquæque lustralis sacro tinctu munitus, ad quietem te compones. Curandum maximè vt in pia aliqua cogitatione indormiscas, mortis præsertim, cuius somnus imago est: vnde & iuuerit ad lectum habere mortui effigiem, quæ mentem magis feriat.

certe eæ ferè dormientium & expergeſcentium cogitationes recurſant, quæ poſtremæ in vigiliâ fuerint, quam in rem facit, quod B. Climachus ſcripſit.
Gradu 36. *Quoties*, inquit, *quietis causa lectulo decubuerimus, aduenıens immundus Spiritus iniquas ac ſordidas cogitationes, velut ſpicula quædam, iaculatur in nos: vt cùm per deſidiam ad orationem non exſurgimus, neque contra illum ociùs armamur, in ſordidis obdormiſcamus cogitationibus, ſordidaq́ʒ videamus ſomnia.* Quare laudandus quorundam ille feruor, vt Roſarium B. V. ad ſpondam lecti & aquę luſtralis vaſculum, flagellum, cilicium in promptu ſemper habeant contra nocturnos illos aſſultus: atque vt ſomnus identidem noctu interrumpitur in orationem pro mortuis, atque in ſuauiſſima pientiſſimaque illa nomina prorumpant. IESVS MARIA. Quę dixi, in dies ſingulos adhibenda ſunt: quæ ſequuntur diu ſaltem differri non debent, Confeſſio peccatorum & ſacra Communio.

Confeſſio. Ac de Confeſſione quidem ad peccatorum expiationem diuinitus inſtituendā aliquid prę̨ſenſiſſe videtur Salomon; *Iuſtus*, ait, *prior accuſator eſt ſui.* Quem locum de Sacramentali ad Sacerdotis aures accuſatione grauiſſimi ſcriptores accipiunt; inter quos eloquentiæ Chri-

stianæ fulmen ipse Chrysostomus, cùm enim ex 70. interpretatione ita legisset: *Iustus sui ipsius est accusator in principio sermonis*. ita explicat. *Dic tu iniquitates tuas prior, non simpliciter dicit: dic tu iniquitates tuas, sed adiecit, prior: hoc est, ne expectes te arguentem, ne præstoleris Actorem, ipse præueni, & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias. In humanis quidem iudicijs si quis hoc faceret & ante accusatorem crimina confiteretur, quamuis apud humanissimum iudicem, is sententiam capitalem omnino in suum caput accerseret; At misericordia Dei maior est, Ineffabilis Bonitas & Clementia. Nam si aduersarium nostrũ præuerterimus, (Diabolum dico, qui in die illa ob faciem nostram stabit) & in præsenti vita, antequam tribunal ingrediamur, facinora confessi fuerimus, dicendiq; principium rapuerimus, nostri ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiam prouocabimus Dominum: vt non solum nobis donet liberari à peccatis, sed etiam in iustorum Catalogo numerari.* Hom. 29. in Genes. c.4.

Placet ad Salomonicæ sententiæ maiorem lucem ex sancto Ambrosio etiam facem accendere, etsi sensu nonnihil diuerso. *Lupus*, inquit, *si prior hominem viderit, vocem illi eripit, & deijcit eum tanquam victor vocis ablatæ. Idem si se ab homine* Lib. 6. hexa. c.4.

homine prauisum senserit, deponit ferociam, & currere non potest. Tu nescis, quomodo eripias virtutem aduersario, vt tanquam præuentus lupus effugere non possit, vt oculo tuo mentis eius perfidiam deprehendas; vt prior cursum verborum eius impedias, impudentiam eius & acumen disputationis obtundas: quòd si ille te præuenerit, vocem tibi aufert. Hoc tibi mi, Academice Adolescens, dictum puta. Rem propiùs attingamus: peccasti? id est, luculentam animo plagam accepisti? adi spiritualem medicum, qualem tibi superius descripsi, fidenter & planè, integrèque vulnus quantumuis sanie & fœtore horridum aperi, & ad Sacerdotis aures doloris, melioris propositi, optimæque spei plenus depone. Non audeo, inquis; atqui ausus es tamen Deo ipso spectante facinus admittere: audesque etiam nunc eo scelere contaminatissimus in conspectu solis ac irati Numinis comparere; Fateri admissum crimen, non vitio, sed virtuti vertere debes; non probro, sed honori. Deinde puduisse anteà oportuit, cùm facinus designares, aut patrares; præposterus, imò turpis, nunc est tuus pudor. Ferunt Iuuenem è domo infami egredientem cùm prætereuntem Socratem deprehendisset, mox

in

in conſpectum Philoſophi prodire minimè auſum reſilijſſe retrò poſtem, ne videretur. Socratem acceſſiſſe, apprehenſoque brachio extrahentem, dixiſſe Iuueni rubore ſuffuſo; ingreſſum te fuiſſe ſiquidem pudeat, at ne pudeat, Adoleſcens, ex infami loco egredi. Pergis verò tu mihi iterum iſtud obtrudere; *Certe non audeo, ac ne egredi quidem*: hoc nimirum callidus & impius Cacodæmon agit, ille animo tartareum illum pudorem ſuffundit, & quod lupi faciunt ouiculis, ne paſtoris opem balando implorent, faucem tibi ſtrangulat, & ora, ne fateare, occludit. Quid (hæ ſunt ipſius aſtutiæ) iſtas turpitudines tuas impudens vel in aurem vomere audebis, quarum vel te nunc meminiſſe perpudet? quid confeſſarius de te cogitabit? quid obijciet? quid exprobrabit? hæccine fides, hoc toties promiſſum iuratum, non recidam, non relabar? ea ille. Sed omnino Diabolicæ ſunt hę artes, ideoque negligendæ. Audi Chryſoſtomum. *Deus pudorem dedit peccato, confeſſioni fiduciam: inuertit rem Diabolus; & peccata fiduciam præbet, confeſſioni pudorem.* Quid ages? quid? contrà tu, lupum iſtum falle, & ei guttur vocemque ſtrangula, ne te in die

Hom. 3. de pœnitentia.

olim iudicij perditū ſacrilegumq;accuſet:erit ſerò, cùm pœnitere ſeriò voles, fortaſſe non poteris: ſi verò iam peccatum liberè fatendo Dæmonem præuertis, eum muteſcere in iudicio facies; id te ſcilicet paulò antè iterum Chryſoſtomus Ambroſiuſque monuere. Valere hic quoque iſtud debet, accuſationem hanc apud prudentem, bonumque Sacerdotem (cuiuſmodi non difficulter vnum aliquem reperies) eam, inquam, accuſationem tuam non eò pertinere, vt ſicut in humanis iudicijs fieri ſolet, in carceres primùm, in vincula, ac denique in diram necem à carnifice pertraharis, ſed vt à Iudice pro poteſtate, quàm à ſupremo Principe accepit, abſoluaris, hæc enim eſt huius fori ac iudicij poſtrema formula. *Abſoluo te.* Adhuc tamen horres, & pudorem, iam impudens, toties obijciendo obtundis? ſic habe igitur, excarnificabunt te & necabunt ſordes tuæ, quas præ pudore in conſcientia retines, niſi ſtomachum exoneres, & confitendo pus euomas. Pudet? quantum voles, guttur, & os ferreum occlude; non eſt via alia euadendi, confiteri debes aut æternū perire. Pudet? illæ, illæ, quas tam nequiter animo infodis, & ſigillo clauſis vnius Sacerdotis auribus

auribus occultas, toti olim mundo reuelabuntur turpitudinies tuæ, nisi iam detegis. Næ, inquis, isti stimuli perfodiunt, & altè vulnerant. Igitur. Cras, cras, ô Coruinam iterum stygij venatoris vocem? non times istud sancti Gregorij fulmen? *Qui pœnitenti veniam spopondit, crastinum non promisit.* Si virus, si vulnus lethale acceperis, an Medicum, aut Chirurgum, vel non vocas statim; vel, si potes, ad eum non aduolas? periculosa hic est mora. Quid si ardens scintilla in lectuli plumas dilapsa sit, nisi priùs extinxeris, indormire non audes: audes peccato mortali nondum ex animis sublato, illâ inferorum ignium faculâ nondum excussâ, etiam vnius noctis quietem capere?

Sequitur Communio, quam Regis Angelorum diuinissimam mensam vt frequens adeas, ipse (quod mirum est) inuitat Salomon, imò ipsamet, quam toto pectore hinc clamantem audire poteris, diuina Sapientia ad Euangelicam hanc Cœnationem vocat. Ac primùm pro triclinio Ecclesiam esse iubet, pro mensâ sacerrimæ Religionis Aram. Atque prælusum quidem pridem fuit huic epulo tot illis Mosaicæ legis figuris atque vmbris: at nunc post vmbratiles Communio.

les illas menſas rem ipſam, Panem & Vinum, ſub ſpeciebus, inquam Panis & Vini edendum, bibendumque Corpus Filij Dei, & Sanguinem exhibet: nam eum Salomonis locum ad Euchariſtiam SS. PP. neque ij pauci, neque obſcuri referunt, Cyprianus, Chryſoſtomus, Ambroſius alijque. Tum vero illa, quæ epulum apparauit, Sapientia, ad cœnationem amiciſſimè inuitat; quis enim ad tam diuinam menſam non inuitatus accedere auderet? *Venite* (inquit) *& comedite Panem meum, & bibite Vinum, quod miſcui vobis.* Ne verò obſcura cuipiam ſit iſta inuitatio: miſit Ancillas, aut (vt 70. interpretantur) ſeruos ſuos: Angelos, Apoſtolos, Doctores, reliquos verbi Diuini Præcones: vt omnes quidem, qui modo genialem albamque veſtem induerint, in Cœnaculum conuocarēt, verùm paruulos præſertim & rerum, ſcientiarumque adhuc rudes. Hæc enim eſt illius vox, *Si quis eſt paruulus, veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt, venite, comedite, bibite.* Imperitos igitur, & (vti
L.4.Mor. c.17. S. Gregorius Magnus explicat) à Sapientiæ faſtu minime turgidos adeſſe illa præcipuè ac nominatim iubet. Nimirum huic Angelorum menſæ crebrò aſſidere deberent profectò omnes, at
ętate,

ętate, Sapientiáque minores facere id debent & crebrius & ardentius. Quæ enim duæ res magis ijs optandæ sunt, vita longior, & maior eruditio, eas dignâ Sacramenti huius frequentatione, atque crebro vsu facile consequentur. Enim verò hic ille diuinus panis est quem vitæ & intellectus ideò Sacræ literæ nominant, quòd non modò vitam seruet, augeatque, sed ipsam pręterea multò efficacius quam arbor vitæ conferat immortalitatem; intellectum verò non modò illustret, sed ipsum (vt Ioël Cap. 2.
loquitur) Iustitiæ Doctorem, aut (vt 70. hic iterum interpretantur) iustitiæ escas in mentem quasi in stomachum per modum cibi intromittat. Ministrat huic, quod tractamus, argumento facem Psalmistę Regij iste versus, *Filij tui sicut* Psal. 127.
nouellæ Oliuarum in circutu mensæ, quo iuniores Ecclesiæ filios & ob ætatem adhuc rudiores, nouellis oliuarum plantationibus comparantur: nam Oliuæ, quòd alternis tantum annis fructum ferant, annosiores sunt, & tardius emoriuntur, eædemque prudentiæ & sapientiæ symbolum perhibent. Quam ob rem sapientes viros oliuarum frondibus ac ramis olim prisci coronabant, Palladiæque sapientiæ Deæ oleam consecra-

ſecrarunt. His igitur de cauſis, Adoleſcens mi Academice, ſiquidem viuere & ſapiens eſſe amas, frequentandam hanc tibi menſam eſſe, vt opinor, ſatis iam intelligis. At id etiam, neſcio an non maiori de causâ facere debeas ſtudioſius, quòd imbellis, & ad prolapſionem facilis in ſummo ſalutis periculo verſere. Nam etſi omnem hominis ætatē tartarei hoſtes infeſtis prælijs adoriantur, atque ſolicitent: faciunt tamen & acriori difficilioriq́ue pugnæ genere in Adoleſcentia, ad quam minori negotio debellandam vident ætatem ipſam, ætatiſque vitio ardentem concupiſcentiam, faces maleuolas, machinaſq́; ſibi ſubminiſtrare. Quare eò tibi eſt magis prouidendum, vt ne ſolus ſis, & ea arma tibi compares, quibus reſiſtere ſaltem hoſtibus & minimè vinci poſſis. Atqui Euchariſtiæ Sacramento nihil ad hanc rem poteſt eſſe præſentius aut fortius.
Pſal.22. *Paraſti*, aiebat Propheta, *in conſpectu meō menſam, aduerſus eos, qui tribulant me.* Rectè, nam ſi Deus non modò pro nobis, ſed etiam in nobis, quis contra nos? Zachariæ iſtud fuit olim vaticinium. *Quid bonum eius eſt? & quid pulchrum eius? niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* quem locum 70 ita expli-

plicant. *Si quid pulchrum Deus, et si quid bonum eius, frumentum iuuenibus & vinum boni odoris ad virgines.* Atque hinc scilicet factum, vt initio nascentis Ecclesiæ, cùm quotidianus Eucharistiæ vsus, esusque esset; tot reperirentur & pueri & puellæ, qui non modò virginitatem atque vitæ innocentiam colerent; sed pro ea etiam tuendà vitam obijcerent, & crudelissimas neces obire minimè reformidarent. Scilicet panis hic gladius est Gedeonis, quo de Madianitis populus Dei triumphat, Panis Angelorũ, idem, & (vt alij ex Hebræo legunt) Fortium. Iob aquilinorum pullorum ingenitam indolem commendans, *Pulli (ait) eius lambunt sanguinem*. Aquilarum vnum genus istud est, de quo Aristoteles scribit: pro potu sanguinem exsugit: Hinc illis ad audendum prędandumque ingentes animi. Quid non faciet in adolescentibus Christianis viuidior ille diuiniorque Christi sacer pro potu propè quotidie haustus cruor? Quare, vt sancti Gaudentij verbis hunc locum concludam: *Contendite, pulli generosi, ad sacram offam, in qua est vita; & ex cœlesti illo cibo mica non cadat.* Fuit olim vnum è reliquis diuinandi genus apud superstitiosas gentes per Augurium: pullis auium

Iudic. c. 7.

Cap. 36.

Serm. ad Neoph.

auium famelicis offula obijciebatur, illi ad obiectam sibi escam prouolabant. Si ita negligenter aut parùm studiosè, vt aliquid in terram decideret tripudium, aut terripauium erat infaustum, reique malè agendæ inauspicatum omen: si verò ruentes ita auidè sumerent; vt nihil tamen ex ore in terram delaberetur, negotium auspicato suscipi posse augurabantur: ita Reipub. ac Religionis Christianæ, tuoque ingenti bono fore ominabimur, si ita crebrò, auidè, alacriterque ad diuinam istam Ambrosiam prouoles, vt nullam tamen istius cibi partem, nullamque sacram communionem sine fructu tibi excidere patiare. Atque ista de Religione, quæ Deo ipsi in se debetur dicta sint hactenus. Restat vt de ea, quę illius causâ cœlitibus debetur pietate ac cultu verbulum attexam: ij è cœlitum numero pręcipui sunt Patroni Tutelares, custos Angelus, Dei Hominumque Virgo Parens Maria.

§.IV.

§. IV.

Religio in superos.

QVibus suæ est impensior salutis cura, istud quoque est studium: aliquot sibi vt è cœlitum toto numero, deligant certarum causarum rerumque apud Deum intercessores atque Patronos, quos adeant, salutent, eisdem negotia commendent, quoties tempus & res ipsæ postularint: hos ad virtutis cuiuspiam consecutionem, illos ad vitij extirpationem, quosdam pro felici obitu, adsciscant: tum certa, rataque pietatis officia in dies, hebdomadas, menses describant, quæ ad eorum cultum religiosissimè exsoluant: ita tamen, vt Angelum tutelarem, & è cœlitibus eum, à quo in Baptismo nomen accepere, prę cæteris autem, Virginem, Dei ac suam parentem pro quotidianis aduocatis habeant, colantque. Ex tutelaribus Diuis illi Litaniam conficiunt; quotidie mane, aut in Missa, aut Vesperi pie recitant, adduntque oratiunculam quotidie particularem de B. V. ad Angelum custodem, ad Patronum, cuius nomen præ se ferunt, itemque ad eos, qui in desi-

designatis hebdomadæ diebus præcipuâ veneratione colendi veniunt: itaque præter cultum communem, eo die ad eorum honorem plusculum orant, vel bonum quodpiam opus deferunt. Cum vero festus Patroni alicuius dies inciderit, ieiunium præmittunt, aut saltem abstinentiam à cibo & potu solito maiorem. Ipso die festo vel alternam Missam audiunt, vel etiam confitentur, & communicant Angelo custodi id esse debebit proprium, vt omni ferè loco, sæpe-numerò saltem ad latus adesse, vt adest reuera, & iam ad virtutem excitare, iam dehortari à vitijs præsens audiatur, nihilque animo committatur præsertim ob cœnum, quòd meritò offendere eum possit: illudque religiosè præstetur, quod S. Bernardus piè monuit: *Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis: in quouis diuersorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerentiam habe. Id ne audeas eo præsente, quod vidente me non auderes? quoties grauissima cernitur vrgere tentatio, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in oportunitatibus, in tribulatione inclama eum, & dic: Domine salua nos, perimus.* Ita non dubito, factitabat diuinus iste vir, quemadmodum alijs

In Psalm. qui habitat.

alijs præſcribebat. Verum primæ ſecundum Deum pietatis partes erga Deiparam Virginem excogitandæ & deferendæ erunt; ideò enim cultum eius SS. PP. & Doctores non Duliam vt reliquorum Sanctorum: ſed per excellentiam Hyperduliam appellant, vt quam Deus ipſe omnium maximè nobilitauit, Angeli vt Reginam ſuam proſecuti ſunt, pijſſimi ſapientiſſimique ſemper homines, præcipuo honore coluerunt, Maternitatis Dei titulo inſignem, & meritis atque poteſtate omnibus puris creaturis longè ante-ſtantem ſingulari etiam nos officio proſequamur. Infinita ſunt, quæ in hoc genère paſſim ſcribuntur, & hîc exaggerari cumularique poſſint, niſi ex aliorum libris ea iam rés eſſet notior, quam vt hîc iterum obtrudi debeat. Exemplorum quoque vis, Beneficiorumque apud Marianos cultores & clientes ab optima Matre collatorum tam immenſa, vt plena vbique proſtent volumina, pleni Annales, atque hiſtoriæ. Non omittam tamen fortaſſe vulgò notam, ſingularem tamen certè S. Gerardi in Virgine colenda curam, atque ſtudium. Is enim non contentus (vt Cauſini noſtri hîc verbis vtar) perpetuum Deiparenti Thymiama adole- In ſymbolis.

re, ita ad Mariæ nomen & inuocationem affectus erat, vt si quis reus clam à Familiaribus sãcti viri edoctus, veniã ab ipso peteret per nomen Matris Christi: mox obortis audito nomine Matris misericordiæ pijssimis lachrymis persuaderetur & perinde ac si ipse reus esset, à reo veniam peteret. Ipso authore ab Húgarica gente non pronunciatur, nomen ipsum Matris Dei, sed Dominam omnes vocant: si autem fuerit à quopiam pronunciatum nomen ipsius, statim flexis genibus & demissis in terram capitibus sese inclinant; atque ideò eadem Hungaria à sancto suo Rege Stephano. S. Mariæ familia appellata est: tam Pannones Mariæ, iam veteri religionis instituto sunt addicti. Porrò quęnam ad Marianũ cultũ pertineant in R. P. Spinelli, in Hortulo R. P. Francisci de la Croix verè Mariano, & apud alios fusius proposita explicataque facile reperies. Ego ex omnibus breuem dumtaxat Catalogum conficiam.

Angelicam salutationem piè sæpius recitato: ei, qui dum horæ pulsus auditur recitaret mille dierum Indulgentias à Leone X. concessas, à Paulo V. confirmatas supra diximus.

Rosarium nullo die intermittito: Officium

Officium de Beata Virgine raro.

Sanctissimum Mariæ nomen reuerenter pronuncia, scribe, audi.

Beatę Virginis imaginem fer tecum semper, habe in cubiculo, in libellis precatorijs, &, vbicunque videris, honora.

Loca Virgini sacra peregrinorum ritu, religiosè adi. Nihil eorum quæ concedi fas sinit, ei nega, qui per Virginem rogarit.

Per eius manus preces & vota tua Deo offer, ita faciliùs impetrabis, quicquid è bono tuo petieris.

Sæpe de Virgine loquere, loquentes libenter audi, eius cultui deditos ama, & tibi adiunge.

Sodalitati Parthenicæ nomen dato; & inscriptus, legibus exactè pareto.

Sabbathinos dies, peruigilia, & dies Virgini festos pręcipuo studio cole, ieiunio, abstinentiâ saltem aliquâ, corporis afflictione, longiori prece, eleemosynâ &c. Omnium verò maximè & quidem studiosissimè, Virginis virtutes, & ex earum choro speciatim animi corporisque puritatem colito, imitator.

Duo alia quędã insignia Marianæ pietatis officia alibi reperies: vnum est pro felici obitu quotidie recitare Litanias

Lauretanas cum oratione ad ſanctum Ioſephum.

Alterum, ſacrâ catenulâ B. V. ſeruitio ſe mancipare.

§. V.

Exercitia Deuotionis definita.

NVnc denique reſtat, vt quod capitis huius caput eſt, ex ijs, quæ dixi, decerpas, mi Adoleſcens, quæ accuratè, quaſi ordinaria penſa pro Religionis debito rependas: ſed primò accuratè ac diligenter, non oſcitanter, non quaſi aliud agendo, aut per tranſennam, & vt dumtaxat pręfunctus officio videare. Deinde conſtanter atque fortiter non eorum more, qui iam in via currunt, iam hęrent in angiportis: ſed ſtudio continuo, atque contento: diligentiam illam, atque conſtantiam, diuina tum excellentia, tum perennis beneficentia à te depoſcunt. Poſtremò non languidè, remiſsè, frigidè (dedecet enim omnino) ſed calidè, feruenter, imò etiam ardenter: vno verbo, deuotè. Nam etſi propriè deuotio ea ſit virtus, qua nos totos Deo obſtringimus & conſecramus, vt olim pro ſalute populi Romani vter-

vterque Decius Pater & Filius se vitamque suam Dijs deuouerunt, tamen restrictè, neque malè, cum S. Thoma 2.2. q. 82 art. 1.
Theologi per deuotionem intelligunt actum Religionis, quo voluntas promptam & paratam se demonstrat, ad ea exequenda, quæ ad diuinum cultum pertinent, præsertim cùm ea exsoluuntur cum sensu quodam, ex teneritudine colliquescentis affectus: quâ in parte præstitit Abrahamus ille, qui iussus filium suum vnigenitum tollere, & patrio solo, & insciâ ac insalutatâ Matre abductum offerre in Holocaustum, ne quid præter cineres de tanta sobolis ac posteritatis spe superesset, idque super vnum montium, quem, ne quidem de nomine significatum, Numen postea demonstraret: de nocte, ne luce quidem expectatâ consurgens, strauit ipsemet asinum suum, ligna ad sacrificij ignem concîdit, imponit, duorumque tantum famulitio comitatus, qui, quid ageretur nescirēt; abit tridui itinere, ac tandem loco, quem Deus designârat cominus prospecto, famulis consistere iussis, cum filio strue lignorum onusto ipse ignem gladiumque portans pergit, montem ascendit, Aram extruit, ligna componit, Filium pro victima adducit, ligat, Gen. c. 22.

& prope immolat. Promptitudinis parendi, alacritatiſque ac deuotæ feſtinationis plena omnia, Filius vnigenitus, intempeſtæ noctis iter, & acceleratio, Parens idem & Sacerdos, idem Filius, & Hoſtia: neque vlla vſpiam mora neque tergiuerſatio.

Spectant ad hanc deuotionis interioris ſignificationem in noſtris ſacris ac ritibus apertio aut inclinatio capitis, oculorum iam ſublatio, iam demiſſio, tunſiones pectoris, genuum flexiones, lachrymæ ac ſuſpiria, aliaque ſexcenta eiuſmodi, ſine quibus Religio ſarta tecta retineri, conſeruarique non poteſt. Quod miror ne Ciceronem quidem latuiſſe, cùm dixit, Sapientis eſſe Maiorum inſtituta tueri, ſacris, ceremonijſque retinendis. Hanc in rebus ſacris teneritudinem, ad quam Adoleſcentum ætas eſt mollior, ſenſit olim ſanctus Auguſtinus initio ſuæ ad Deum conuerſionis, cùm in templo diuina audiret: ita enim de ſe ipſo ſcribit. *Voces influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea exæſtuabat inde affectus pietatis, & bene mihi erat cum eis.* Verùm quia dum alia alijs necto, abeo in immenſum, hic ego abrumpo potius, quàm finio.

Lib. 2. de diuinat.

L. 9. Confeſſ. c. 6.

ORA-




ORATIO.

Pro Religione in Deum impetranda.

IVbes Deus meus, Bonitas & Maiestas infinita, vt te amem, te colam: & nisi faciam, minaris, & quidem cruciatus perpetuos: an non satis magna pœna est, si te non amem & colam? nam si tibi seruire, regnare est, non seruire tibi seruile, imo flagitiosum est. Si verò te amare vita est, non amare te mors est, & quidem mors æterna. O Deus meus, Pater meus & Dominus meus, probrum istud mihi à te obijci nunquam audiam. Si Pater, vbi Amor meus? Si Dominus, vbi est honor meus? mihi cor esse nolo nisi vt amem te, mihi non corpus, non vitam opto; nisi vt colam te. Amem hîc te seriò, serò licet, ô Bonitas tam antiqua, & tam noua! hîc colam te, Maiestas tam immensa & tam munifica, vt amem & colam in Cælis per infinita sæcula, Amen.


PIETAS
In Parentes et Magiſtros 20.
Αντιπελάργωσις
Nec ſic Vmquam debita ſolues




SYMBOLI EXPLICATIO.

Iterum vocaris in theatrum, Adolescens Academice, aër proscenium, sylua orchestra est, ni piget, etiam hanc comœdiam specta. Seria est actio pietatis in Parentes, ac Magistros.

Ciconiæ effœtos senio suos progenitores & plumarum defluxione frigentes pennis circùm iuniores fouent, conquisitoque cibo inuicem nutriunt. Vt merito, quod vni inter Imperatores Antonio concessum olim fuit Pij nomen, Ciconiæ omnes meritæ sint, piæque Aues audiant: neque hæ pietatis suæ fructu carent: nam cum senuerint, paria à suis obsequia experientur.

Quid ipsos Leones loquar? Androclus seruulus à Domino fugitans in Leonis speluncam sese abdiderat: eo sub noctem rediens Leo cruen-

cruentato à ſpina pede cum ſummiſsè acceſſiſſet medicam opem petijt: ille ſpinam eduxit, amicum viciſſim hoſpitium obtinuit, gratumque eſt expertus hoſpitem belluam, ab ea enim & congiarium accepit triduo, ac deinde cum ſe ambo capti in Circo Romano inopinatò reperiſſent, Leo veteri medico abblanditus ſtuporem primò ſpectatoribus mouit, mox miſericordiam. Ita Leone grato beneficus homo ſeruatus eſt. Beſtiæ ergo charitatem in parentes, gratitudinem in benefactores docent: pudeat non imitari aliquouſque: nam parentibus & Magiſtris benefactorum maximis par vt reddas aliquando, fieri non poteſt.




CAPVT QVINTVM.

Pietas in Parentes, ac Magistros.

M O N I T V M.

Parentes, & Magistros vt humanum, quoddam Numen habeto, quantâ par est obseruantiâ, etsi par referre nequis, prosequitor.

S A L O M O N.



Vdi, Fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Prou. 1.

Filius sapiens lætificat patrem: filius

lius vero stultus mæstitia est matris suæ. Prou. 10.

Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te. Prou. 23.

Qui comessatores pascit confundit patrem suum. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Prou. 28.

Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infœlix. Prou. 19.

Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ. Prou. 30.

Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ & præcepta mea cor tuum custodiant. Longitudinem enim dierum & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Prouerb. 3.

MEN-



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Parentis nomen præſefert diuinum quidpiam.

REligioni in Deum cognata eſt pietas in parentes. Quos neſcio quid affine habere cum dijs immortalibus, eſſeque debere filijs pro humano Numine multi cenſuerunt. Certè (quod maximè diuinum eſt) nati à ſuis progenitoribus vitam accipiunt, ab ijſdem quoque educantur, aluntur, reguntur. Quas ob cauſas hi in illos Regiam (vt Ariſtoteles docet) poteſtatem vſurpãt, iuraque habent vt vitæ, ita propemodum necis; niſi hoc vltimum ita ſibi Deus reſeruaſſet, vt idem ſummus vitæ Author, mortiſque arbiter ſupremus haberetur. Ac parentibus quidem diuinitatem, aras, ſacerdotes, ſimulachra, non

In Eth.

non modò qui ſapientiæ nomen obtinuerunt apud antiquitatem, ſed gentes nationeſque integræ tribuerunt. Hieronis Philoſophi hocfuit dogma apud Stobæum. *Si quis parentes ſecundos ac terreſtres quoſdam Deos dixerit, non errabit, cùm nobis propter vicinitatem, vel ipſis dijs viciniores ſint.* Deinde hæc ſubdit. *Vt igitur in promptu habeamus quibus officijs erga parentes obſtringamur; Summariam hanc ſententiam ſemper animo verſare oportet, quod parentes nobis Deorum imagines ſint, & per Iouem dij lares pſeudo-myſtici beneficiorum authores, cognati, creditores, domini & amici conſtantiſſimi. Sunt enim Deorum imagines certiſſimæ, nam ſimilitudinem eorum nobis referunt melius quàm vllius artis facultas exprimere poſſit, cùm tanquam dij domus patroni, & nobis familiares ſint.* Denique adijcit, quod ex ijs, quod dixerat conſequebatur, nempe *Filios exiſtimare debere ſe in domo paternâ, veluti in fano quodam Æditnos & Sacerdotes ab ipsâ naturâ conſecratos eſſe: vt parentum cultui operam darent.* Ita iſte ex antiquâ Scholâ Philoſophus. Iam quid Lib. 10. Schytæ Iſſionides? hi teſte Herodoto, tanquam Deos, puta Medioxumos, parentes ſuos colunt: patris enim caput inauratum adorant pro ſimulachro, illudque

ludque solennibus & annuis sacrificijs venerantur. Pisidæ non abscedunt procul: hi enim, quod Nicolaus Damascenus prodit, in suis conuiuijs primitias libant parentibus tanquam Dijs minoribus: Nasomones ad parentum sepulchra oracula captabant, vt legitur apud Tertullianúm, siue ad reuerentiam functis habendam, siue quòd rerum futurarum cognitionem tanquam Numinibus eis attribuerent. Errarunt quidem illi omnes; sed prope laudabili errore, quòd si quos esse mortales Deos credendum foret; illos imprimis sibi esse debere Deorum loco arbitrarentur, à quibus lucis huius vsuram, commodaque recepissent, mallentque nimia pietate, quàm desertione turpissimâ officij delinquere. Prodigij instar est illud, quod extraordinario honore fuit olim filiorū erga parentes pietati diuinitus delatum, cùm scilicet naturâ attonitâ è cælo acclamatum est quodam modo *pietati cedite flammæ.* Res ita se habuit vti ego nunc ex Pausania recito. Cæteris aurum & argentum ex Æthnæi ignis irruptione in tutum efferentibus, Anapias & Amphinomus parentem ipsi senem honoris, debitæque obseruantiæ causâ in humeros sublatum exportarunt. Li. de ani.

runt. Tantæ virtuti ceſſit ferocis elementi natura facta clementior; voraceſque flammæ in reliquorum perniciem armatæ, vt viam pijs liberis darent, in duas ſe partes diuiſere: quin & locus omnis eorum peragratus paſſibus cirtumquaque inſtar amœnæ Inſulæ effloruit; cùm omnia aut truculento obſeſſa incendio, aut fuligine deturpata eſſent. Diceres Deum ipſum portento oſtentoq́ue deferre voluiſſe honorem ijs, qui ante ipſius vicarijs, parentibus inquam, detuliſſent.

§. II.

Præceptum de honorandis parentibus.

QVid verò nos cauſæ fuiſſe exiſtimamus, vt deſcriptis in vna tabularum Moſaicarum parte ijs legibus, quę ad Religionem Numinis ſacerrimam attinerent: mox è regione inter ea prę̨cepta, quę ad hominum iura ſpectarent primum in altera parte locum parentibus dari ſupremus legiſlator voluerit, niſi, vt intelligeremus inter homines, tanquã mortales quoſdam Deos haberi eos oportere qui nos genuiſſent? eiſque

eiſque ſumma ſecundum Numen debe- ri omnia. Quare grauiſſima etiam ſupplicia legis iſtius violatoribus ſunt conſtituta: quemadmodum maxima præmia ijs, qui eam ſeruarent, decreta: & quidem illis conſtitutum, vt vita citò abriperetur, neque omninò niſi miſeri & infelices viuerent: his conceſſum vt longum æuum ducerent, illudque bonis diffluens, ac beatum: *Vt ſis* (inquit lex diuina) *longæuus ſuper terram & vt tibi bene ſit.* Iuuenes longam vitam amant; promittitur æternitas: nemo vult eſſe miſer; addicitur felicitas. Nihil verò decerni poſſet æquius, quàm vt qui gratum ſe exhibuerit ei, à quo vitam eſt mutuatus, vitam viuat & longam & felicem: qui eos læſerit, à quibus, vt homo eſſet, accepit, iactetur ille primum miſer & infelix; tum verò tãquam horrendum naturę monſtrum ac portentũ, è medio tollatur citiſſimè. Accedat huc optimus diuinæ illius legis interpres Cyrillus Alexandrinus, *Quòd parens*, inquit, *res ſanctiſſima inter omnes Nationes habeatur, lex quoque diuina præclarè docebit, quæ cùm iuſſiſſet Deum vnum ex toto animo, & toto corde oportere diligere, hoc etiam addidit, honora patrem tuum & matrem tuam; vt bene tibi ſit: parentes enim* Lib. 9. in Gen.

imaginem Dei quotidie gerunt. Neque verò eam humanum genus legem tum primùm audiuit ferri, cùm in monte Sina publicata est, aut in Mosis tabulis fixa; sed iam pridem antea nos cum ipsa ratione à naturâ inditam atque impressam hauseramus: inde enim extitere ista veluti naturæ ipsius placita atque Senatus consulta: Parentes honora, apud Pythagoram; Γονέας αἰδοῦ. i. Parentes venerare, quod est Pittaci vnius ex septem Græciæ sapientibus dictum: Platonis verò è libris decerptum quod sequitur, dignum est, quod Christianorum domibus, imò templorum ianuis inscribatur.
Libr. de leg. *Æstimandum est* (inquit diuinus ille homo) *nullum apud Deos magis honorandum simulachrum nos habere debere, quàm parentes & auos æuo confectos, matresq; similiter: quibus honoratis Deus gaudet.* Adiungamus è Lycæo Stagiritam Platonis
8. Top. discipulum. *Qui dubitat*, ait, *vtrum oporteat Deos venerari, aut parentes, non eget ratione: sed pari pœnâ.* Ergo non modò ille rationem esse huius officij ducem ac magistram docet; sed censet præterea propè par esse flagitium, parique obnoxios supplicio, qui Deos & qui parentes violarint. Dicat id etiam è suo suggestu Romanus Orator, *Parentes,* ait,

ait, *charissimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita.* I nunc, Academice mi Adolescens, in Salomonis Gymnasium, & docentem audi. *Audi*, inquit ipse, *fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem*, siue (vt septuaginta reddunt) *statuta & constitutiones Matris tua.*

Multa tibi Pater, plura etiam Mater & puero & Adolescente mandata dederunt, quibus ætatem tuam rudem illam atque in vitia præcipitem optimis moribus informarent: plurima verò præceperunt, cùm è domo paternâ in Academiam ducerent, Deum vt timeres, & amares; vitares improborum consortiones, castè, sobrièque victitares, nullam familiæ, nullam tibi labem inureres: denique quem tu in finem, magno fortassis rei familiaris incommodo, abires scilicet in amplissimum omnis eruditionis Emporium: nauares vt operam diligentem ijs studijs, quibus applicareris: expectare se ex te vno non modò honores in familiam inuehendos: sed augendas etiam opes, certè senectutis suæ oportunum aliquando solatium. Nunc vt monitis istis pareas, admonet Salomon, & hortatricem rerum magnarum gloriam proponit: *Vt addatur,*

 inquit,

inquit, *gratia capiti tuo, & torques collo tuo:* coronã Lemniſcatam ſpondet, patriciam bullam, victoriæ, ac nobilitatis inſignia, ampliſſimos honores.

§. III.

Quid parentibus debeant Filij.

VErùm quia debere filios parentibus conſtat, quid ſigillatim, quantumque debeant explicemus, vt partes illi ſuas norint, & verò agant. Atque imprimis (quod dicere occeperam) debent obedientiam, reuerentiam, honorem. Quare huc ſpectant iſta præcepta. Parentibus morem gerito, neu obmurmurato, ijſdem deferto, caput detegito, aſſurgito; de via decedito, blandè & modeſtè alloquitor, prior ſalutato. Si quis contumelijs, conuicijſque proſciderit, arbori infelici ſuſpendito, aut lapidibus impetito, grande piaculum eſt. Subſcribunt SS Patres; *Primus* (aiunt) *gradus pietatis eſt iſte; vt quos authores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequijs; abſtineas contumelijs: ſed nec vultu lædenda eſt pietas parentis, merentur cæcitatis ſupplicium, qui parentum vultus toruo viſu deſpexerint.* Verum de ſupplicijs

Hier. ad c. 3. Eccleſ. Amb. l. 8. in Luc.

paulo

paulo poſt. *Honorabat* (ait S. Ambroſ.) *ipſe Christus Ioſephum & Mariam, non naturæ debito, ſed pietatis officio. Honora ergo & tu parentes.* Addi poterat ex S. Luca, *& erat ſubditus illis.* Quem iſta Dei hominis, honorem, obſeruantiamque parentibus officiosè reddentis tam ſingularia exempla non moueant? In cap. 2. Lucæ.

Iam alterum liberis erga ſuos parẽtes debitũ natura impoſuit: vt eos etiam timeant tanquam dominos: ſed tamen potius repoſcit, vt ament: eſt enim parentum nomen vox non tam dominij, quàm amicitiæ; vnde ſeruorum proprius timor eſt, amor filiorum. Tertium deinde ex duobus prioribus conſequitur, vt liberi parentibus egentibus ſeruiant; operam ægris & afflictis opeſque ſuas conferant, ſolentur, exigant, neque ijs ſaltem ea, quæ ad veſtes, cibos, habitationem neceſſaria, ſed ne quidem, quæ commoda ſunt, vnquam deeſſe patiantur.

Vereor ne quem rubore ſuffundam, ſi quæ de Ciconijs, tum Baſilius, tum Ambroſius ſanctiſſimi viri ſcriptis tradidere, in medium proferam, exhibeamque ſpectandam mutorum animalium in ſuos progenitores pietatem veluti in theatrum. Agedum inducat in ſcenam In hexam.

suis ipse verbis Magnus Ambros. *Quàm verò rationabilium excedant pietatem Ciconiæ, experientiâ considerandum: nam depositos patris artus per longæuum senectutis, tegmine alarumq; remigio nudatos circumstans soboles pennis proprijs fouet. Et quid dicam? collato cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia: vt hinc atque inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra. Quis nostrum leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat? quod in ipsa historiâ vix credibile habetur, quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandet obsequium? at verò auibus non est graue, quod pietatis est plenum: non est onerosum, quod soluitur naturæ debito: est enim vectura pietatis: quod eousque frequenti testificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu pia auis vocatur: habet etiam vniuersorum suffragia; nam retributio beneficiorũ ἀντιπελάργωσις vocatur: πέλαργος enim Ciconia dicitur. Virtus itaque ab ijs nomen accepit, cum relatio gratiarum Ciconiæ vocabulo nuncupatur*. Hanc verò (vt ita loquar) Reciconiationẽ Seneca disputans, vtrum liberi parem gratiam referre possint, eleganti hac oratione exag-

exaggerat. *Nullâ vi verborum, nullâ ingenij facultate exprimi potest, quantum opus sit, quàm laudabile, quamque nunquam à memoria hominum exiturum, posse hoc dicere, parentibus meis parui, cessi, imperio eorum obsequentem, submissumq; me præbui: Ad hoc vnum contumax fui, ne beneficijs vincerer*: tum ita declamitat. *Certate, obsecro, vos: fusi quoque restituite aciem; felices, qui vicerint, felices qui vincentur. Quid eo Adolescente præclarius, qui sibi dicere potuit (neque enim fas est alteri dicere) parentem meum beneficijs vici? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus vbique prædicet, à filio suo se beneficijs victum?* Quamquam ne superior sit filius, nihil ego formidandum videam. Rectè enim ille quem superius laudaui Hierocles, *Quantumcunque multam in parentum gratiam fecerimus: semper tamen inferiora erũt omnia.* Quid ad hæc, mi Academice Adolescens? nam in te vno iam pridem intueor, an intelligis quantopere tibi curandum sit, ne non modò Ciconijs, sed ne cæteris auibus, imo feris ipsis videare deterior, vt parentibus tuis, senibus præsertim, adminiculo esse studeas, honori, solatio? At mihi crede nullâ re magis eorum sudores, lachrymas, curas aut deterges, aut compensabis,

bis, quàm ſi probus ac ſapiens euadas: nam ſi improbus fueris, ſi inſipiens eos ſuffocas crudeli parricidio, iugulas, perimis. En habe iterũ Salomonem. *Filius ſapiens lætificat patrem; filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ. Exultat gaudio pater iuſti, qui ſapientem genuit, exultat in eo.* Nimirum ad ſe tuos mores, tuamq́ue eruditionem pertinere illi exiſtimant: quòd ab ijs qui rectè ratiocinantur, illi probi quoque ac ſapientes videantur, à quibus filij naturam, ingenium, memoriam, indolemq́ue acceperint. Siquidem (quod Lyricus cecinit)

Horat. *Fortes creantur fortibus, & bonis*
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Deinde (vt ipſi naturæ dotes tam præclaras atque ad virtutem, ſcientiamq́ue factas, minimè fortaſſis habuerint) credunt tamen ſibi deberi educationis inſtitutioniſq́ue curam, & (vt nihil ne in iſta quidem contulerint) tamen minimè ignorant, ſe in filijs eſſe & vincere: atque neceſſariò illis felicibus ac honoratis non minimam in ſe boni, lætitiæq́ue partem deriuari.

Igitur id age, quod monere Salomon pergit. *Gaudeat pater tuus, & mater tua,*

& ex-

& exultet: Certè non gaudebunt, minuſque lætitiâ geſtient, ſi ſtudijs rerum honeſtiorum abiectis pro ſchola popinas, pro libris Scyphos, & Cyathos cum Græculis Helluonibus vſurpes: ſi non modò tempus, ſed rem prætetea familiarem diurnis, nocturniſque comeſſationibus decoquas: nam *qui comeſſatores paſcit, confundit patrem ſuum*, æque, aut multo magis, matrem. Quadrat huc etiam, quod ſequitur.

Qui ſubtrahit aliquid à patre & à matre; & poſtea dicit non eſt peccatum, particeps homicida eſt. Qui parentes (inquit) ſuos ijs officijs atque obſequijs, quorum eſt debitor, defraudat, neque id ſibi vitio vertit, grauiter peccat, & turpiter fallitur: nam cum homicidio par eſſe poteſt iſtud flagitium. Certè non minori ſupplicio luendum, quàm quo puniuntur homicidæ, pœnâ capitis: quamquam eodem verſu Salomon etiam impetit eos & criminis acceſſit, qui pecunias, id eſt, plerumque ſudores & ſanguinem parentum, in poculis & compotationibus abſumunt tantâ animi hebetudine atque amentiâ: vt, quia bona ſunt parentum, quæ abliguriunt, aut dilapidant, putent ſua eſſe, neque furti ob iſtud crimen argui, neque ad facien-
dam

dam cohæredibus restitutionem se obstringi posse: cum tamen eorũ flagitium sit par cum sicarijs, & ijs, qui latrocinia exercent, imò maius: quia hi exteros aggrediuntur, isti suos etiam progenitores vel bonorum decoctione, vel allati doloris sensu excarnificant, & tandem conficiunt: vt quæ iam expectanda sint tam palmaris nequitiæ supplicia omnes facile videant.

§. IV.

Supplicia impiorum filiorum.

ATqui in supplicijs istud primum, statimque occurrit è Salomone: *Qui affligit patrem & fugat matrem ignominiosus & infelix*. Vita igitur primùm ab impijs filijs trahitur infamiæ, & infœlicitatis plenissima, iam enim illi à Deo ipso diris ac maledictis pridem sunt ad mortem damnati: tum verò properata violentaque mors sequitur, atque ita quos natura dedisset annos, flagitium magnâ parte præcidit. Atque hoc est alterum supplicij genus *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum Corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.* Lapidationis

Prouerb. c. 30.

dationis pœnam alibi etiam legimus. Verùm nescio an non magis suspendium isti culpæ conueniat, nam vel oculo læsisse parentum pietatem, toruo vultu aspexisse, leuibus sannis excepisse patibulare est flagitium: & non erit vel linguam non abstinuisse à maledictis, vel manus à scelere? Ad furcam, ad malam crucem, ad coruos impiè Adolescens: ecce iam illi à Salomone corui immissi in oculos immites, quibus pro delicijs vescuntur, è torrentibus, vbi se oblectare solent agminatim inuolant, iam iamque tibi lumina confixuri: aduolitant cateruatim cum Coruis carniuori Aquilarum pulli, iam iamque ex alto decidunt, præcipitantque in prædam, nisi impietatem abijcis. Est profecto iustissimum istud capitalis sententię genus: vt impiæ in suos quoque volucres, de impijs filijs, ijsdemque in parentes crudelibus, sæuum, & atrox supplicium reposcant, sumantque. Istud verò quoties visum, & quàm quotidianum? vt qui parentum iussa contempserint, domo primùm, curâque paterna exeant, tum incidant in homines improbos, latrones, sicarios, homicidas; quo fiat tandem, vt in vincula trahantur, atque inde ad furcam. Singulare & nouum in hoc

Serm. 21. Quadrag.
hoc genere quod S. Bernardinus his verbis commemorat. Noſtrâ ætate in Hiſpaniæ citerioris oppido, cui nomen Sui, non procul Valentiâ, Adoleſcens fuit, qui per parentum inobedientiam eo deuenerat: vt anno 18. propter latrocinia & publica facinora in vincula coniectus & ſuſpendio damnatus ſit, etiam tunc prorſus imberbis: pendenti verò iam atque exanimi facto prorupit barba: moxque ſpectante populo, tum illa, tum comæ capitis planè caneſcunt: vt ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo accitus cum populo & cum toto clero accurrit Epiſcopus, omnes in genua proſtrati expectant, dum oſtendat Deus quid ſibi monſtrum hoc velit. Atque ecce tibi Epiſcopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait; voluit Deus oſtendere quantum de vita ijs detrahatur, qui de parentum obedientia detraxerint: Victurum enim fuiſſe hunc iuuenem ad eam ætatem, quæ tum apparebat in facie, niſi ipſos ſeptuaginta annos parentum inobedientia detraxiſſet.

Ac parentibus quidem iſta, quæ attuli, officia vniuerſim tribui debent: ſed tamen in matres præſertim, & tunc quidem maximè, ſi viduæ ſint, pietas filio-

filiorum haberi & commendari debet. Tum quod propter ſexus imbecillitatem magis contemnantur; &, ſi maritis orbatæ fuerint, magis potentium maleuolorumque iniurijs pateant: tum verò, quod nomen matris doloris cruciatuum, curarumq; ſit pleniſſimum, denique & quod matribus, quàm patribus, liberi cariùs conſtiterint. Quare ſapientiſſima fuit iſta Tobię ſenioris ad filium teſtamenti nomine admonitio: *Cùm acceperit Deus animam meam corpus meum ſepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim eſſe debes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo.* Tob.c.4. Quanta ſit in ea re vis norunt ſcilicet ipſæ matres; quæ cùm potenter à filijs obtinere quidpiam contendunt, eo velut amento telum armant. Ego te, fili, in vtero portaui, ego te aluj, ego te in ſinu foui: in quo argumento, cùm eam, quâ pollent, eloquentiam adhibuerint, Coriolanos, Alexandres, Hercules ipſos expugnant. Vſa eſt hâc etiam emphaticâ olim oratione L.2.c.7. fortiſſima illa Machabęorum fratrum parens, vt ex natis minimū ad Antiochi crudelitatem contēnendam fortiter animaret, *Fili mi* (hæ enim fuere eius lachrymæ) *miſerere mei, quæ tè in vtero nouē menſi-*

mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto, nate, vt aspicias ad cœlũ & terrã, & ad omnia quæ in eis sunt &c. Sed nescio an non significantiùs, quàm vel ipsæ matres exprimere possint, rem hanc omnem S. Ambrosius repræsentarit: nam cum hæc dixisset *Disce quid parentibus debeas,* matri, ait, *debes partus periculum, matri longa dispendia, discrimina cui maius & in ipsis votorum fructibus maius periculum est, & cum ediderit, quod optauit, partu absoluitur non timore: quid anxios patres loquar? pro filiorum profectu multiplicatos alienis vsibus census, iactaq; agricolæ semina præsentibus ætatibus profatura.* Deinde ad matrum particulares causas acrior redit. *Pasce,* inquit, *matrem tuam, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus quos propter te passa est, non reddidisti obsequia, quibus illa te gestauit, non reddidisti alimenta, quę tribuit tenero pietatis affectu immulgens labris tuis vbera, non reddidisti famem, quam illa pro te tolerauit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederetur, ne quid, quod lacti noceret, hauriret, tibi illa ieiunauit, tibi manducauit: tibi illa, quem voluit cibum, non accepit, tibi quem noluit sumpsit, tibi vigilauit, tibi fleuit & tu illam egere pateris?* quàm te momordisset & vulnerasset

Lib. 2. in Luc.

Ambros.

Ambros. si eos etiam stimulos infixisset? Tu eam mœstitiâ confodis? tu iniecto doloris pugione contrucidas? Non inscitè Synesius matrum solicitudinem cum Numinis prouidentia comparans, *Patres*, ait, *res tantum modo magnas, & præcipuas curant, quæ ad filios pertinent: Matres vero tam de minimis, quàm etiam de maximis mirâ solicitudine satagunt, quod diuinæ prouidentiæ proprium est.* L. 1. de prouid.

Quibus ex rebus nemo non intelligit, vt plura filij matribus debent: ita grauiùs delinquere, si in eas officio peccent. Atque hinc fieri opinor, vt commissa in matres peccata, præsertim cùm maritis orbæ fuerint, grauiùs à Deo vindice, acerbiusque puniantur: nimirum, quòd is specialiter, vt pupillorum, ita viduarum atque imbecillium matrum patrocinia defensionemque, ne iniurijs potentiorum opprimãtur, imò & vindictam, sibi sumpserit.

Adolescentes duo indulgentius à teneris habiti postea eò audaciæ & nequitiæ venere: vt in ipsam parentem impias manus tollere, verberibusq; etiam tundere non vererentur; Tam notandum scelus illa detestata genibus procumbens, humumque manibus pulsans furias Sur. 25. Martij.

furias ex orco in vltionem lanienamque filiorum euocat: & ecce mox ambo illi perditi fratres à Cacodæmonibus dirè obsessi, inque mutuam cædem incensi, non secus quàm rabidi canes in se inuicem dentibus sęuiunt, fœdeque dilaniant: donec S. Zenobij meritis pulsis tartareis hostibus, ira simul, rabiesque conquieuere. Omitto eiusdem generis argumenta alia plurima.

§. V.

Quantum discipuli Magistris debeant.

VEniunt nunc ordine suo Magistri, quasi alteri parentes, quibus discipuli non minus, forte etiam plusculum debent, quàm filij suis parentibus: quare quæ hactenus de obedientiâ, obseruantiâ, timore, amore, aliisque obsequiis dicta sunt, huc quoque pertinent. Aristotelis non vno loco dogma est, Diis, parentibus, Magistris æqualia rependi non posse. Istud verò Alexandri Magni iudicium vulgò iam percrebuit: qui rogatus vtrum mallet Philippum Patrem, an Aristotelem Præceptorem? Aristotelem se malle respondit, ratio-

rationemque à re ipsa eam subiecit; Ille enim vt essem, hic autem, vt præclarè institutus essem, auctor fuit: pluris ille æstimabat probum hominem, eruditumque euadere, quam omnino esse, si bonâ institutione careret. Quare sapienter Basilius Imperator sibi facere visus est, si filio quem genuerat (quod alij etiam patres fecerunt(præceptiones scriberet, quibus in omnem vitam optimis moribus eum informaret; ne eam sibi laudem, quam ampliorem existimabat, Magister alius parenti surriperet: vtque bis vnus ipse filij parens esset, semel (si ita loquendum est) animi. Certè animum, diuinæ illam particulam auræ (vt Poëta appellauit) scientiæ ac virtutis capacem progignunt quodammodò Pædagogi & Magistri, nobisque veluti inserunt, dum litterarum virtutumque formis, atque pulcherrimis imaginibus expoliunt atque exornant. Hebræi Magistros linguâ suâ Auoth, id est, Patres, appellandos esse censuerunt: ipseque sapiens, qui adolescentiæ instructionem, institutionemque suscepisset, passim, in eo libro, quem ad eum finem composuerat, Adolescentem filium, se patrem, imò & matrem nominat. Plurima sunt huius generis in Sa- In Prouerb.

lomone exempla: è quibus luculentum est illud. *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Quo loco haud factum arbitror, absque speciali Numinis instinctu; vt cum à discipulo tamquam à filio obedientiam, obseruantiamque deposceret, eadem planè proposuerit præstiti officij præmia, quæ alibi sacræ litteræ decernunt obsequentibus liberis, longæuitatem, & pacem: id est (vt Hebraicæ vocis vim explicem) summam rerum omnium felicitatem: sunt qui eodem illam Salomonis quoque parœmiam, *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo,* quam paulo ante parentibus tribuimus, Præceptoribus accommodent, dicantque, eò plus deberi Magistris quàm Progenitoribus, quod illi non tantum patres sint, sed ijdem etiam matres: atque adeò cùm filij honor, amorque diuisus sit partim in patrem, partim in matrem, singulis minus impendi: in Magistrum cùm vniuersus confluat, esse longè impensiorem. Certè Apostolus Paulus cùm patrem se eorum, quos Christianis mysterijs instituisset, non obscu-

rè

tè appellauerit, matrem se etiam his verbis est aliquando professus. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*, quibus se lac quoque tanquam adhuc infantibus dedisse affirmat. Gal. 4.

Vtinam ista, mi Adolescens Academice, Tu, tuæque ætatis reliqui tecum animo sæpius seriò expenderent, haberent profectò altiori loco, atque maiori in pretio, quos si non Deorum ritu (quam venerationem Seneca suis præceptoribus se debere aiebat) saltem parentum modo colendos esse didicissent. Admoneamus nunc exempla eorum, qui præclaram ad hanc virtutem alijs viam sternant.

Hippocrates medicinæ Princeps sceletum ęneum Apollini Delphico, medicorum quasi Magistro, vt gratiam referret, dedicauit. Antoninus plus fecit, Magistrorum suorum imagines aureas domi adseruabat religiosè: eorum verò sepulchra floribus etiam adspergebat. Gratianus Valentiniani filius Antonium pręceptorem, vt gratus esset Consulem dixit, extantque illius adhuc literæ in Galliam scriptæ. Cum de Consulibus in annum creandis mecum solus volutarem, vt me nosti, atque vt fa-

cere debui, & te velle ſciui, Conſulem deſignaui, declaraui, & priorem nuncupaui, Trabeam palmatam tibi miſi, in quâ D. Conſtantinus pater noſter intextus eſt: ſolui, quod debui; & adhuc debeo quod ſolui. Duos nunc habe magnos viros. Senecam Philoſophum & Romanum Oratorem. *Præceptor*, inquit Seneca, *in docendo laborem & tædium tulit preter ea, quæ percipientibus in commune dicuntur, aliqua inſtillauit ac tradidit: hortando bonam indolem vexit, & modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus diſcuſſit deſidiam: tum ingenium latens & pigrum iniectâ (vt ita dicam) manu extraxit; nec quæ ſciebat malignè diſpenſauit, quo diutius eſſet neceſſarius: ſed cupijt, ſi poſſet, vniuerſa transfundere: ingratus ſum, niſi illum inter gratiſſimas neceſſitudines diligo.*

L.6.de benef.c.16.

Accedit huc Cicero, *Quis eſt*, ait, *noſtrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui atque Doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipſe altus & doctus eſt, cum gratâ recordatione in mente verſetur?* tum ſubdit. *Equidem nil tam proprium homini exiſtimo quàm non modò beneficio, ſed etiam beneuolentiæ ſignificatione alligari: nihil porrò tam inhumanum, tam ferum, quam committere, vt beneficio non dicam indignus, ſed victus eſſe videare. Quis non eru-*

Orat. pro Cn. Plancio.

erubescat, ait S. Ambros. *gratiam de se bene meritis referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati?* Audiant robustum istud Eloquentiæ tum Ciceronianæ, tum Ambrosianæ fulmen iuuenes illi, qui humanitate exutâ, omniumque animalium ingratissimi, cum in scholis adhuc versentur, aut iam pedem extulerint, præsertim si iam dignitate vel authoritate ipsi polleant, non modò nō Magistris gratiam referūt repēduntvè, sed Mulorum instar in suos recalcitrant (quam Platonis de Aristotele querimoniam fuisse tradunt) eosque conuitijs, calumnijs, probrisque indignissimè proscindunt: quibus nihil habeo, quod acerbius faciam, quam vt ad Leonum Scholas amandem, gratitudinem à ferarum ferocissimis edocendos.

Beatus Abbas Gerasimus (alij id Hieron. nominis similitudine decepti adscribunt) Gerasimus Leoni spinam è pede euulserat: gratus Leo, quamdiu benefactor vixit à Cœnobio, famulitioque obsequio non recessit: eo mortuo lucem pertæsus, senisque sepulchro incumbens ibidem vitam posuit. Historiam (vt in re noua nouo verbo vtar) mitiorem narrat ex Appione polyhistoriæ Aulus Gellius.

Apud Basæ.

L. 5. c. 14.

Cùm Androclus seruus à Domino fugitans in altam specum se abdidisset intra densum nemus: eodem paulò pòst Leo læsus venit, debili & cruento pede: nouum cauernę suæ hospitem, commodè nactus, ad eum mitis mansuetusque accedit, sublatum pedem ostendit, quasi opis petendæ gratiâ: hic firmato à metu animo aperire vulnus, hærentem altè spinam quęrere, repertam euellere, saniem exprimere, siccare, detergere cruorem, medicari: iste abblandiri, & quasi gratiam pro gratia repromittere: neque fefellit. Nam toto triduo seruum transfugam in isto suo hospitio ex venatione nutriuisse traditur. Verùm ferinæ vitæ pertæsus Androclus egreditur, & alterum triduum viæ confecerat, cùm ecce in milites incidit & ex Africa Romam retractus redditur Domino, qui mancipium damnatum ablegat ad bestias: eodem ferè tempore captus leo in circum venerat; Exponitur huic bono hospiti seruus. Leo recognoscit, ablanditur, demulcet familiarissimè, aliquam scilicet in tempore gratiam repensurus suo medico. Spectabat hęc populus, stupent omnes, Cęsar Androclum iubet propiùs ad se venire, causamque ex eo omnem cùm audiuisset

vtrumque abire circo imperat. Ergo Androclus tenui licio Leonem reuinctum in vrbe ducebat circa tabernas, ære passim donabant seruum ciues, bestiam floribus spargebant: acclamabant interim quique obuij, *Hic est leonis medicus, hic est leo hospes hominis.* Tu quisquis hęc audis, viue benefactori gratus, aut ingratus morere.

Vocat nunc ex ista digressiuncula ad se nostræ Societ. imò totius Germaniæ magnum lumen Canisius, quem tanquam pro insigni coronide in capitis huius absolutionem consultò reseruabam.

Coloniam Agrippinam profectus hic Adolescens Doctorem ac Magistrum habuit Nicolaum Æschium probum Sacerdotem, cui viro innocentia Canisij singulari studio in primis annis conseruata plurimùm debet; at neque hoc quidem vel tacuit, vel obliuioni dari permisit Canisius. Nam & præceptorem illum suum ad posterorum memoriam cum amplissimâ commendatione transmisit, & quibus potuit officijs est, quamdiu vixit, pijssimè prosecutus. Placet ipsum Canisium è libro Confessionum, quem ad S. Augustin. imitationem de se conscripsit, loquen-


tem audire: vt habeat Adolescens meus Academicus expressum tum optimi discipuli, tum grati erga Magistros suos animi, officijque exemplar.

Cæterum, inquit, *vt ad præceptorem, imò ad patrem Æschium reuertar. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui talem tribuit tibi ad pietatem Magistrum & hortatorem quotidianum; vt qui non mea, sed me, salutemq; meam amaret, & curaret sedulò. Hoc ipso Duce displicebam mihi paulatim, vt rectiùs placerem tibi, Deus, quem adhuc parum cognoscebam, minusq; timebam in illo flore iuuentutis. Illius consilia, mores, exempla nouam velut lucem inferebant oculis, & auribus meis. Illius authoritate frangebam & comprimebam præcipites motus, ac vanos ardores Adolescentiæ. Illius familiaritate contentus reliquas necessitudines & sodalitates ferè negligebam. Nullus (quod sciam fuit mihi tum carior aut coniunctior, tantumq; illius iudicio tribuebam, quantum à filio pater desideraret. Neque solùm in confessione secretâ me totum illi, & sæpe quidem aperiebam: Verùm etiam priusquam nocte cubitum discederem, exponebam illi familiari colloquio, (tanta erat fiducia) lapsus, ineptias, & sordes animæ meæ, vt illi iudici rationem erratorum ac transacta diei*

redde-

redderem: ac si vellet etiam, peccatorum aliquam luerem pœnitentiam. Agnosco, & reuerenter laudo misericordiam tuam, quæ semper, & vbique vias meas prosperabat, O custos hominum fidelis, & protector vitæ meæ Deus; hunc virum Coloniæ, velut alterum Ananiam ad me instituendum, tibiq; propiùs coniungendum (vt arbitror) mirâ prouidentiæ tuæ lege destinasti. Igitur ille pro me sollicitus pergebat esse, precabatur, flebat, benedicebat, præmonebat, vrgebat, atque scribebat. Et cùm aliquando ab illo abessem diutius, iamq; in patria mihi plusculùm indulgerem, ac laxiorem vitam complexurus viderer, per illum ipsum ad me tum venientem veluti dormientem filium excitasti, & lapsurúm erexisti, & imbecillem ad te reuocatum illius curâ, & operâ in via tua confirmasti. Pungebat cor meum; cùm ex illo audirem & discerem eiusmodi sententias Seruire Deo regnare est. Sola salus seruire Deo, sunt cætera fraudes Si Christum bene scis, satis est; si cætera nescis. Idem prudenter hoc agebat, vt quotidie caput ex Euangelijs vnum legerem, & ex eo sententiam illustrem eodẽ die meditandam exscriberem, memoriâq; tenerem. Accedebat & alia piorum authorum lectio, per quæ de timore, & amore tuo me commonuisti His atque etiam pluribus ibi Canisius, tum præclara sui

ſui Magiſtri deprædicatione, tum precum ſuarum ſolutione aliqua, gratè ſaltem ſuæ in illum voluntatis ſignificationem, propenſionemque exhibebat. Habes in vno illo pijſſimo iuuene, mi Academice Adoleſcens, quem in pari causâ, pari ſaltem ſtudio imitere.



ORATIO.

DEus meus, præcipis, vt ſecundum te parentes quoque & Magiſtros amem, colam, obſeruem, & niſi faciam graui etiam propoſito ſupplicio minaris: tam impius ſim, vt (quod beſtiæ quoque refugiunt) progenitoribus, maioribuſque meis pietatis officia denegem? neque tamen perficere id poſſum ſine te: da igitur mihi gratiam, vt ijs debitam obedientiam, honorem, & obſequia deferam exemplo filij tui Domini mei IESV CHRISTI, quem Ioſepho nutritio, & Virgini parenti ſubditum fuiſſe legimus. vt eum imitatus merear eam mercedem conſequi, quam parentum cultoribus promiſiſti. Peto, Domine, vt mihi bene ſit, ſimque longæuus ſuper terram, non hanc lachrymarum


vallem,

vallem, terramque morientium: ſed terram illam viuentium ac beatorum, quam pręcipuè in cælo reſeruas, & daturus es eis, qui hîc ſuperiores ſuos honorarint. Per eundum Chriſtum Dominum. Amen.



SYM-


Prudentia, et ſinceritas
In vitæ genere deligendo. 21.
Simpliciter.
Prudenter.
Reſpice finem.
M. baes f.



SYMBOLI EXPLICATIO.

Quæ ferè Alphabetum Græcum claudit, Pythagoræ litera initium esse debet vitæ ad Numinis voluntatem exigendæ: vt in annis hisce maturioribus, mi Academice Adolescens, eminus saltem collimes in scopum, quem tangere aliquando debeas: turpissimus hic grauissimusque error continget, si vel à scopo, vel à collimatione in scopum deflexeris.


Herculis somnium vides duplicem callem, vnum virtutis, voluptatis alterum; hinc Iuuenem magnæ indolis honestas inuitabat, molestiæ retardabant: inde ad se illecebræ pertrahebant, turpitudo tamen deterrebat: in virtutis tandem partes adhibitâ seriâ consultatione concessit. Idem euenit in deligenda vitæ laxioris, strictiorisue ratione.

Vtraque

Vtraque aliquid oſtentat, quo aduocet, quo auocet. Maturo conſilio hic opus, ſi alias.

Chriſtianus te aliquis Salomon, imò pluſquam Salomon Chriſtus monet: vt in hac re grauiſſima ſi quando alibi, ad ſimplicitatem columbinam, ſerpentinam calliditatem adiungas.

Apertum habes iter; hinc breuem roſam ad æternos ſentes: inde ſpinam breuem ad perennes roſas. Elige. quid hæres? Inferos ibi cogita, hic cælos. non primos aditus, ſed reſpice finem.




CAPVT SEXTVM ET VLTIMVM.

Prudentia in vitæ genere diligendo.

MONITVM.

In mundi, Christiné partes abeas decernito,
In curiam rationem prius aduocato, audito, tum concludito.

SALOMON.



St via, quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. Prou.14 & 16.

Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Prou.14.

Cor

Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius. Prouerb. 16.

A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam? Prou. 20.

Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum. Prou. 3.

Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. Prouerb. 12.

Astutus, omnia agit cum consilio. Prouerb. 13.

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos: Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines ad dextram, neque ad sinistram: auerte pedem tuum à malo. Prou. 4.



MENTIS SALOMONICÆ INTERPRETATIO.

§. I.

Quāti referat deliberare de vitæ statu, & quando ea deliberatio suscipienda.

MVlta quidem totius vitæ decursu in deliberationem cadunt: Sed nihil esse potest, de quo consultatio maturiùs, prudentiusque ineunda sit, quàm de ratione viuendi deligendâ: imprimis (ait Orator) constituendum est, quos nos, & quales esse velimus; & in quo genere vitæ, quæ deliberatio (inquit idem) est difficillima. Certè cęteræ electiones rerum sunt particularium, & quarum error, si quis in delectu contigerit, faciliùs corrigi potest: vitæ verò agendæ institutum infinitas actiones, functionesque secum trahit, quæ ferè vniuersæ aberrant, si in fine

vitæ totius constituendo semel peccatum sit. Deinde satis constat plurimos æternùm perijsse, qui se seruâssent, si aliud vitæ genus sibi desumpsissent, quàm quod temerè arripuerunt: Similiter multos æquè constat ad beatam æternitatem pertigisse, qui malè perijssent, si aliud viuendi genus inijssent, quàm quod reuerà susceperunt. Rem grauem, negotiumque magni ponderis esse oportet, ex quo ęterna vel salus, vel infelicitas dependeat. Atque hinc istud consectarium est, turpiter prolabi eos, qui leuiter ferri se, & implicari sinunt in istud vitæ propositum, quod sors, occasiove obtulerit, nullo interim adhibito deliberationis maioris, electionisque studio: cùm ijdem tamen tantum operæ, & laboris ponant, vt, si de fortunis, fama, honoribus, rebus sanè leuibus, & citò perituris decertandum sit, ne quid inconsultò, atque imprudenter egisse videantur.

Verùm statim hîc prima ista incidit quæstio: quâ ætate hoc negotium, quod tanti momenti est, suscipi debeat: citòne, an seriùs? primò liquet non esse eam deliberationem sponte in tardiores annos proijciendam; nam qui id agunt, qui meliorem partem nullo constituto

ſtituto fine plerumque perdunt, ac proſtituunt: neque raro è vitæ ſtadio repentinis caſibus prius ſubripiuntur, quàm de vitæ ratione certi quidpiam decreuerint. Porrò priuſquam de propoſitâ queſtione aliquid ſtatuam, refutabo nonnullos, qui generatim electionem vitæ religioſæ culpant in ijs, qui eam in primâ adoleſcentiâ adoriuntur, etſi iudicio viri prudentis à Deo ſe vocari ſentiant, & ſatis intelligant: aiunt iſti primò eam ętatem iudicio, vſuque rerum magiſtro carere, atque adeò, conſilijs iſtiuſmodi capiendis eſſe intempeſtiuam: deinde profuturum olim pluſculum de mūdo (vt ipſi loquuntur) pręguſtâſſe; ſiue vt perſpectâ ipſius fraude, ac mendacijs, in ipſius odium poſtea magis inardeſcant, ſiue vt de mundo loqui ex vſu ſuo poſſint: ſiue denique vt eorum aliquando mens non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcat. Addunt adhæc: ex ijs, qui à teneris religioſum inſtitutum aggreſſi ſunt, multos poſteà grandiores leuitatem carpſiſſe ſuam, aut etiam tam turpiter caſtra deſeruiſſe, quàm leuiter adiuerant. Verùm pugnāt iſta clariſſimè cum ſacrâ ſcripturâ, authoritate Sanctorum Patrum, & grauiſſimorum virorum exemplis. Nam pri-

Thren. 3. mò impugnatur locus ille: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentiâ suâ: sedebit, & tacebit solitarius, quia leuauit se super se*, quem scripturæ locum S. Thomas de suaui iugo vitæ religiosorum rectè interpretatur. Præterea cur Christus ipse pueros ab vnguiculis ad suum obsequium, æternique Patris cultum vocat, eosque, qui arcerent, grauiter carpit, nisi vt intelligeremus, vti S. Ambrosius dixit, *Nullam esse regno Dei immaturam ætatem?* certè is, cui a Christo dictum. *Si vis perfectus esse &c. Vade, vende, veni, sequere me*, νεανίσκος, id est, adolescentulus erat. Sampson, Salomon, Nazaræi olim primum ęui sui florem diuino cultui dedicârunt; & è nostris Paulus, Antonius, Benedictus, Maurus, Placidus, Franciscus, Thomas de Aquino (qui, & quanti viri?) adolescentiam, aliqui etiam eorum, ipsam propè pueritiam religiosâ vitæ arctioris disciplinâ Deo consecrârunt. Victimas lex Mosaïca opimas, easque puras, & sine maculâ offerri in templo volebat, nos primæuos vitæ fructus numinis obsequio religiosè impendi reprehendemus? at nulla est ad religiosæ vitę initiationem, & auspicia, ætatis pars melior primis annis, cùm mens adhuc

Contr. retrahen. à relig. c. 3.

Marc. 10.

instar

instar tabulæ rasæ, impressionibus vitæ castigatioris minimè obsistit; alioqui si errores inualuerint, si vitia iam dominentur, si è mundi legibus, prauisque consortionibus, & exemplis animus occaluerit, difficile subiectus incudi emollescet, rumpasque potiùs, quàm inflectas. Neque verò arduum est superiùs obiecta refutare: nam etsi ante pubertatem fortassis ætas minùs sit deliberationum, consiliorumque capax, tamen ante eam ætatem diuinis saltem luminibus, & inspirationibus inepta non est; imò haud scio propter simplicitatem, ac candorem, an non sit aptior: quare si prudentis viri iudicio à Deo doceri, mouerique, aut etiam trahi adolescentes deprehendantur, non modò impediendi non sunt, sed etiam laudandi: si enim anni ætatis 15. contrahendo matrimonij oneri pares sint, cur impares suscipiendæ religioni habeantur? quasi verò plus maturitatis, atque rationis requiri non debeat ad hoc, vt in mari tempestuoso ad scopulos adhærescere velis, quàm vt eligas in fidam stationem, aut portum ipsum, si fieri possit, temet, nauiculamque recipere. Nam istud alterum de mundi felle prægustando, quàm insulsum, & quàm homi-

nis parum ſapientis ingens argumentum? Plumbeo gladiolo,en tibi æneum ſcutum. *Facienda non ſunt mala, vt eueniant bona . Qui amat periculum , incidet.* Quàm multos prælibatum venenum enecauit? Satis ex alijs, qui experti ſunt, aut libris ſcriptis, cùm eo opus erit, diſcitur, quæ in mundo ſint fraudes, offuciæ, lites, miſeriæ, cruciatus.

Medicus vt ſis, aut Iuriſconſultus nihil neceſſe eſt te cum omnium morborum, aut litium generibus fuiſſe conflictatum. In hoc pugnandi campo tutiſſimè pugnat, qui nunquam victus eſt; quod experientiæ deeſt, auxilia diuina certiùs, tutiuſque ſuppeditabunt. At, qui leuiter ingreſſi ſunt, aut poſtea gemunt ſub pondere, aut turpiter diffugiunt. Primò non probo eos, qui leuiter ſunt in arenam ingreſſi: poſſunt autem etiam pueri aut adoleſcentuli multò magis iam adoleſcentiores ſigna clara, & probi viri iudicio probata habere ſuæ vocationis: Deinde vſus quotidianus docet plures eſſe qui lugeant, quòd ſeriùs, & non niſi poſt longos in ventoſo, ſaxoſoque mari errores ſeſe in tutum dederint; nemo enim non malit naue integrâ ſe exijſſe, quàm poſt triſte animæ ipſius naufragium fœdamque

pluri-

plurimorum bonorum iacturam Quare ſic tandem ſtatuo, ſi antea conſulto, ac prudenter nondum delegerit certum vitæ inſtituendæ genus, aut in ſuo priori propoſito hęſitet, aut etiam ceſpitet, Academicum meum Adoleſcentem ſaltem in curſu Philoſophico, priuſquam ad aliud literarum ſtudium animum, ſeq; applicet, oportere conſultationem, qua de re agimus, ſerio inire, captiſque in omnem partem conſiliis prudenter ſtatuere, quam in poſterum totâ vitâ conſtituere velit vitæ ſuæ rationem. Nam & iſtud tempus ferè eſt ætatis vigentis, & ingenij viuacioris, atque ad captanda conſilia aptioris, & fortaſſe Philoſophiæ peracto curſu, ars, diſciplinave illa ſiue Theologia, ſiue Iuriſprudentia, ſiue Medicina, adiretur, quæ inſtituto vitæ minus conſentiret. Nam vitam ſæcularem ſectaturo quid Theologia conducet? aut quid duæ illæ aliæ ſcientiæ, Iuris aut Medicinæ amplexuro vitam religioſam? Finis igitur priùs certus conſtituatur, quò erit iſtis nouis ſtudijs collimandum.

§. II.

Qui ad hanc consultationem, & consilium minimè sint aduocandi.

POrrò repellendi primùm ab hâc in vitę delectu consultatione tanquam inidonei, aduocati, & causidici, homi-
1. Corint. 2. nes illi, quos Apostolus animales appellat, qui scilicet non sapiunt ea, quæ sunt spiritus, & Dei. Quo in genere si sint parentes, consanguinei, amici, eò minùs erunt adhibendi, vel audiendi, quòd eos occupet vel error varius circa res in disceptationem vocandas, vel nimius in suos, suaque affectus in transuersum agat. Controuersia potissima est sæcularis, an Religiosus status tibi amplectendus sit? permanendum in præceptis, an progrediendum ad Christi consilia? illi Religionis rerum cum rudes sint, atque inexperti, quomodo sana consilia suggerent? imò qua ratione omninò poterunt, cùm plerique in eo negotio turpissimè à vero aberrent, peruerseque sentiant? paupertatem hominum Religiosorum vilium hominum esse conditionem, castimoniam genus stultitiæ, obedientiæ iugum minùs ingenuam

genuam seruitutem; contrà mũdi opes, honores, voluptates, quid vis agendi licentiam, atque effrænem audaciam vitæ huius maximam esse felicitatem opinantur. Sed demus isto errore, aut ignoratione esse vacuos: tamen cùm ipsi ad res mundanas, quas sectantur, vehementiùs propendeant, sintque in suos tenerè propensi, secum mundi pedicis irretitum retinere cònabuntur, ne ad Christi nudi crucem, religionemque transuoles, prȩsertim si à tuo conuictu, & familiari consuetudine solatiola etiam, atque sibi suisque emolumenta obuentura polliceantur: omnia enim tunc non tam ratione, quàm suis commodis metiuntur. Istorum hominum is est sermo, *Noli*, inquiunt, *præcipitanter agere, diligentiùs intuere, magnum est, quod proponis, & opus habens multa deliberatione. experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat*. Quàm callidè, & vafrè! nõ audent apertè obstare Religiosus ne fias, moras, & obices opponunt, differ, tuos cõsule. Quid ad istam orationẽ S. Bernardus? *Hæc sapientia*, ait, *mundi, terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum prouocare*. Sapienter Ecclesiasticus monet in consilio de sancti-

Bernard. serm. Ecce nos.

Cap. 37.

tate

tate, aut iustitia cum irreligioso, aut iniusto neq; tractādum, neque ijs attendendum esse. An sit verò aliquis tam mente destitutus, qui si ædificare, & architectari decreuerit, iurisperitum, aut si manu in iure consertum velit, fabrum lignarium, aut architectum in consilium admittat? aut an non imprudentis sit hominis in cæteris negotijs adhibere neminem, nisi qui sit eius rei, de qua agitur peritus, in vnâ hâc tantâ re eos accersere, qui aut nesciant id de quo definiendum sit, aut si norint, meritò sint
Luc. 14. suspecti, ne rectè consulant? At ne solus vaticinari videar, sacra oracula perscrutemur. Christus eum, qui suus velit esse discipulus, iubet patrem, & matrem odisse; id est, (vt S. Augustinus interpretatur,) carnales, & humanos affectus, & conatus eorum, qui nos à via salutis, & perfectionis auocant: illis fidem non habere, eorum persuasionibus nihil moueri, quantumcumque reclament, ad Christum sequendum sese accingere, omnia abijcere, ei vni adhærescere.
Matth. 10. Istud verò eodem Christi diuino ore pronunciatum, quàm ad rem præsentem pertinet? *Inimici hominis domestici*
Opuscul. supr. c. 10. *eius* quo ex Euangelij loco S. Thomas vir sanctus æquè ac doctus conficit à consul-

consultatione de Religione ineunda ideò carnales propinquos esse amouendos, quòd amici in hoc negotio, non amici, sed inimici esse soleant: ad exemplum (credo) ex industriâ idem Christus Dominus, etsi ei à Virgine Matre, Patreque nutritio Ioseph viro sanctissimo nihil esset periculi, tamen duodennis in templo, ijs non modò inconsultis, sed etiam inscijs, & quod nescirent grauiter dolentibus, remanere ad res patris æterni tractandas voluit; vt, cùm de diuino obsequio agitur, nos intelligeremus à parentum consilio minùs nos, quàm in rebus alijs pendere: eò enim verba illa pertinere videntur: *Quid est, quòd me quærebatis, nesciebatis, quia in ijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*

§.III.

§. III.

Deus omnium præcipuè in consilium, opemque studiosè accersendus.

Adhibendus etiam instructor, & director vir quispiam peritus, & probus.

QVem igitur, inquies, adibo petendi consilijs causâ? rectè rogas: nolim enim rem istam sine consilio, ductuque alicuius te solo transigas. Salomonis est hoc monitum; *ne innitaris prudentiæ tuæ*; baculus nimirum iste arundo est, cui si incumbas, stare non possis: ideò pergit (*ne sis sapiens apud te ipsum*) semper & vbiuis suus quisque sibi insipiens est aduocatus, & iniquus Iudex; fallit enim sui quemque amor, & ipsa voluntatis propensio (inquit S. August.) authoritatem vitijs quęrit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet, suffigit enim mentis oculos, vt nihil videat, aut ita obliquat, vt nihil veri spectet, imò ista est iudicij pro-

proprij peruersitas, vt quod vitiosum est, pro æquo, iustoque habeat. *Via stulti* (inquit idem Sapiens) *recta in oculis eius, quicquid enim stultè sibi præsidens decernit, credit esse optimum.* Eam estimo ego causam fuisse, cur Christus, cùm, vti supra diximus, non audiri parentes, quòd hominis sint inimici, imò eo nomine odisse monuisset, etiam istud addidit insuper, *Qui non odit, & animam suam, non potest meus esse discipulus*, id est, vt SS. PP. explicant, qui affectum animæ propriæ erga sua commoda, voluptates, diuitias, honores, imò erga vitam propriam, cùm ea est perfectionis, salutisque propriæ nocumento, ita impēsè amat, vt nolit diuino honori, suæq; saluti postponere, is nequit Christum sequi, vitamque perfectam sub eo duce consectari.

Quare primum omnium ad Deum ipsum, tanquam ad sacram anchoram, ne fluctuet, aut naufragetur animus, ardenter, constanterque recurrendum. Monet etiam hoc Salomon. *Cor hominis disponit viam suam*, cogitat, quid sibi sequendum sit, quam viuendi rationem ingredi debeat. Sed nihil aget, ac ne potest quidem in hoc tam ancipiti negotio. *Domini est dirigere gressus eius*, aut

vt

vt alij ex Hebræo vertunt, liberare, & complanare iter, ne alioquin homo turpiter impingat. *A Domino diriguntur gressus viri*, ſtudia, conatus, fortunantur. *Nam quis hominum regere poteſt vias ſuas?* Quare iſtud tandem recte conſequitur, *In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos, habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Salomonem audis? igitur crebrò effunde cor tuum, coram diuina numinis maieſtate, ſanctiſſimamque ſuam voluntatem vt tibi indicare, atque ad eam amplectendam mouere velit, diu multumq; obteſtare: Lumen vt videas, impulſus, vt ſequi velis, plurimũ efflagita; dic ſæpe, precibus, animiſque incenſis, *Domine, quid me vis facere? doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Has, aliaſque eiuſdem pharetræ precatiunculas, quaſi ſagittas ardentes in cælum identidem eiaculabere, idque facies, tum maximè quoties in Miſſę ſacrificio hoſtia adoranda proponitur, itemque cùm ad ſacram menſam admiſſus, Deum ipſum intra penitius cordis tui hoſpitium receperis.

Officium

Officium breue de Spiritu sancto, quod est in libellis pre atorijs, preces aliæ ad B. V. patronos, Cœlites, Angelum tutelarem crebriùs quoque vsurpandæ, vt illustrationes, inspirationesque diuinas tibi impetrent, eodem referenda erunt ieiunia, missæ, sacrificia, sacramentorum aditiones, eleemosynæ: maximè verò curandum erit, ne tempore istius tam operosæ deliberationis animus grauiori aliquo scelere deturpetur: nihil enim æquè Dei gratias, auxilia, lumina, impulsus impedit, atque eneruat: cùm peccatum lethale non modò familiaritatem, sed diuinam ipsam amicitiam extinguat, hominemque efficiat potiùs omnibus pœnis, quàm beneficijs dignum, vt pote læsæ diuinæ maiestatis reum, ac perduellem. Quare si quæ istiusmodi macula contraheretur, statim vel actu amoris Dei, & perfectæ contritionis, vel quod certius est, pœnitentiæ lachrymis, Christique sanguine apud confessarium erit eluenda.

Hæc qui diligenter, constanterque præstiterit, adfuturam sibi è cęlo lucem, confidat, diuinos exspectet motus, speretq; fore omninò, vt in re tanti ad salutẽ momenti, non hallucinetur: cũ enim nos Deo Opt. Max. vltro dare ea, quę nobis

nobis ſuadet, ipſe peroptet, & ad implorandam à ſe opem vehementer hortetur, impium ſit ſuſpicari ei defuturum, qui non modò eum votis, ac precibus fatiget, ſed etiam benefactis demereri multùm ſtudeat. Verùm quia hominibus etiam per homines ſuauis Dei prouidentia conſulere ſolet, (nam ideo Saulum, quid ſe facere vellet rogantem ad Ananiam miſit hâc voce. *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.*) Vir quiſpiam vnus, aut alter tibi erit deligendus, qui huius tuæ vitæ dux ſit, idemque inſtructor: cum quo candidè, ac fidenter rem omnem conferas, cuius conſilia non aſperneris. *Aſtutus* (inquit Sapiens) homo, inquam, cautus, & prudens, *omnia agit cum conſilio*, idque maximè neceſſarium eſt adoleſcentibus, tum quòd rerum ſint iſtarum rudes, ac ignari, tum quod ætatis ſuæ vitio temerarij, & audaces nonnunquam cæco impetu, ſubinde fallente etiam boni ſpecie, longiùs, quàm par ſit, abripiantur, niſi adſit, qui moderetur, & quaſi iniecto fræno regat. Verùm ſit ductor ille, & conſiliarius vir doctus, prudens, probus: qui res percalleat, quę in conſultationem vocantur, qui circumſpiciat omnia,
qui

qui nec fallere, nec aliò trahere suum clientem velit, quàm quo à Deo ipso senserit impelli: quam ad rem magis videntur facti confessarij, modo ij sint eiusmodi, quales superiùs, cùm de moderatore morum, & conscientiæ, agerem, descripsi.

§. IV.

Consultationis methodus, ac ratio.

NOn ita Deum, diuinumque quempiam hominem adire, & audire debes, mi Adolescens, vt te etiam in consilium adhibere negligas: eam enim ob rem à Deo rationem accepimus, & quidem (quod singulare est beneficium) fidei supernaturalis lumine illustratam, vt rationem ipsam consulamus, eique auscultemus. Licet verò nonnunquam contingat aliquos propemodum miraculosè ad quodpiam vitæ genus à Deo vocari, tam clarâ illustratione, ac notitiâ diuinæ voluntatis, vt ne in dubium quidem eam reuocare possint: tantâ vi numinis in his agentis impulsione, vt trahenti rèsistere, ac ne cunctari quidem queant (quod SS. Matthæo, Paulo, alijsque nonnun-

quam euenisse legimus) tamen quia extraordinariæ sunt eiusmodi vocationes, neque certis præceptionibus tradi possunt, communi consultatione, agitationeque mentis, ac studio opus est, quo animus rationes in vtramuis partem excutiat, atque ad veritatis indagationem, velut facem voluntati præferat: vt facultas hæc electrix id demum sibi sumat, quod omnibus exactè perpensis fuerit iudicatum melius. Porrò in huius negotij tractatione, ante omnia finis, ac scopus, tum homini, tum vitæ humanæ à Deo præfixus, diligenter ac studiosè attendendus, neque vnquam ab eo oculus mentis diuertendus est: nisi enim in eum continuò collineabis, aberres necessum est. Quare peccant illi, & grauiter falluntur, qui opes, honores, voluptates sibi primùm proponunt, & pro fine habent, cùm media dumtaxat esse ad finem debeant; porrò finis ille, ad quem conditi sumus, supernaturalis est, in quem omnia reliqua referri oportet, amor scilicet Dei, & eiusdem legitimus cultus, atque adeò animæ nostræ salus, æternaque felicitas: sit igitur hæc semper recta intentio in deligendo vitæ statu, vt, vti rebus creatis, aut minimè vti his, istis, hoc, istóve modò

modo velis, prout maximè è diuino honore, ac salute nostra fore nullis humanis respectibus, aut commodis ducti ex Deo ipso intellexerimus. Hûc redit meus Salomon. *Oculi tui,* ait, *rectà videant & palpebræ præcedant gressus tuos.* Sapienter: nam vt qui cautè, & certè incedere volunt, non hùc, atque illûc oculos circumferunt, sed rectà versus eum locum, in quem contendunt: ita nos nisi desipimus in præstituendo præsertim totius vitæ genere in vitæ nostrę finem respicere debemus: nam sic eum Salomonis locum explicat S. Gregor.

Palpebræ gressus nostos præcedunt, cùm operationem nostram consilia recta præueniunt, qui enim negligit considerando præuidere, quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed præuidendo semetipsum non antecedit, atque idcirco citius corruit, quia quo pedem operis debeat, ponere per palpebram consilij non attendit, Pastor. p. 3. adm. 16.
Ac finis quidem, quem dixi, omnibus idem est à Deo propositus, media verò, quibus obtineri possit, & numero multa, & conditione varia: sunt enim hominum status & plurimi, & diuersissimi: quæ media etsi de se nulla mala sint, tamen ea solùm deligenda, admouendaque sunt, quæ magis factura,

aptioraque videbuntur ad finem perfectiùs tutiusque adipiscendum. Nam cùm in cæteris rebus, ac negotijs, qui prudentes habentur, eligere soleant, quæ proposito, institutoque maximè seruiant, si modò ea habeant in sua potestate: ita stulti, certè minùs sani sit hominis in hoc vno negotio, ex quo omnia dependent, relictâ viâ, & tutiori, & meliori, ista viæ dispendia, & incommoda consectari, quibus ægrè speres, imò meritò te peruenturum diffidas. Iam dictum sæpè: Perijsse semel æternum est; nulla satis magna cura securitatis esse potest, vbi de æternitate vel beata, vel infelice dimicatur: de summa, vnius iactu aleæ periclitari, cum aliter rebus tuis consulere permittaris, amentiæ argumentum esse omnes sentiant. Igitur diuino amore, & cultu maiore, deinde, salute propriâ certiùs quærendâ, tanquam finibus; diuersis quoque statibus, tanquam medijs animo propositis, commoda statuum, atq; incommoda diligenti indagine requirenda; vbi deprehenderis internoscenda, discernendaque; tum demum seriò atque maturâ iudicij bilance ponderanda: vt ea denique repudientur, quæ nimium fini incommodant, ea accipiantur, quę meliùs,

meliùs ac certiùs finis consecutioni conducunt. Atque in his quasi duobus postibus totius deliberationis cardo vertitur. Quia verò longum esset per singulos distinctè hominum status euagari, duos ex ijs generaliores, vitam sæcularem, ac religiosam sumam: nam ad hæc ferè capita particulares viuendi rationes facilè reducuntur. Verùm priusquam trutinam in manum capiamus, & commodorum, incommodorumq́ue pondera examinemus, monendus est is, qui deliberaturus est, vt priùs ex animo præiudicia, opiniones, errores, propensiones, affectiones, cæteraq; eiusmodi syncerè coram Deo deponat interim, eò quòd iudicium syncerum impediant, Deoq́ue, si fas ita loqui, libertatem adimant, ne ipse quò velit præoccupatum hominis animum inflectat. Quare animus ipse ante omnia ita in diuinâ manu componendus, librandusq́ue relinqui debet, vt planè ex sese in vnam magis partem, quàm in alteram minimè propendeat; Deum agere, se agi sinat. Cogita tu mihi tres ægrotos, qui sanari quidem omnes velint, sed primus nolit admittere vllam medicinam, partim horrore, partim cruciatuum metu. Secundus

medicinam non refugiat, ſed eam obſtinatè velit, neq; aliam, niſi, quam ipſe probat, & cupit, etſi minimè, aut ſaltem minus curando morbo efficacem. Tertius denique ſe totum medico ita permittat, vt & imperet, & vrat, imò etiam ſecet, ſi opus ſit. Vt hic vltimus, ita planè ex ſeipſo indifferens ſit, totuſque à diuinâ voluntate pendeat, qui de vitæ ſtatu deliberaturus eſt. Et verò reperiuntur non pauci, qui Religionis (ne fortè ad eam impellantur) tāto horrore, aut metu percelluntur, vt de ſtatu deliberare non audeant: timent illi ſcilicet, ne vt mediaſtini famuli, à culinæ fumo, & nidoribus ad ſupremi Regis aulam, cui ſeruire regnare eſt, deuocentur: ideoq; oculos, & aures aperire reformidant, ne vocantem vel videant, vel audiant. Faciunt id alij horrore, & metu, non tã Religionis, quã ne non perſeuerent: hoc deiectioris animi telo proſtratus iacuit diu olim S. Auguſtinus mutationem vitæ defugiens, donec audiuit Deum ſibi vociferantem: quid in te ſtas, Auguſtine, & non ſtas? proijce te in Deum, noli metuere, non ſe ſubtrahet, vt cadas, excipiet te, & ſanabit te. Quãto ſint diuinæ vocationi obſtaculo præiudicatæ opiniones, & animi

in vnam partem obstinationes, nullo vnquam exemplo testatum magis, quàm Euangelici istius adolescentis, qui cum Matth. c. 19. ad Christum accessisset, viæ salutis discendæ, ineundæque summo desiderio, incensus, intellexissetque ad maiorem perfectionem pręceptorum diuinorum obseruationi consilium Euangelicæ paupertatis adiungendum esse, *Abijt tristis: erat enim* (ait Euangelista) *habens multas possessiones.* Quare vt clarissimè rem hanc de indifferentiâ omnem expediam. Primùm nullum vitę genus perhorresce, quod tibi quadrare possit, nullum cęteris tu ipse præferas, aut tibi præoccupes: itaque si vel parentum, vel sociorum, vel primę ętatis instinctu, aut inductione animo imbiberis priorem amorem, aut odium erga certum viuendi institutum, tantisper sepone, dum clarè diuina voluntas ex factâ deliberatione constiterit. 2. Nullius rei tanto vel amore, vel horrore tenearis (quę de se bona vel mala non sit) quin eam vel admittere, vel abijcere sis paratus, quandocunque videbis diuinę vocationis rationibus congruere. Quò autem te senties in hâc deliberatione magis liberum, atque iudiciorum, affectuumque immunem, eò melior totius

deliberationis exitus ſperandus eſt: at iam deliberationem tandem ipſam aggrediamur.

Vitæ ſæcularis commoda duplicis generis cenſeri poſſunt; quędam enim ad fortunæ, & exiſtimationis bonum, corporiſque, aut animi vmbratilem, & fucatam quandam felicitatem pertinent: quædam ad materiam, & ſegetem virtutis, veramque vitæ huius, imò & alterius beatitatem, ad quam conducibilia eſſe videantur.

In prima claſſe ſunt viuendi ratio ſolutior à curis, & aliorum arbitratu; opulentia, honorum decora, famæ, & auræ popularis applauſus, robur, & vires corporis, longæuitas, exporrectio, & hilaritudo animi, vacuitas doloris, voluptates etiam honeſtæ, conuiuia, amicorum neceſſitudo, & ſocietas. In ſecundo ordine computantur maius erga Deum meritum ex difficultate ſtatus, varia patientiæ exercendæ anſa, ex amiſſione, famæ, honoris, fortunarum, familiæ: liberalitas erga pauperes religioſos, & loca Deo ſacra, reipublicæ cura, & adminiſtratio, quæ tota à vitæ ſęcularis hominibus pendet: imò communis etiam ordinum Religioſorum incolumitas, & ſalus non tantùm, quod orbis

orbis occasurus sit, si omnes matrimonio abstineant, sed esse oporteat Medicos, qui ægros curent; Iurisperitos, qui iuri dicundo præsint; milites, qui contra hostium vim tueantur; imò coquos, sutores, sartores, architectos, mercatores, etiam vilissimarum quarumuis mercium, sine quibus non domus, non communitas vlla, non mundus ipse stare possit. Quanquam hoc vltimum cùm ad generalem Dei curam spectet, parum est timendum: certè non deerunt, qui ad artes & hominum propagationem se applicent, vti hactenus nulli defuerunt. Difficultas status sæcularis vereor vt potius impatientiam augeat; quàm meritum creet: iam opum ea est pertinacia, vt rarò & parum, diuitum Arcæ & manus pateant: quicquid demum de opum pio vsu sit, plus est arborem totam, quàm eius fructum aliquem obtulisse. Incommoda verò istius vitæ sunt, neminem habere cui te tutò credas, opes reuera spinas esse. ambitionem ab imperitæ multitudinis sententiâ pendere, voluptatum conuiuiorumque Asseclas morbos & mortem esse: dolia fellis pro mellis gutta affundi, subsequi acerbissimum mœrorem ex bonorum iacturâ, charorum amissione, coniugis, libe-

liberorum. His accedunt conſcientiæ ſtimuli & morſus, animi anxietas & inquietudo: denique peccandi pericula tot tantaque, vt exprimi minimè poſſint: nam mundus ſylua eſt vbi immanes feræ, nefanda quotidie latrocinia: Mundus, mare infame quotidianis plurimorum & iactationibus, & naufragijs.

Iam vitæ Religioſæ incommoda, ſi modò Religio ſit vigens & florens (neque enim aliam eligi oportet) etſi propriè nulla ſint, iſta tamen alicui videri poſſint, præſertim corpori ac ſenſibus; carere Parentum Amicorumque ſolatijs, caſtè & temperanter viuere, imò ſeuerè & auſterè, ſunt enim aliorum toleranda imperia, frequentanda ieiunia, preces, & meditationes vſurpādæ, mortificandæ paſſiones & affectiones, ac veluti ad viuum continuò reſecandæ.

Commoda huius vitæ ſexcenta; Primò cùm nihil habeas, omnia poſſidere. Secundò Deo & tibi & Æternitati vacare. Tertiò centuplum hic & iſtic habere, quò ſpectat aſſeſſio cum iudice, & merces in cœlo ſingularis. Sed quid ego ſingula enumerem? tres quaſi auri venas intento digito demonſtremus, vnde omnia affatim erui à quouis facile poſſint.

Pri-

Primum eſt, quod Beatum iſtud viuendi genus omnes propè vitiorum fontes occludat, impedimentorumque ſalutis obices proturbet ſocietates prauas, exempla improbitatis, opes, irritamenta malorum, iudicium proprium, effrænem licentiam, cæteraſque ſcandalorum ac prolapſionum occaſiones.

Alterum, quod omnia benè meritorieque viuendi adminicula affatim ſuppeditet Sacramentorum, precum, meditationum, opportunitatum, omniumque virtutum à ſocijs, à regulis, à crebra ſui diſcuſſione, ſuperiorum monitis & curâ, ſpecialibus Paternæ Numinis prouidentiæ ſubſidijs, meliori, crebriorique vſu Talentorum.

Tertium denique eſt, quòd ſuſcepto eo vitæ genere nos, noſtraque omnia Numini conſecrando, longè perfectiùs, quàm in ſęculari vita, tot beneficiorum, tamque ingentium titulis ac cauſis quibus Deo obſtringimur debitam gratitudinem diuinæ Majeſtati rependamus; quæ virtus nouos, nouoſque ſemper diuinę liberalitatis fontes aperit; cùm Deus munificentiâ nunquam à creaturis ſe vinci patiatur. Summam omnem, quæ de hoc argumento dici poſſint,

possint, complectamur breui illa & verissima sententia.

S. Bern. In Religione viuit homo puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, rigatur frequentiùs, fructificat vberiùs, moritur securiùs, purgatur citiùs, pręmiatur copiosiùs. Qui plura de his volet, aureum volumen quod P. Hieronym. Platus noster de bono Religionis conscripsit, vel P. Lessij solidam piamque de statu vitæ disceptationem perlegat.

Nunc agedum, ex statuum istorum contentione, commodorum incommodorumque consideratione, ac dijudicatione, quod Salomon hortatur; Dirige nunc semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur, auerte pedē tuum à malo. In Hebręo textu pro dirige, vox est plenior, libra tibi semitam; Metaphora ducta vel à libratoribus, qui ad aquę ductus conficiendos perpendiculo locorum altitudines, ac decliuitates explorant, aut à Trutinatoribus, qui rerum grauitates, aut leuitates examine bilancis expendunt: ita tu, mi Adolescens, vel ad maturi serijque iudicij siue Perpendiculum, siue Trutinam singula quę attuli, exactè cognosce, suisque, vt par est, momentis libra, pondera.

Semi-

Semitam potius, quàm latiorem viam attende. Auerte pedem à malo.

Iam, inquis, conclusum est, si id fecero, nam quis tam obtusi est ingenij aut iudicij adhuc puerilis, qui non videat commoda vitæ sæcularis, aut reuera nulla aut parua & vili facienda; Incommoda verò & plurima, & grauissima esse? at Religionis bona, numero, pondere, valore esse eiusmodi, vt incommodis facilè præponderent, quanquam & ea ipsa, quę adferuntur pro incommodis, virtutum meritorumque syluam contineant: quare nisi iniquus ęstimator, & amens Mercator esse velim, vitam sæcularem abijcere, Religiosam amplecti oportebit.

Fateor, si tu quidem ita censes, & ex animo affirmas, radij sunt isti diuinæ lucis, & primæ ad Religiosæ vitæ electionem faces; neque enim omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est à Patre cœlesti, præsertim cùm satis etiam aliunde constet perfectiorem Christoque similiorem esse Religiosam vitam quàm sęcularem, atque adeò illam præceptam non esse, sed tantùm pro consilio datam à Christo atque commendatam, vtpote hominum vulgaris animi ac virtutis moribus longè superiorem,

riorem, ſanè arduam, atque adeò ſingulari laude præſtantem. Verùm iſtud deinde maiori inquiſitione erit & iudicio inueſtigandum ac decernendum. Inſtitutum iſtud de ſe optimum tibine ſit conuenientiſſimum & maximè optandum? Nam licet vinum, generoſum præſertim, de ſe præſtet aquæ, & carnes piſcibus antecellant, non inde mox conficitur, tibi vino puro, & carne ſolidâ vtendum: quid enim? ſi ſtomachi debilitate labores, ſi febri æſtues, aqua, non vinum niſi fortè dilutum, piſcis aſſus, non caro crudior tibi erunt optima, vt quę optimè tibi conuenient: ita in propoſito: facile enim eſt iſtud tibi
Luc. 14. vt applices: *Quis volens turrim ædificare* (ſimilitudo eſt Chriſti Domini) *non ſedens priùs computat, an habeat ſumptus ad eam perficiendam?* Nam etſi Arcis ædificijque nobiliſſimam Ideam animo efformârit, prius tamen, quàm ſequi eam velit, ei prouidendum eſt, an faciendis expenſis ſatis habeat opum aut virium, aut habere ſaltem poſſit. Alioqui qui Babelem, id eſt, imprudentis hominis inſanam & temerè proiectam molem ſpectârit, irrideat aſpergatque cæmento ſalem illum. *Ecce hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.*

Quare

Quare considerauda indoles, naturæ propensio, corporis vires, talenta ingenij, doctrinæ, morum facilitas, affectiones, consuetudines, & præcipuè istud, An Spiritus S. tantum animorum suggerat, tantum auxilij ac gratiæ interius polliceatur; quantum sit opus ad tam arduæ & heroicę mentis partum concipiendum, parturiendum, edendum. Quòd si vires corporis satis sint integræ, si ingenium non indocile, si indoles ac natura non ita pertinax, quin tundendo saltem molliri possit ac flecti, sentiasque apertè, vehementer, constanter ad Religionem te duci, impelli, trahi, non alio præcipuo fine, quàm diuini honoris, tuæque salutis, iam non obscurè diuinæ vocationis ac voluntatis indicia & testimonia tenes: placere scilicet Deo vt vnum saltem aliquem Religiosum ordinem sequaris: ideò enim Deus Ecclesiam sibi à dextris ceu charissimam sponsam assistere voluit in vestitu deaurato circumdatam varietate, vt quia non eædem omnibus vires, non mens, eam sibi sumat quisque, quàm ab animi corporisque viribus minus esse alienam ac repugnantem perspexerit.

Igitur vlterius consultandum erit, quam

quam ex omnibus Religionem amplectaris; qua in contentione istud imprimis monendus, ne vllam eligas, in qua tria vota, vt vocant, substantialia, non religiosè obseruentur: nam si paupertatis muri transiliuntur, singulique suum habent peculium: Si castitatis repagula mulierum accessu & compotationibus effringuntur. Si obedientia pro libitu cuiusque excutitur, Religio ista non est; sed vitæ & morum corruptela. Deinde vigeat in eâ Religiosa disciplina, externi mores ritè sint compositi, sit reuerentia in rebus diuinis, modestia in congressibus, circumspectio in colloquijs, temperantia in mensa, silentium in domo, quies in cubiculis, suus constet Regularum honos & obseruatio, denique Religiosi amicè inter se agant, sibi mutuo honorem deferant se inuicem iuuent, bene de se mutuo loquantur & sentiant, cum superioribus plane, & inter sese aptè cohæreant; vbi ista omnia in vnam Religiosam familiam confluxerint, tutus est portus, quo è mundi procelloso mari enates ac conquiescas.

Quæris prȩterea fortasse, cùm non pauci sint (quȩ Dei est benignitas) hoc prȩsertim cultiori sæculo, Religiosi ordines,

ordines, in quibus & votorum & regularum, & cæterorum, quæ laudata sunt, exactissima obseruatio, reperiatur, quisnam omnium iudicandus sit nobilissimus, atque præstantissimus? Difficilis quęstio, cui respondere sine cuiusquam offensione arduum sit, mihi præsertim: hoc tantùm simpliciter affirmare possum, S. Thomam Theologicæ Scholæ Phœnicem censuisse eam esse perfectissimam Religionem, quæ formam habeat vitæ Christi & Apostolorum, id est, vti ipse explicat, quæ Contemplationem, Orationem scilicet, Meditationes rerum diuinarum, piorum librorum lectionem, conscientiæ examina, atque similia coniungat cum actione, siue ex eiusdem Angelici Doctoris mente, cum insigni salutis aliorum zelo. Sed tamen hic istud, quod supra monebamus, etiam attendendum, quid valeant humeri, quid ferre recusent, & quo Deus vocet. 2.2.q.188 art. 6.

§. V.

Locus, modus, tempus concludendæ Consultationis, Electionisque faciendæ.

POrrò, etsi agitatio illa rerum quas hactenus diximus, subinde, tumque præsertim cum maiori deuotione vel in Missæ sacrificio, vel inter orandum, potissimum post receptionem sacræ Eucharistiæ, incalueris, tecum fieri possit, consulto nonnunquam (quando maiores aliqui motus inciderint) tum Deo, tum eo, quem Dei loco consultorem delegeris: tamen priusquàm vltimam tanto operi manum admoueas, expediet vel domi tuæ, ex quâ nonnisi rei diuinæ, aut cum instructore consultandi causâ egrediare, aut (quod esset vtilius) in domo aliqua Religiosa à curis rerum aliarum, amicorumque congressione seiunctum spiritualibus exercitijs sedulò, Hebdomadam circiter impẽdere. Nam turbæ negotiorum, & hominum interpellationes, pręterquam attentam rerum salutarium considerationem, tractationemque impediunt, diuinam etiam

iam illuſtrationem, atque inſpirationem intercludunt, quę non niſi tranquillis mentibus infundi ſolent: quare Apoſtoli Spiritum S. in die Pentecoſtes in formam ignis recepturi, octiduo ſeſe à rerum humanarum curâ abductos Deo totos diuinarumque rerum procurationi tradidêre. Audi monentem S. Bernardum. *Tu, ô Chariſſime, huic voci Dei tui dulciori ſuper mel & fauum ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem: vt expedito & vacante interno ſenſu dicas & tu cum Samuele, loquere Domine, quia audit ſeruus tuus; ſonat vox hæc non in foro, nec auditur in publico: ſecretum conſilium, ſecretum quærit auditum. Auditui tuo procerto gaudium dabit, & lætitiam, ſi ſobriâ aure perceperis.* Epiſt. 107. Igitur orationi, meditationi, Eleemoſynis, alijſque pijs operibus, de quibus ſupra monui, nunc maximè vacabis. Tum in amico ac pio illo tuo receſſu, ex inſtructoris directione, hęc identidem ſæpius ac partitis temporibus expendes, & à teipſo exiges pro oportunitate.

Quis eſt ſcopus, ad quem omnia mea, meq; ipſum referre debeo? Procul dubio, amor & cultus diuinus, ſalus animæ meæ. Quàm parùm, me vno neglecto, omnia cætera mihi proderunt? Stat igitur amori, hono-

rięq; diuino ac meæ saluti, sine qua cætera concidunt, reculas omnes post habere.

Præterea cùm duæ tantum sint militiæ, duo Castra duorum Ducum, Christi & Dæmonis, cuius militiam ac Castra sequi, quem deligere Ducem malim? certè Christum. Variæ verè sunt viæ, quibus ei possim adhærescere: quam potius amplecti velim? nolo hanc, nolo illam, volo hanc, volo illam: quam nolis nolo, quam velis volo, paratum enim cor meum Deus, tantum doce me voluntatem tuam, & doce me eam facere, tu enim es Dominus meus, & Deus meus: loquere Domine, audit seruus tuus. Vitæ sæcularis incommoda, commoda video, video vitæ Religiosæ; omnia expendi, & expendo. Quid mihi salutarius sit, quid optabilius necdum satis perspectum habeo. Domine quid me vis facere?

Expendo iterum iterumque, & ecce expensæ vtrimq; descriptæq; mihi rationes, ac veluti in bilance appensæ. Agedum quam in partem à Deo magis inclinaris Anime mi? certè nobis iam id vitæ genus eligendum est, quod ad Dei honorem obsequiumq; nobis oportunius, ad salutem meam, aut etiam, si Deo placuerit, aliorum certius, ad gloriam in Cœlo immortalem vberius, fore putemus.

Adesto Virgo Mater, ades mi Patrone, tuq;

tuq; Angele Tutelaris, Cœlites omnes adeste, tuq; eorum intercessione ades Deus mi, quem hic & vbique præsentem fide intueor, & ex corde adoro. Ne me in hac re tanta falli patiare. Dic, inquam, Anime mi:

1. *Horum statuum quem Deo credis fore gratiorem?*

2. *Quem securiorem mihi, & proximis, ad salutem? aut*

3. *Si amicissimus, quem æque ac me nossem, consilium peteret, quid suaderem?*

4. *Imminente morte, quo in statu ac loco vixisse vellem? nam ibi viuere debeo, vbi mori malim.*

5. *In die iudicij stans coram Dei tribunali, quod vitæ genus, de quo reddenda tum mihi erit ratio, velim fuisse tunc consectatus?*

6. *In tam ancipiti vitæ biuio, quid tutius est, ne peream, mundumne vel Iesum crucifixum, & sequi & amplecti?*

7. *Vtro in statu animi talenta & dotes à Deo pro eius obsequio mihi concessas meliùs perfectiusve impendam?*

8. *Vbinam ad perfectionem solidius instruar, certius manu ducar?*

9. *In quo horum statuum quiescet mihi magis animus, plusq; spei affulget, fore vt perseuerem?*

10. *Cum nihil sit melius quam Christi,*

Apostolorumq́ aliorum qui in Sanctissimorum numero sanctiores putantur, vitam ac institutum imitari, vbi id commodius, compendiosiusq́ assequi possim?

Atque hæ interrogatiunculæ faciendæ erunt non omnes vno eodemq́; tempore, ne nimium mens fatigetur, sed interruptim & per interualla vicibusque subinde repetitis: quod cùm facis, (monitum est Thelanili pij Authoris, qui de hac re scripsit) teipsum quasi in iudicij diuini luce constitues, vbi omni affectu seposito sit soli Deo ex recta ratione respondendum; & quod sincerâ mente constitueris, id ad extremum vsque retineto. Quæ tibi ad singula interrogata respondenda occurrent, si ad statum vnum collimant omnia, non est cur de eo suscipiendo dubites. Si verò ex quibusdam interrogatis hæres, vacillas, aut nusquam duceris: ex alijs verò clarè & solidè ad meliora promoueris: id satis esse debet: nec enim singuli vel singula capiunt, vel quibusuis promouentur: Vnicâ bene dilucida face nocturnas ad viam capessendam tenebras clarescere satis est. At, si contingat, ex diuersis in diuersa motus excitari, de momento & pondere rationum inter se aduersantium rite iudicandum erit,

valdeq;

valdeque consultum fuerit, non suo vnius iudicio stare, sed viri prudentis, maximèque Confessarij dictis acquiescere. Ita ille. Sequitur iam vltimum, quo omnia quæ hoc cap. tractauimus, pridem tendunt, vt nimirum tandem eligas, remque tantam definias, destinatoque animi proposito confirmes: cauebis tamen, ne facilè aut temere vllo te ad id voto obstringas, neque enim plerumque expedit. Non expedit etiam electionem concludere, nisi eo tempore quo anima tranquilla est, libera, & quodammodo sui iuris. Nam quamdiu durat tribulatio, non est electionis locus: vnde monet Ecclesiast. Ne festines in tempore obductionis: quare si quæ tum sæuiat in animo tempestas, expectandum, donec desæuiat, redeatq; serenitas: quia sicuti dum turbida est aqua nihil in ea perspici potest: ita animo malè commoto nihil bene fit. Maximum verò & optimum argumentũ erit: si in ista quiete animi adfuerit spiritualis & diuina consolatio, id est, si virtus placet ac sapit, si ei contraria desipiunt, & iam insuauia videntur: si in tractatione rerum diuinarum subsultat gaudio animus, & gestit: si lux maior affunditur, si exiliunt la-

chrymæ. Huc pertinet mentis raptus in Deum, ſpes vegetior, calor diuini amoris, cœleſtium amor, terrenarum rerum generoſa contemptio.

Igitur cùm inter precandum nactus eiuſmodi internæ tranquillitatis & diuinæ conſolationis tempeſtiuitatem, te in vnam diſceptationis partem vehementer impelli ſenſeris, eam ardenter eliges, offereſque diuinæ maieſtati ad extremum comprobandam; gratias ages pro eo vocationis tuæ beneficio, ſimulque obteſtabere, vt cuius rei præoptandæ causâ lumen, mentemq; infudit, eius quoque tum fortiter ſuſcipiendæ, tum conſtanter perficiendæ opportunitatem gratiamque impertiat. Hîc ſi deprehendas animum in facta electione confirmari, quaſi Deus nouo affuſo lumine, redintegratiſque impulſibus factum approbet, vireſque pares adpromittat; nouum erit illud indicium diuinæ voluntatis, & veluti legitimum ſigillum totius electionis.

Atque ex his vides, opinor, non modò aliquam eſſe viam diuinæ vocationis cognoſcendæ (quod aliqui, vt negotium à ſe amoliantur, ſtultè negant) ſed eius rei methodum etiam tradi poſſe, neque admodum obſcuram aut difficilem,

ficilem, ex rationis ipſius ſenſu, atque grauiſſimorum ſcriptorum conſenſu deductam; quod ita eſſe, vti ſpero, experientur ſuo bono, qui vti eâ voluerint.

§. VI.

Quanti facienda vocatio ad Religionem: quàm cauendum, ne conceptus ille ardor elangueſcat, & ne executio nimium differatur.

QVi ſtatum ſęcularem delegit nihil magnopere eget vel oratore vel hortatore: nam neque ſtatus ille de ſe magnam laudis ſyluam ſubminiſtrat oratori, & fruſtra ſit hortari ſuâ ſponte eò per camporum aperta procurrētem. Si opus ſtimulis, plus æquo extimulabunt diuitiæ, delitiæ, honores triplex vehementiſſimum calcar. At is qui Deo authore vitam religioſam profiteri conſtituit, & argumentum ſuppeditat, quod oratione exaggerari poſſit, & magnopere indiget hortatore, ne Spartam, quam accepit exornandam, poſtea abijciat, prehenſamque propemodum è manibus ſibi eripi lauream ſinat: neque verò

deerunt

deerunt hoſtes atrociſſimi, acerrimæ pugnæ. Obſiſtent inferi, mundus obganniet, caro reluctabitur. Itaque huc iam curæ conuertendæ, vt tyronem ijs armis militaribuſque præceptionibus inſtruamus, quibus pedem figere, atque aduerſariorum inſultus ſuſtinere poſſit. Id autem facillimè Dei gratiâ aſſequemur, ſi quale & quantum ſit diuinæ iſtius vocationis beneficium dilucidè monſtrauero, ipſeque probè intellexerit.

Infinita iterum res iſta, ſi perſequi ſigillatim voluero, ſuperius enim aliquot capita retuli, ex quibus ceu perennibus fontibus innumera bona, commodaq; Religioſis copioſiſſimè dimanāt. Quæ ſi animo comprehendantur, luculentiſſimam fidem facient, poſt ſacramenta, nullum munus à Deo maius homini conferri poſſe, quàm vt è mundo ad Religionem, id eſt, è mari in portum, è campo ad arcem, è mundi, carnis, dæmonis tyrannico dominatu, in libertatem famulorum Dei, perhonorificamq; familiam deuocetur.

Egregiè de hoc argumento plurimi ſcripſere. Satis hic erit velut in tabellam paucis omnia contrahere, qua velut vno obtutu rem omnem ſpectādam,

mala

mala quibus erueris, bona ad quę vocaris, oculis subijciamus. Igitur primo cogita tu mihi mundi miserias, fraudes, laqueos, labendi occasiones, peccata quæ istic regnant: his te diuina bonitas eximit. 2. Vide hominum mundanorum cæcitatem, quòd breuitatem vitæ atque inconstantiam, iudicij diuini seueritatem, dum minimè attendunt, reculas temporis momento perituras æternæ gloriæ anteponant, sibique ęternis cruciatibus comparent. Istâ te cæcitate atque amentiâ Deus vindicat. 3. Bonorum genus omne huc concurrit, vtile, honestum, iucundum: in bonis vtilibus imprimis hæc numerari debent, peccatorum remissio instar noui baptismi; vacandi Deo, diuinamque in omnibus voluntatem exequendi commoditas; communicatio bonorum operum, diuinæ gratiæ influxus vberior, siue ex Sacramentorum, precum, meditationum vsu, continuisque pietatis officijs, siue ex materia omnigenarum virtutum, quæ in fertili illo solo felicissimè efflorescunt; huc adde ingentem sementẽ & messem meritorum, quæ consurgit ex totius vitæ actionibus ad Religionis, obedientiæ, charitatis, cæterarumque virtutum normam compositis. Accense

in

in hoc quoque bonorum vtilium numero ſuperiorum vigilantiam, ſingularem Dei curam, peculiare Virginis Patrocinium, ſigna prędeſtinationis, mortis ſecuritatem. Iam verò ad honeſtatem dignitatemq; Religioſi ſtatus hæc pertinent; quòd animum nobilem ac verè heroicum oſtentet; quòd rebus omnibus ſuperiorem cælo attollat; quòd Chriſto ſimilem, amicũ, filium chariſſimum efficiat, Eccleſiam mirificè ornet, eximijſque fructibus augeat, quas ob cauſas etiam hîc maximis honoribus ij, qui id vitæ genus arripuere, cumulantur: Religio genus eſt iugis ſacrificij, imò Martyrij: hinc aſſeſſio ad latus iudicis, hinc egregia præ alijs inter beatorum cœtus laurea atque merces. Denique ad iucunditatem iſtius vitæ hæc ſpectant, vacuitas à ſecularium moleſtijs, pax conſcientiæ, lętitiæ vndantis irrigationes ex fratrum patrumque amantiſſimo conuictu, ex orationum & ſtudiorum iucundâ interpellatione, ex amplificatione honoris Dei & ſalutis proximorum, ex paſſionibus animi ſuppreſſis, ex ipſo pręterea ſuauiſſimo virtutum exercitio; nihil enim ęquè iucundum eſt ac bene pieque viuere: denique ex incredibili illo gaudiorum ſenſu,

ſenſu, quibus quadam cœleſtis felicitatis prægustatione Deus Religioſorum animos ſubinde ita perpluere ſolet; vt mundi voluptates præ illis quiſquiliæ, imò ſordes ac lutum eſſe videantur. Sciunt id verum eſſe, qui ſentiunt. Quare meritò viri graues ac ſancti, Religionem appellant domum Dei, Chriſti familiam, vitam Angelicam, virtutis ſcholam ac palæſtram, montem Thabor, ſcalam Iacob, portam Cœli, Theſaurum in agro Euangelico abſconditum: Religioſos verò ijdem aiunt eſſe partem Eccleſię ſelectiorem, illuſtriorem portionem gregis Chriſti, vno verbo, homines cœleſtes, terreſtres Angelos. Hinc ſcilicet Ægidius ille è primis S. Franciſci ſocijs, vir tam diuinus, vt ad ſolam Dei aut paradiſi vocem ſtatim extra ſe raperetur, ſciſcitanti cuidam num ſuaderet Religionem vt ingrederetur, ita reſpondit. *Dic mihi, mendicus, ſi rectè ſciret aliquo loco ingentem latere theſaurum, an ille conſilium peteret, expediret ne eum effodere? cumq́; is negaſſet, quanto igitur, ait, alacrius debet homo ad infinitum illum, Dei theſaurum accurrere, in quo ſolo ſunt veræ & æternæ diuitiæ?* Quod ille audiens illicò religioſam vitam eſt amplexus. Porro vt maximum eſt iſtud vocationis

cationis beneficium, ita necesse est teterrimum esse ingrati animi vitium, si ille, apud quem tantum Dei munus est collocatum, non modò non æstimet, sed sibi eripi sinat, aut etiam sponte abijciat. Fit verò istud non statim plerumque, sed quo modo quis euadit pessimus, paulatim, & sensim sine sensu; primùm temporis fluxu conceptus ardor nonnihil remittitur, paulò post elanguescit intermoriens, denique planè extinguitur: atque hæc ita facillimè & sæpè eueniunt, dum vocationis, quod dixi, beneficium rariùs expenditur, loco esse incipit viliori, dum sacramentorum vsus interrumpitur, dum peccata grauiora liberiùs iam admittuntur, initur vita licentiosior, agitur cum socijs morum dissolutorum, etiam crebriùs cum fœminis, frequentantur conuiuia, choreæ, tripudia. Nam his vijs ac causis non paucos à suscipiendæ religionis proposito turpiter desciuisse multis in Academijs vidimus, calamitosissimosque exitus defleuimus. Quare ei, qui gratus pro tam singulari gratiâ esse, suæque saluti consultum velit, vt animum in proposito retineat, & alat augeatque indies, contraria omnia procuret.

Primo crebrò donum vocationis in memoriam reuocet, & magni faciat. 2. Piè probeque vitam instituat. 3. Frequentet Sacramenta: cum viris religiosis eoque præsertim, quem in consultando adhibuit, sæpè agat, eorumque tum collocutione, tum piorum librorum lectione concepto igni velut alimenta subministret: improborum consortiones, compotationes, fœminas, saltationes, aliasque eiusmodi bonorum morum corruptelas, studiosè deuitet: est enim dementissimus nonnullorum iste error, qui verbo & exemplo suo dictitant mundo esse semel vale dicendum, id est, insaniendum ad nauseam, priusquam claustra religionis ingrediantur: itaque isti homines tum maximè otiantur, vagantur, debacchantur etiam, tripudiant, cantant, insolescunt & iuuenantur: quibus frænum istud iniecit olim S. Basilius. Nec ad iustitiam per fraudationem, nec ad temperãtiam per proteruitatem, nec ad virtutem iter est per vitium. Nec ad iustitiam iter est per fraudationem, nec ad sobrietatem per lasciuiam, nec (vt summatim dicam) per malitiam ad virtutem. Quis vulneri medicinam facturus priùs se vulneribus nouis, nouisq; conficiat? aut duci optimo

Orat. 1. de ieiunio.

mo nomen & fidem daturus, ante ad capitalem ipsius hostem transfugiat? Singularis amentiæ, aut nequitiæ hoc genus est. Sed nunc quàm turpe sit flagitium Deo exosum, saluti inimicum, diuinam vocationem aspernari, aut etiam mutato consilio respuere, paucis ostendamus. Proferantur primum sacræ literæ. *Hæc dicit Dominus. Locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis, & vocaui vos & non respondistis: proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros.* Quem non percellant etiam ista Samuëlis ad Saülem? *Quia proiecisti sermonē Domini, & proiecit te Dominus ne sis Rex in Israel.* At istæ Sapientiæ interminationes quem non prope exaniment? *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo; cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam.* Quid tandem? *Comedent igitur fructus viæ suæ suisq́; consilijs saturabuntur.* Hæc Deus fulminat. Quid verò tu ad hæc? audio: quâ lege,

Ierem. c. 7.

1. Reg. 15.

lege, inquis, ad Religionis vota obstringor? consilia ista sunt, non præcepta. Quæris nunc ergo quâ lege obligeris? primùm, gratitudinis vinculo, quam sanè non mediocriter violas, si præ alijs te dignioribus tantâ beneuolētiâ à Deo ad tam excellentem viuendi rationem euocatus, postquam annueris, resilias, tantumque ipsius munus veluti per contemptum sine causa proijcias. Rogas iterum quâ lege tenearis vocanti Deo, in hoc præsertim tanti ponderis negotio, obsequi? Charitas tui, animæque salus & vita obligant, quæ profectò iam in apertum discrimen vocantur, si, quò vocatus es, venire obstinatè recuses. Agedum, Imperator quispiam optimus, idemque maximus militem pro regni incolumitate vocat in certum locum, vel vt excubet, vel vt manum cum hoste conferat, simulque offert, si venerit, tum præsidia, quibus virum se præstare possit, tum, si vincat, insigne donatiuum, lemniscatam coronam. ille vocatus etsi iam militiam acceptarat, hastam & clypeum, animumque simul abijcit, & castris valere iussis aufugit: an non peccare in Imperatorem, & pœnæ reum tanquam desertorem & perduellem arbitraris? atqui Deus te ad certum Chri-

ſtianæ militiæ genus, Religioſum, inquam, ordinem, amplificandi diuini ſui honoris, & Eccleſiæ bono, inſigni prerogatiuâ euocarat, ſimulque auxilia, ſimul ingentem gloriam erat pollicitus. Gratum acceptumq́ue id habueras: iam perduellis in aliam ſtationem atque ad alia omnia transfugis. An bene ab eo tibi fore in eo loco, quem perfidè tibi tu vni delegeris, an etiam ſine culpâ, an denique impunè id caſurum putas? Excipe auribus iſtud tonitru. *Dilexit maledictionem & veniet ei, & noluit benedictionem & elongabitur ab eo.* Exemplis veteribus & nouis abundamus. Ero vno, alterove contentus. Primùm eſt ex S. Bernard. Epiſtolis depromptum: *Videris mihi* (ait, ſunt enim ipſius verba) *vno ſpiritu ambulare, ſicut & vno cenſeris nomine, cum altero illo Thoma, qui cum ſe ſimiliter noſtro ordini, & noſtræ domui toto deſiderio deuouiſſet, cœpit induciari, & ita paulatim refrigeſcere, donec ſubitâ & horrendâ morte præreptus factus de medio eſt ſecularis, & preuaricator, & duplo filius gehennæ: quod ab eo, ſi fieri poteſt, auertat miſericors & miſerator Dominus.* Infelix ſane exitus! paulò mitius, quod ſequitur. Iuuenis qui Ciſtercienſe inſtitutum ſequi conſtituerat, dum procraſtinat, cœpit

Pſal. 108.

cœpit intepeſcere: vix ex Compoſtellanâ peregrinatione domum reuerterat, viſendum ſe ei prębet per noctem Christus, cùm Apoſtolorum Petri & Iacobi comitatu. S. Petrus inſignem librum geſtare videbatur, in quo Ioannes (hoc erat iuueni nomen) deſcriptum viſebatur. Tum Petro Chriſtus, dele, ait, iſtum de libro meo. At S. Iacobus contra pro ſuo, vt appellabat, peregrino, intercedere, vitam, animumq́ue clientis meliorem polliceri. Hic Ioannes pallere, tremere, & meliora adpromittere: Chriſtus verò inconſtantiam arguere, minus fidere in poſterum, fidei-iuſſorem poſtulare. Et ecce vadem ſe præſtat Iacobus. Inter hæc iuuenis ſomno excitatur, paulo poſt ſopore victus iterum obdormiſcit. Redit animo eadem quæ prius obiecta ſpecies, idq́ue amplius, quòd in libro iſtud è Canticis adſcriptum legebatur. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* His ille tum minis primùm, deinde pollicitis commotus, ruptâ morâ Ciſtercium conuolat, vbi magnis factis in virtute progreſſionibus, poſtea Abbas Bonæuallis, poſtremò Epiſcopus Valentiæ factus eſt. Ita veriſſimum eſſe conſtitit quod S. Gregorius pronunciat; *Licet multi ſint, qui* Epiſt. 61. ad Mauric. Imper.
 etiam

etiam in sæculari habitu bonam vitam ducere possint, tamen esse plerisque, qui nisi omnia reliquerint saluari apud Deum nullatenus possint.

Restat nunc antequam Salomonicas has institutiones concludamus, vt de ijs quoque paucula dicam, qui etsi necdum planè animo Religiosam vitam, quam suscipere contenderant, abdicarunt, dum tamen differunt, sine graui causâ, atque procrastinando in futurum reijciunt, in maximum vel à Deo auferendæ, vel suo vitio amittendæ vocationis discrimen sese conijciunt. Ac causas quidem dilationis honestæ, si quæ subsint, nihil reprehendo, modò tamen constet subesse, & esse rationi consentaneas, aut si dubiæ sint & controuersæ, cum viro prudente ac probo, eo præsertim qui fuerit in consultatione antea adhibitus, communicentur, & discutiantur. Causas quas nonnulli nullo nixas fundamēto suæ inertiæ atque ignauiæ obtendunt atque obtrudunt paulò pòst ipse nullo negotio subruam: cum enim ratione nullâ fulciantur suâ sponte concidunt. Nunc vniuersim id dicamus, nihil magis vrgere moras debere in hoc negotio, quàm hoc esse persuasum, quod testatissimum est, Quidquid tem-

temporis in tergiuersatione cunctando interponitur, non solùm esse inutile, sed plerumq; damnosum, summisq; periculis expositum. Hoc enim illud est, quod viri sanctissimi, vtpote gnari, quantum laqueorum in istis procrastinationibus lateat, vna voce clamant, rumpēdas moras omnes, festinandum, fugiendū, procurrendum, euolandum. Clamat Ambr. *Nescit tarda molimina Spiritus S. gratia.* Epist. 103.
Clamat Hiero. *Festina quæso te, & hærentis in salo nauiculæ funem magis præcide, quàm solue si habes in potestate rem tuam, vende: si non habes proyce.* Clamat Chrysostom. Hom. 56. al pop.
Dum tibi feruens est hic amor, abi statim ad ipsos Angelos, eumq; magis attende. Ne dicas alloquar prius propinquos, resq; meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio. Patrē sepelire discipulus voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quoniam acer instat Diabolus, vt se in animum insinuet, & si vel breuem arripuerit vacationē, vel prorogationē, ad magnum inducit torporem. Ideò quidam admonet: Ne differas de die in diem. Clamat Anselmus. *Festina ad tantum bonum. [illegible]uia nullo bono efficacius peruenies ad summū bonum. Plures vidi promittentes & differētes, quos ita mors tulit, vt nec id perficerent quo se impediebant, nec id inciperent, quod promittebant.* * *qui differt in futuram, & forsitan* Ec. lef. 5. B. st. 2. * Epist. 1.

tan non futuram ętatem suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procul dubio, & contemnendo quod perdit, probat se non amare, quod expectat, & meretur non accipere.
Epist. 105. Clamat denique Bernardus. *Quid tardas ipsum, quem iam dudum conceperas spiritum parturire salutis? nihil mortalibus vel morte certius, vel incertius horâ mortis, siquidem tanquam fur in nocte, ita veniet. Va prægnātibus illa die, si superuenerit, & præuenerit hunc tam salutiferum partum, heu perfodiet domum, sanctum germen extinguet. Cùm enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Eia ergo, festina, exi, recede, moriatur anima tua morte iustorum, quo fiant & nouissima tua horum nouissima. O quàm pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius! Fuge quæso, in via peccatorum ne steteris. Quomodo viuere potes, vbi mori non audes? At, inquis, ego me probo, an constans futurus sim? hæc enim vna est excusatio. Quid? in mari versaris periculosissimo, & quidem rei nauticæ ignarus, vt autem discas vis fragili cymbula te in altum dare, vt in medijs fluctibus ac scopulis probes an seruare te possis? Quid insulsius, quàm tanto malo periclitari velle, quod multo certius absque periculo nosces si velis? qui amat periculū peribit in illo. Metuo*
tamen

tamen ne nō perseuerē, ideò tergiuersor, & vt in arenam ingrediar, necdum à me impetro. Hæ aliæ sunt tricæ. Aggredi non audes? quid ni? audi te vocantem. *Tollite iugum meum super vos, iugū enim meum suaue, & onus leue.* Suaue quid abhorres? leue quid reformidas? denique, qui dedit velle, dabit & perseuerare. Cur quod infiniti alij ætate, viribus, ingenio, te imbecilliores possunt, tu non posses? potes vitæ sæcularis onus, (quod, & quātum?) pati tamen potes: ferre non poteris suaue iugum, onus leue Religionis? recurrat hic tibi Augustinus in eodem illo salo olim versatus, at eluctatus tandem & egregius victor, ita ille de se scribit. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitas vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant, dimittisne nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in æternum? & à momento isto non licebit tibi hoc & illud vltra in æternum? Retardabant me cunctātem abripere atque excutere ab eis, & transilire quò vocabar, cùm diceret mihi consuetudo violenta: putasne, sine istis poteris?* Tum inducit continentiam ita se hortantem; *Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & anus. Tu non poteris quòd isti & istæ in seipsis possunt, &* L.8.Conf. c.13.

non

non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis: quid in te stas, & non stas? proijce te in eum; noli metuere ne se subtrahat vt cadas: proijce te securus, excipiet te, & sanabit te. Moues, inquis, & prope est, quin abeo. Verum parentes fortiùs, quàm cætera retinent, orant enim, rogant, minantur, mœrent. Hic tandem funiculus ille triplex qui difficile rumpitur. Rumpendus tamen: accedãt huc iterum SS. PP. & suis ipsi verbis quasi cuneis nodum istum diffringant. Ego, ne verbum de meo addam. Venit prior in
Epist. 1. ad Heliod. aciem S. Hieron. *Quid facis in domo paternà delicate miles? vbi vallum? vbi fossa? vbi hyems acta sub pellibus? Audi edictum Regis tui: qui non est mecum, contra me est: & qui mecum non colligit, spargit. Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti: pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri. Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet paruulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater iaceat: per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexillũ crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re*

re esse crudelem. Neque vero nescia qua te dicas compede præpediri. Non est nobis ferreum pectus nec dura præcordia: non ex silice natos hyrcanæ nutriere tigres. Et nos per ista transiuimus. Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis: nunc illi cum quibus adoleuisti vernulæ, aiunt: cui nos seruituros relinquis? &c. Facile rumpit hæc vincula amor Dei & gehennæ timor. Et paulo post: *Si credunt in Christum, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos.* Eundem propè gladium in hac pugnâ stringit August. *Ecce rapit te studium veritatis agnoscendæ, atque percipiendæ voluntatis Dei in scripturis sanctis: rapit Euangelicæ prędicationis officium; dat signum Dominus vt vigilemus in castris ne ędificemus turrim de qua hostem sempiternæ vitæ & prospicere & propellere valeamus: rapit militem Christi tuba cœlestis ad prælium; & retinet mater?* Et infra: *Sed quid dicit, aut quid allegat? fortè decem illos menses, quibus viscera eius onerasti, & dolores parturitionis, & labores educationis. Hoc, hoc interfice verbo salutari: hoc perde matris vt in vitam æternam illam inuenias: hoc memento vt oderis in ea si diligis eam. Si tyro Christi es, si turris fundamenta posuisti, ne dicant transeuntes, hic hoc cœpit ædificare, & non potuit consummare. Carnalis* Epist. 38.

nalis affectus est iste, & adhuc veterem hominem sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis & in nostris militia Christiana, vt perimamus, hortatur. Triarius expugnando isti nimio parentum amori, isq; succenturiatus, prioribusq; consentiens miles rem istam, pugnamq; omnem conficiat Bernardus. *Quid ad hoc respondebo tibi; vt matrem deseras? sed inhumanum videtur. Vt cum ipsa maneas? sed neque ipsi expedit vt filio sit causa perditionis. Forte vt & mundo simul milites & Christo? sed nemo potest duobus Dominis seruire. Mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc suæ ipsius saluti. Elige ergo tu ex duobus quod vis, aut vnius videlicet satisfacere voluntati, aut vtriusq; saluti. Verum si multum eam diligis, desere potius ipsam, ne si Christum deseras vt cum ipsa maneas, propter te pereat & ipsa. Alioquin male de te meruit quæ te peperit, si propter te perijt. Quomodo enim non perit, quæ ipsum quem peperit, perimit? Cęterum fidelis sermo & omni acceptione dignus, vt etsi impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum pijssimum sit. Nam qui dicit, honora patrem & matrem, ipse etiam dixit: qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.*

Epist. 104.

Placet vt tandem finiam, ad exēplum, in hanc palæstram fortissimum pugilem

lem

lem inducere, quem in ſimili lucta ſimili ſtudio imiteris. Albertus ex illuſtri Comitum Falkenbergenſium ſanguine in Germania oriundus, cum ad Regem Galliæ, cui erat affinis, eſſet miſſus, vt cum Regia prole paulatim educaretur ad S. Dominici militiam Adoleſcens animum adiecit: qui nuncius vbi ad patrem venit, tenere ſe parẽs etſi iam ętate grauis non potuit, quin Lutetiam in magno ſuorum comitatu aduolaret. Quas non machinas adhibuit, vt filium, qui ei vnicæ erat flos familiæ, expugnaret? perſtitit tamen in propoſito Albertus, & tam fortem hoſtem, patris nobilis ſenis, flentis, minantis, vim omnem vicit. Acceſſit tum acrior etiam pugna at importuniore hoſte Theodorico Conſobrino: hic dolore amens, lacrimas, preces, argumenta, fortiſſimum denique telum, Matris vt, aiebat, iam iam morituræ, commemorationem admouit. Conſederant autem ambo pugiles, ille Dei, hic mundi, è regione Iconis cuiuſdam, in qua Chriſtus, vt pingi ſolet, inter Matrem & Ioannem de crucė pendebat. Tum Albertus oculos ac digitum in eam tabellam intendens, En, ait, Dei Filius, cum Matrem & Conſobrinum, vtrumque ſibi tam charum doloris

loris gladio confoſſum videret, tamen è cruce, cui erat ſuffixus, etſi facile poterat, deſcendere noluit; ſed in eâ cum ſuo & illorum cruciatu dum vixit, hæſit. Ego Religioſæ vitæ crucem quam ſemel conſcendi, vecors deſeram? at non faciam: ne ſi quidem te matremque, quam narras, examines hic iacere viderem. Quin tu potius in hanc mecum crucem ſubis, teque mundi pedicis liberas, quibus teneris cum tanto periculo? Quid plura? victus ab Alberto Theodoricus relicto ſeculo, ſtupentibus omnibus Religionem quoque eſt ingreſſus. Nobilis pugil, ter viciſti, te ipſum primum, dein parentes, poſtremò conſobrinum, accinere iſtud tibi lubet, io ter triumphe. Age & tu, mi, *Academice Adoleſcens*, in pari pugna, paribus animis conſiſte, vince, triumpha.

IM BIVIVM HERCVLIS.

ODE

Ad Dubitantium.

FLore ſub primo titubantis æui
Non ſatis doctus ſtabilire greſſum
Heu! nimis fallax iter experiri,
Tramite tentas.

Siſte

Siste tantisper. simul insüetos
Rursus, & rursus speculare calles;
Ne quis incautum ferat, implicetve
Improbus error.
Turpibus ludens modulis voluptas
Huc, ait, quo te meus? ô virentis
Corculum Floræ, meliorque blandi
Gemmula veris.
Huc meus quo te stimulat Cupido?
Ne verecundis fuge nostra venis
Tela, queis imas rapit, estque fibras
Mollior ignis.
Quid nimis crudæ patiens iuuentæ
Vnus has horres, reicisque flammas?
I pharetrate, i, puer, & medullis
Fige sagittam.
Qualis è centum leuior Tonantem,
Qualis assuetam canibus Dianam,
Herculem, & bellis celebrem gradiuum
Fixit arundo.
Nunc habet: pectus penetrat sagitta:
Fallor? an rursum fugis? huc virentis
Coruclum Floræ, meliorque blandi
Gemmula veris.
En mihi candet niue lota ceruix,
Igneum flagrant gena, frons, & ora,
Non ebur diues, samiumve marmor,
Non rosa certent.
Murice epoto saturata vestis
Purpurat, circum volitant lepôres,

Et

Et ioci, & nugæ, facilesque risus,
Gaudia mille.
Persicos Bacchus tulit apparatus,
Et leui nectens hederâ coronas
E cado prompsit medicata vitis
Vina falernæ.
Iam redi. nam quid nimium moraris?
Te nemus pridem redolens reposcit,
Te vocant suaues violæ & loquacis
Lympha susurri.
Illicit contra generosa virtus;
Huc puer flammâ meliore dignus,
Huc ades, quo te pius vrget ardor,
Huc ades, inquit.
Illa te blandę Lea trux loquelæ
Erubescendo vitiat veneno:
Ah coloratam fuge peius angue,
Ah fuge Circen.
Nil mei vultus rigor exacerbet,
Ruga defectæ veneranda frontis;
Nil & angusto moueant acuti
Tramite sentes.
Nam rosas ornant, decorantque spinæ,
Mel Apes hastâ prohibent paratâ.
Post breuẽ morsũ, lachrymamq; plãctu
Sidera calcans,
In pio cœtu superum recumbes;
Tum perennandis potiere mensis,
Tum trahes longum bene purpurato
Gutture nectar.
Melleum

Melleum ſi quid meretrix propinat
Aureo lactans calicis labello;
Melle ſub paruo bibitur venenum
Diuite gemmâ.
Purpuræ quid te color iſte cœcat?
Herculi fertur tunicam dediſſe
Oenëis Virgo rutilante Neſſi
Sanguine tinctum.
Hic oberrabat Phrygionis vndans
Arte Mæander, radiabat auro
Littus, & murex vada clara ſparſo
Tinxerat oſtro.
Neſcius fraudis, ſimul ille virus,
Induit, ſæui rabiem Thyeſtæ,
Et graues, quæ nec Lapithas decerent,
Concipit iras.
Deîn in Oetæi volat alta montis;
Mox pyræ inſiſtens moriturus ardet,
Exteros iungens penitus receptis
Ignibus ignes.
I voluptatis cape dona demens,
Si lubet flamma duplici perire,
I, te amor, i, te phlegetontis æternum
Vnda perurat.

Oratio

Oratio ad Deum pro impetranda luce, ac gratia ad deligendum vitæ ſtatum.

DEus & Domine mi, clarè intueor (quæ tua eſt gratia) quantum, quamq́ue difficile ſit negotium, vt agnoſcam teneamq́ue ſecurum iter, quo ad te ſummum meum bonum pertingam. Scio præterea, quia ego tenebris errorũ & ignorationũ implicitus ſine te, videre non poſſum, quã è multis tutiorẽ viam, ſequar: tu verò noſti cor, & ſcis quid ſit in homine, imperfectum enim meum viderunt oculi tui, nos pigmentum tuum ſumus. Aperi Domine Deus oculos cœci nati, emitte lucem tuam, ſedium tuarũ aſſiſtricem ſapientiam de cælo: vt ſciam quid ſit acceptum coram te: nolo, volo, velim, nolim, provt tu vis vel non vis. Doce me facere volũtatẽ tuam quia Deus meus es tu. Domine quid me vis facere? Loquere, audit ſeruus tuus: iube quod vis & da quod iubes, ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ecce, hic ego te atq; vbiq; præſentẽ adorãs, corã diuina tua Maieſtate animo & corpore proſtratus, ô Rex ſuperum, ac Domine vniuerſorũ, licet indigniſſimus, fretus tamẽ tuâ ope ac gratiâ, me tibi penitus offero, meaq; omnia tuæ ſubijcio voluntati, atteſtãs coram illa tua infinita bonitate & in cõſpectu Beatiſſimæ Virginis Matris tuæ, Angeli Cuſtodis, Patronorũ meorum totiuſq; Curiæ cœleſtis hunc eſſe & fore animũ meum, hoc deſiderium, hoc certiſſimũ propoſitum, vt te (provt fore intellexero ad maiorem tuam gloriam & animæ meæ ſalutem) proximè ſequar & imiter in eo vitæ ſtatu, ad quem ſanctiſſimæ tuæ voluntati me vocare & recipere placuerit, per merita Filij tui Ieſu Chriſti. Amen.

FINIS.

$\bar{a}^8$ $\bar{e}^8$ $\bar{i}^8$ $\bar{o}^8$ A-Z^8

Aa-Qq^8